W. Simmons S. C. L. S.

ΤΡΙΒΟΗ'ΤΗΤΟΣ Η῾ ΤΡΙΣΕ'ΡΕΙΣΤΟΣ

TRIMEMBRIS CHIRURGIA,

IN QUA

DIAETETICO - CHIRURGICA, PHARMACO-CHIRURGICA, ET CHEMICO-CHIRURGICA, TRADITIO EST.

AUCTORE

MARCO AURELIO SEVERINO

Crathigena Tharsiense, Medico Philosopho, Regio in Auditorio Neapolitano Anatomicae, & Chirurgicae rei, Primo Professore,

AD CLARISSIMUM VIRUM

MICHAELEM RUPERTUM BESLERUM,

In Noribergensi Amplissima Republica Physicum Ordinarium, D. & Decanum illius Collegii p. t. spectatissimum.

Editio noviſſima praecedenti longe emendatior.



Jak. Houbraken sculp.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOANNEM à KERCKHEM, 1725.

VIRIS

CLARISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS

VARIA DOCTRINA ET EXIMIA
ERUDITIONE INSIGNIBUS
PER ORBEM TERRARUM CELEBERRIMIS
ARTIS MEDICAE PRINCIPIBUS

D. HERMANNO BOERHAAVE

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORI
MEDICINAE BOTANICES CHEMIAE
ET COLLEGII PRACTICI
IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA
PROFESSORI
COLLEGII CHIRURGICI PRAESIDI.

D. H. OOSTERDYK SCHACHT

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORI
MEDICINAE THEORETICAE ET PRACTICAE
PROFESSORI.
NEC NON COLLEGII ILLUSTR. ET PRAEPOT.
D. D. ORDINUM HOLLANDIAE ET WESTFRISIAE
QUOD LEYDAE EST MEDICO ORDINARIO
COLLEGII PHARMACEUTICI PRAESIDI.

D. BERN. SIEGFRIED ALBINO

MEDICINAE DOCTORI
ANATOMES ET CHIRURGIAE
IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA
PROFESSORI.

HOC

MARCI AURELII SEVERINI

CRATHIGENA THARSIENSIS MEDICI PHILOSOPHI
REGIO IN AUDITORIO NEAPOLITANO ANATOMICAE ET
CHIRURGICAE REI PRIMI PROFESSORIS

TRIMEMBRIS CHIRURGIAE

IN QUA

DIAETETICO-CHIRURGICA PHARMACO-
CHIRURGICA ET CHEMICO-CHIRURGICA
TRADITIO EST

OPUS

QUAM POTUIT NITIDISSIME ET ORNATISSIME
EORUM EXHORTATU PRAESIDIO
AB INTEGRO EDITUM
IN OBSERVANTIAE EORUMQUE NOMINUM
EXISTIMATIONIS TESSERAM OMNI QUA
PAR EST ANIMI REVERENTIA
HUMILLIME OFFERT ET DEVOVET.

JOANNES à KERKHEM.

MEDICINAE STUDIOSIS

S.



oc aevo, quo in Scientiarum splendorem ac decus, tam avide Veterum Monumenta undique erui, & in publicos emitti usus cernimus, ut ea, quae alta oblivione quasi obruta erant, nunc evocentur, & quae, quod parca nimis eorum daretur copia, deficerent, renoventur, non inferioris haberi poterunt ordinis inter haec, Magni nostri, & perfecta eruditione, Viri, M. A. SEVERINI Opera: ex quibus de Recondita Abscessuum Natura *aureus ille Liber ab integro nuper editus vestris teritur manibus.*

Hodie iterum, en! qualis ex iisdem limpidissimis fontibus ad Vos defluat rivus! Opus certe quolibet pretio dignius, quoque praestantius ac utilius nullum Primo subjungi potuisset; cum tantus in illis reperiatur nexus & cohaerentia, ut non longe quis aberrare videatur, si illud 1, *Tom: hoc autem, Operum Auctoris nostri sapientissimi,* 2 *Tom: inscribat.*

In superiori equidem illo laudato jam volumine, cuncta Tumorum & Ulcerum referuntur genera: horum, accuratissima diligentia, varietas, ortus, progressus, eventus tum felices, tum diri & prægraves, exponuntur. In hoc vero, non sine summa voluptate, docemur, quibus mediis, non minus prudenti scilicet ciborum potuumque delectu, quam pharmaceuticis, chemicisque, internis & externis, tam feliciter, ac tanto cum adplausu, misere discum-

bentibus opem adferre, & mala illo Tomo recensita debellare, potuerit Vir idem Magnus.

At certe, quid medentibus acceptius, quid ægrotantibus optabilius eveniat, quam locupletissima, selectissimaque, unde vitae vires, quarum defectu nulla speranda medela, & conservari & placide refocillari queant, frui supellectile? Hujus quidem auxilio hoc avertitur, ne aliquando morte ipsa tollatur morbus, quin potius Natura corpus sanet, ac morbum plane depellat. Eamdem hanc tamen, valida licet fuerit, ad artis adminicula ultro saepe adniti, quibus impedimenta quaelibet, eidem officio fungendi copiam negantia, submoveantur, Chirurgiae cultores in diem experiuntur. Verum qua via, quibus remediis praesertim, negotium hoc absolvatur, abunde tradit insignis Auctor: doctrina cum ex selectissimis suis observatis, tum ex priscorum Sapientum in arte nostra quorumcumque laboribus, sibi comparata; simul omnibus mirando ordine, ad suas Classes quam exactissime redactis.

Adeo certe, ut ab alio, qui de arte Chirurgica scripserit, quicumque fere demum sit, tam brevi compendio, tam aptam totius rei excitatam Tironibus ideam frustra quaeras.

Quam ob rem, hoc commendatissimum Opus, qui sedulo & attento primis studiorum annis animo versaverint, quam vehementer, per totius vitae ac praxeos decursum, sibi de utilissimo consilio inito gratulaturi sint, non facile creditu! Valete!

AM-

AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS, EXIMIISQUE VIRIS,

JACOBO TAPPIO,

Med. Doctori, Botanicesque & Pathologices in Illustri Acad. Julia Professori, hodie item Magnifico Pro-Rectori, nec non Serenissimi Sapientissimique Principis, Domini Augusti, Brunsvico-Lyneburgensium Ducis, Consiliario atque Archiatro.

HERMANNO CONRINGIO,

Philos. & Med. Doctori Anatomices, Physiologices ac Civilis Prudentiae, in eadem Schola Professori, Illustrissimique Ost-Frisiæ Comitis Consiliario intimo atque Archiatro, &c.

Praeceptoribus optime meritis observantiam

VALENTINUS HENRICUS VOGLERUS.

Universum eruditionis negotium si quis paullo attentius animo secum reputaverit, Clarissimi Viri, nae ille non poterit non in admirationem rapi. Tanta tamque notabili varietate circumquaque illud constare deprehendimus. Et prima quidem initia omnis, cujuscumque demum sit generis, doctrinae si spectemus; per illa fuerunt tenuia atque exilia. Deinde tamen paullatim magis magisque ita increverunt, ut à fastigio suo pleraeque disciplinae hodie parum abesse videantur. Accedente subinde ipsis magistris majori auctoritate, & denique universo scholastico Ordini privilegiis immunitatibusque concessis. Nimirum moram requirebat, nec uno

uno impetu perfici poterat, ardui adeo operis ſtructura. Perinde ut ex tantillo ſemine productus foetus primam aetatem teneritudine & imbecillitate ſua vivit contentus, donec pleniori facto nutricatu in juſtam corporis molem ſenſim accreſcat. Jam vero quod de gentium migrationibus hiſtoriae nos docent, idem circa rem litterariam videmus accidiſſe. Hinc adeo factum, ut apud illos populos, qui ſapientiae ſtudiis alios olim antecellebant, fœda barbaries ab aliquot jam ſaeculis regnet; omni cultu ac ſcientiarum gloria ad illas nationes tranſmiſſa, quas illi tum prae ſe contemnebant & faſtidiebant. Quod qui ſine numine geſtum arbitratur, equidem vereor ne temeritatis debeat poenas. Cœco certe fortunae nihil conſilio agentis ductui tantum opus adſcribere, hominis eſſet imprudentis, ne dicam ſtulti. Atque utinam majori in pretio optima illa ſtudia vulgo haberentur, nec tanti longeque maximi momenti res tam negligenter ageretur. Adeo multi ſponte quaſi ob bruteſcunt; & fatali quodam ſtupore correpti honeſtiſſimas artes tantum non odio proſequuntur, quum eaſdem quam maxime promovere debebant. Quod ipſum non poteſt non cum inſigni injuria in tam eximium Dei donum eſſe conjunctum. Quin etiam metuendum, ne ſumma rei indignitate offenſus benigniſſimus Pater alio ſe convertat; omnibus iis, qui tam iniqui aeſtimatores ſunt ſuorum beneficiorum, priſtinis ignorantiae tenebris adjudicatis. Quod juſtiſſimum eſt vindictae genus. Eapropter quotieſcumque in has cogitationes devenio, (fit autem paene quotidie,) rariſſimo cœli favori acceptum referendum non ſine tacito animi gaudio exiſtimo, quod in Academia Julia non ſolum naſci ſed & educari mihi obtigerit. Habet enim in-

clyta illa ſchola Viros in omni bonae eruditionis parte longe praeſtantiſſimos, ut hoc nomine cum pleriſque omnibus certare, plurimis etiam ſi non praeripere, dubiam ſaltem palmam, vel ipſa fatente invidia, reddere jure poſſit. Illis, & in his Vobis praeſertim, Clariſſimi Viri, ſi quid in me eſt doctrinae & recti ſenſus, unice debetur. Veſtrum eſt, quicquid intelligo: nec quicquam ſaperem, niſi à Vobis ſapere didiciſſem. Ut taceam ſingularem Veſtrum alias in me affectum, & mei promovendi ornandique ſtudium indefeſſum ac prope paternam curam. Tanta ſcilicet ſunt Veſtra in me merita, ut eorum magnitudinem nullis verbis adſequi mihi liceat. Interea quo memoriam illorum ad omnem eruditum orbem celebrarem, hunc librum, Veſtro nomini inſcribere viſum fuit. Publicò enim conſtare volo, per quos profecerim: & animi gratitudine nemini mortalium unquam cedam. Quamquam autem ex meo penu aliquid hujuſmodi depromendum erat; placuit tamen nunc alieno opere praeſtare, quod proprio facere me oportebat. Tum quod & recenſione meum quodammodo hoc ſcriptum reddiderim, & Vobis Severiniana prae aliis merito ſuo grata ſint, tum Tecum etiam, Clariſſime Conringi, cum auctore minime vulgaris intercedat amicitia. In medio eſt Tuus de Igne animali labor; quem Venerando Seni tanquam arctioris animorum Veſtrorum conjunctionis teſtem voluiſti conſecrare. Et vero geſtit animus videre diem, quo cum Obſervationes tum alii ingenii Veſtri monumenta lucem adſpicient. Et Tu quidem, Clariſſime Tappi, affectam de Febribus doctrinam ubi praetexueris, abſtruſamque & reconditioris indaginis Nervorum naturam promiſſi memor expoſueris; de univerſa

me-

medica re adeo bene mereberis, ut in aeternum gratias Tibi sit debitura. Tu vero, Clarissime Conringi, tum reliqua tum de Scorbuto Tuum & V. Cl. Thomae Fieni de Generatione hominis & spiritibus opera, quae doctos pridem exspectare jussisti; ne amplius, quæso, patere desiderari. De Magia certe falso dicta naturali librum si edideris, omnem posteritatem, jamdudum Tibi obstrictam, beneficio afficies immortali. Valete longum, ὦ δαιμόνιοι, publico litterariae rei, cui in majus promovendae nati estis, bono: & Voglerum disciplinae Vestrae alumnum amare atque fovere non desistite. *Oppenheimio ad Rhenum Eidib. Quinctil.* CIↃIↃCLII.

BENEVOLO LECTORI S.

Eccum tibi, amice Lector, novum fœtum Marci Aurelii Severini, viri profecto eximii & in chirurgica re hodie sine exemplo facile principis; post evulgatam apud nos ejusdem Zootomiam Democritaeam, *&* de Efficaci medicina, deque Recondita Abscessuum natura *præclaros libros. Diu quidem ille delituit, patrono destitutus: quod corruptis saeculi moribus attribuendum venit; quibus passim videmus contingere, ut optima quaeque scripta negligantur, iis e contra nullo negotio laudatorem invenientibus, quae parum vel nihil bonae frugis habent, ex quibusque non raro plus scandali quam utilitatis in publicum redundat. Caeterum scripsit Severinus noster praeter alia etiam* de Idea Chirurgiae, *item* Pyrotechniam, Jatrophysiognomoniam, *&* Traumaticam restitutam; *quorum in hoc ipso, quod modo damus, opere non semel meminit. Sed &* in Celsum commentatus *est, si recte colligimus. Quae omnia prodierintne, an lucem adhuc praestolantur, hactenus nos fugit. Praeter haec tamen jam prodiit* de Chocolata Inda *opusculum, quod ex Hispanico Marcus transtulit; &* de Vipera Pythia *opus Patavii excusum.*

Ipse

Ipse Neapoli nunc nuper edidit librum de Respiratione Animalium; *quemadmodum ante hos duos menses ad Clarissimum Schefferum perscripsit*; *cui* de Venae salvatellae sectione *tractatum* Disquisitionesque Anatomicas, Mageirium naturale, &c. *in Germania nostra etiam publicanda propediem missurus est. Apud quem insuper exstat ejusdem* Chirurgia illustrata: *uti est nominis Severiniani juvandique rempublicam litterariam studiosissimus.* Phocam illustratum, *opusculum anatomicum, habet Clarissimus Conringius, mundus scientiarum: quali elogio Philippum Scherbium, incomparabilem illum Scherbium, afficiebat Caspar Hofmannus; quem inter praecipua aevi sui decora merito numeraveris. In praesenti opere ita nos gessimus. Primum in eo quam maxime noster labor occupatus fuit, ut omnia in ordinem, qui admodum erat confusus, redigerentur. Quum enim per vices liber fuerit ad umbilicum perductus, identidem de novo aliquid accesserat, subinde etiam quicquam erat intercalatum, ut fieri solet, ipsorum quoque capitum serie quandoque immutata. Ideoque suo quaeque loco reposuimus: verbis auctoris, quantum licuit, ubivis retentis. Quod enim de satyris Horatianis alicubi Clarissimus Heinsius pronunciat*, genium earum neminem posse assequi, nisi quem similis afflârit; *idem de omni in universum scriptorum genere suo modo non injuria dixeris. Neque placet illorum institutum, qui in enarrandis aliorum lucubrationibus sermonis nitori nimium student. Saepe enim fit, ut dum elegantiam sectantur, mentem scriptoris perturbent, nonnunquam etiam invertant. Sensum tamen, qui interdum pendebat, supplevimus, ne legentem offenderet aut remoraretur. Tantum quibusdam sed paucissimis in locis vacua spatia relinquere fuimus coacti, punctis idcirco notata: partim quod aliorum scriptorum verba adjicere in animo Severinus habuerat, qui nobis nunc quidem ad manum non erant; partim quod unius & alterius nomen, qui cura atque industria Marci Aurelii sanitati restituti fuerunt, ipsi Optimo Seni excidisset. Quorum alterum non adeo magni momenti est, alterum ab unoquoque proprio Marte facile poterit praestari. Atque haec te, Lector, scire voluimus. Quod si nos tibi placere intellexerimus, omnem dabimus operam, quo & in aliis deinceps studia nostra tibi queant inservire. Publico enim, quum possis, nolle prodesse; piaculum est. Vale.*

CATALOGUS LIBRORUM, QUI HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

CAPI-

CAPITA

LIBRI DIAETETICO-CHIRURGICI.

IN DIAETETICON CHIRURGICUM SEVERINI


PRAEFATIO.

Diaeta eadem si aegri uterentur, qua sani, (inquit Hippocrates *l. de vet. med.*) utique Medicina non fuisset. Quo Senis oraculo planè apparet summam esse dignitatem diaetae, qua sublata medica res omnis cadit, quasi sit ipsa omnis medicina. Et profectò nil prius est diaeta in re medica, sive sit sanus homo conservandus, sive à quocunque morbo vindicandus. Quod enim ad prius illud, monstratur: nam victus à vivendo dictus est, perinde ut per victus rationem vita ipsa consistat & sit. Quod verò ad alterum, est victus rectae curationis omnis fundamentum: qua si sani & firmi opus habent, ut praemonstratum est, quid non egeant infirmi? Deinde si morborum caussa est victus, *lib. de nat. hum. & lib. de diaeta*, cur non sit sanitatis? Porro utriusque rei fomes & materia cibatus est. Tertio si meliores quidem animos facit diaeta, ut iisdem modo citatis locis docuit Hippocrates; quid non & corpora, quae malè valent? Sive enim addere, sive subtrahere sit opus corpori (quae duae medicae rei sunt integrantes partes, non aliae, teste Hippocrate *lib. de flatibus*) utrumque valet efficere victus ratio. Cui quidem rei tantum crediderunt antiqui Medici, ut ex hujus primaria professione *Diaeteticos* se nominare quasi gestiverint, & gloriati fuerint. Noster verò Hippocrates invisam Cnidiam medentium sectam, alio nullo no-

nomine labefactare nixus eſt, quam neglectu abuſibuſque diaetae. Ipſe autem nulla ex re gloriam majorem adeptus videtur, quam una praeceptione conſtitutioneque diaetae, quae nulla pene fuerat ante ipſum. Quae ſi vera ſunt in omni communiter medicina, & in internis partibus corporis medendis, in quibus praepotens & vigens calor noxas evincere facilius valet; quid non in externis ſint veriſſima, in quibus particulis hebetior & ab aëris injuriis perfractior eſt idem? Itaque tanto majori cura ſervanda in his cibi potuumque ratio eſt, quanto major eſt difficultas in his. Quo rei uſu quave neceſſitate conſtante, tanto acrius accuſandi percellendique ſunt noſtri homines, qui in curandis hiſce vitiis corporis nullum prope victuum, potuumque, diſcrimen faciunt: ſed, quemadmodum nulla diaetae virtus operatioque foret, ſic iſta negligunt & contemnunt. Quae cauſſa fuit atque eſt, ut nos de Chirurgiae vera forma conſcribentes hiſce libris ſermonem de diaeta peculiarem, contra quam unuſquiſquam ſcriptorum ante nos fecerit, inſtituerimus. Injuriam enim tantam, quae digniſſimae rei fit, & incommoda, quae quotidie luunt aegri ex malo vitioſoque vitae praeſcripto, piaculum prope ſit non animadvertere hominem qui poſſit. Amabunt itaque de hac nos miſeri languentes, quod eorum ſaluti non oſcitanter proſpiciamus, ſi maleferiati quidam Medici ſuis ipſorum animadverſionibus invideant. Sed nihilominus invidere non debebunt, quando tam ſtricte quilibet unus judicii ſui interioris & conſcientiae, ſi Chriſtum admonentem audimus, tenetur. Eja igitur timor omnis & verecundia ceſſet, non quidem & artis ſinceritas & in egenos humanitas.

M. AU-

M. AURELII SEVERINI MEDICI PHILOSOPHI, TRIMEMBRIS CHIRURGIA



CAPUT I.

Exordium à via doctrinæ.



HIRURGIA, *est scientia vitæ medendi, quæ est per manum, perque conjunctam*, ubi opus est, *diætam & pharmaciam*. Hæc porro definitio tradita nunc secùs, quàm in proximo superiori libro fecimus, chirurgiæ quidem est, quatenùs docetur, non aliter quàm usurpasse diximus alibi Dinum Florentinum, & Guidonem Cauliacensem. In hoc autem tenore definitam voluimus, quod genus prædicatum in methodo definitiva, qua utimur, maximè commodum visum est ad plura comprehendenda, quibus eruditus chirurgicæ, qualem nos instituimus, opus habet.

Definitio chirurgiæ [illegible] doctrina subjacet. Futa *de Idea chirurgiæ*. Dinus Florentinus. Guido Cauliacus.

Quoniam igitur scientia est tractandarum operarum ex manu, conjunctisque sicubi opus est, victu & medicamentis subsidiariis, sicuti modo dictum est, & in *libro de Idea* monstratum, ex eo præsertim, quod ex Laurentio Jouberto retulimus: horum singulorum normas & regulas profert utendorum, quasi dixeris conjunctam esse *artem*, sive τέχνην, ut ait Galenus, opificio: placuit tamen *scientiam* nominare ad exprimendam clarius facultatem. Itaque ex hac hypothesi debet chirurgus, ut agendi sit opifex inculpatus, rationem nosse agendorum: quæ certè sunt duorum generum. Nimirùm *chirurgia* vel *sola* sufficit ad sanandum, quatenùs ipsa est, vel adjutrice utitur *diæta* & *pharmacia*. Utrum sit, faciendi

Conjuncta cum aliis adjumentis medela chirurgica. Laur. Joubert. Galenus. Chirurgia vel sola interdum in operando est, vel ad-

jutrice utitur diæta & pharmacia. ciendi semper & utendi desideratur consilium; quod in doctrina *præceptum* dicitur. Præcepta igitur, & in chirurgia ipsa, & in diæta pharmaciaque, quibus utendum sit, tradentur in hoc toto commentario. Priùs autem, exposita jam

Ordo tractandorum. chirurgia, suo jure de diæta, mox de pharmacia, sermo erit.

CAPUT II.

Singularis quorundam hominum, victum externis vitiis mederi inficiantium, explosa opinio.

CHIRURGIAM usu conjunctam esse cum *diætetica* & *pharmaceutica*, nec sine his finem sanitatis attingere universim posse; satis, ut puto, *libro de individuis medicinæ partibus* ostensum fuit. Nempe medicus, qui non separatur à chirurgico, hoc est, qui utraque unus medendi habet officia; ad sanitatem restituendam tribus promiscuè utitur in-

Chirurgicus legitimus omnibus medicinæ præsidiis instructus esto. strumentis, *diæta*, *pharmaco*, & *manus opera*. Itaque debet ipse, si per principem chirurgiam sanaturus est hominem, victus simul, & medicamenti præsidiis instructus esse. Quòd si hæc omiserit, aut ignoraverit; faciat ut is, qui cum tribus variæ formæ clavibus aperturus sit ostium, una confidat

Simile. reclusurum. Quam nobilem quidem dementiam nemo non cognoscit: nihilominùs ex omnibus, qui medicinam superioribus seculis tractarunt, non defuerunt, qui dicerent, posse solis sed egregiis medicamentis, commodè manu admini-

Unica medicamentorum fiducia Paracelsus diætæ vim abstulit. stratis, externum omne vitium propelli. Hujusmodi, sicut *alibi* retulimus, jam pridèm fuit Theophrastus Paracelsus, qui medicamentis suis admirabilibus confisus, omnem diætæ virtutem in curandis morbis derisit; dixitque *medicorum hoc*

Contradicit sibimet ipsi Paracelsus. *commentum esse, ne, dum, quod facto opus sit, ignorant, ipsi nihil agendo in contemptum venirent.* Hæc ille *lib. 7. de morbo*

Communis & Leonardo Floravanto ea sententia. *Gallico*; licet *in opere chirurgiæ minoris tractatu 2. cap.* 1. mutato, nescio qua mentis levitate, consilio, apertè sibi contradixerit. A quo non dissimilem sententiam amplexus est Leonardus Floravantus Bononiensis, vir, qui meo quidem & melio-

meliorum judicio non ſit contemnendus, ut in cenſuram accipi non mereatur. Hic etiamſi ſuis in ſcriptis omnibus, & in tota ſua medica doctrina Theophraſti nunquam meminerit, ambitionis fortaſſe cauſa, quo principem ſcholæ locum atque auctoritatem lucrifaceret: nihilominus dubium non eſt prudentioribus, Felſinatem hominem ab Helvetio accepiſſe, reique ſummam habuiſſe. Sunt item aliqui, qui aut auditorem hunc Theophraſti, aut in collaborandis medicamentorum compoſitionibus adminiſtrum fuiſſe, adſeverent. Quam ſuam opinionem, quia non eſt unde confirment; præſertim quando difficile coire ſic utriuſque ratio potuerit, propterea non recipio. Tantùm opinor eo quod non longe fortaſſe à Paracelſi temporibus extiterit Leonardus, potuiſſe, hunc excogitatorum laudem ſibi arrogando, nomen Germani hominis ſupprimere: & eo amplius, quod hic patria ſua lingua, Italis obſcura, ſcripſiſſet. Sicut accidit ex priori cauſa, non multum ante patrum noſtrorum memoriam, de tribus internæ auris oſſiculis: quorum primam è tenebris evocationem & Philippus Ingraſſias Neapoli, & Bartholomæus Euſtachius Romæ, viri ſuppares ſibi tribuentes, pariter auctores ejuſdem rei ſe fecêre: incerta etiamnum re, utri ſit attribuenda ejuſdem rei repertio. Sicutque etiam, ut de poſteriori cauſa dicam, accidit damnatæ memoriæ aliquot ſcriptoribus, quorum nomen cum in obſcuro eſſet, alii ſibi libros & gloriam uſurpavêre.

Faſtus & ambitio Floravanti.

Unde ea ſententia Floravanto ſubierit, diſquiſitio.

Quo pacto Paracelſi laudem ſibi feliciter arrogaverit Floravantus.

Philippus Ingraſſias, Bartholomæus Euſtachius.

Utcunque Leonardus hanc ſententiam de chirurgiæ uſu atque neceſſitate protulit: quæ in duas partes dividi poteſt. *Prior* nihil omnino diſcrepans ab illo, quod profeſſus eſt Paracelſus: nimirum *naturam primam & maximam ſanandi opificem, minimo minus exſectionibus, uſtionibuſque juvari, ſed ſolis medicamentis artificioſè confectis.* Sunt autem hæc maximè chymica, id eſt, elaboratiore, exquiſitioreque ignis prolectu, parata. Hæc igitur duorum communis eſt ſententia, quæ quantùm vero contradicat univerſim prolata, abundè nos antè *lib. de Idea chirurgiæ cap.* v. diſputavimus. Sequitur propoſitæ theſis *pars altera*, quæ eſt: *vulneratis ſine periculo & indolenter ſanandis ſatis ſunt medicamenta illa admiranda; quæ noſtra*, inquit, *ſunt norma parata, citra penicilla, immota,*

Bipartita hæc opinio.

Medicamenta Chymica quæ?

Altera pars theſis.

Vulneratis ſufficit medicamentorum præſtantium uſus.

Fundamentum opinionis.

ta, atque alia hujuſmodi interjecta, citra tot corporis expurgationes, ſanguiniſque detractiones, citraque victus tenuis obſervantiam. Nam hic neque *vino* interdum, neque *carnibus* parcit, *quæ duo*, inquit, *ſupplendo effuſo ſanguini ſerviunt, conſervandis naturæ viribus, & agglutinationi. Nimirum inanitiones ad affligtandum genium, deterendaſque potiùs corporum virtutes proponuntur, quam ad ſubſidia languentibus ſubminiſtranda.*

Conſenſus cum his hominibus poëtarum & Homeri.

Hæc univerſa Leonardi fuit ſententia, quam aut plus explicavit ipſe, aut minimè ſatis, ut debuit, expreſſit Paracelſus. Licet etiam ante iſtos poëtarum, principiſque Homeri, veterumque omnium, ſimilis fuerit medendorum vulnerum chirurgia. Etenim *Iliados* x. Machaoni poſt deligatum ſibi vulnus polenta cum caſeo, melle, vinoque Pramnio præbita eſt.

Thomas Bovius hujus quoque opinionis homo.

Viam quoque Theophraſtæam tenuiſſe non mediocriter viſus eſt Zephyriel Thomas Bovius *in ſuis contra putatitios medicos diſputationibus.* Neque nituntur iſti firmamento alio, quam medicamentorum ſuorum admirabili, ut dicunt, valentium fiducia. quibus unis virtutes attribuuntur omnes, quas alienæ factionis medici non habent, niſi ex multis diverſorum generum medicamentis; quorum hæc ab inflammatione tueri, & à dolore vendicare, hæc expurgare, ac detergere, hæc ſaniem & excrementa exſiccare, hæc carnem implere atque agglutinare, hæc in ſumma partis offenſæ temperiem conſervare, modiſque omnibus juvare poſſunt. Ad ſummam polychreſta, ac polydynamia eſſe artis adjumenta, *Dei manus* nomen merentia; ſicuti bona medicamenta vocare ſolitus erat Herophilus. Hæc autem aut his ſimilia de ſuis medendi inſtrumentis prædicant iſti, & hæc iſtorum de victus ratione eſt velitatio. Quam hominum opinionem operæ pretium expendere duximus hoc loco; in quo cùm de diætæ per omnes fere chirurgiæ operas neceſſitate diſſerendum ſit, hujus abolendæ majores hoſtes aut alios non invenimus, quam iſtos; quos tamen refellere non erit difficile. Incipiam autem iſtis ſic occurrere: Si ita eſt, omnis iſtorum ratio in virtutibus medicamentorum eſt. Hæc autem ſi talia eſſent, aut credi poſſet talia eſſe; utique tam fatui non eſſent profeſſores, qui nunc ſunt, aut qui fuerunt, ut tantis ipſorum dotibus renuntiarent. Sed nihil ex omnibus tam promtum aut tam ineptum eſt, quàm commendaſſe ſua: nihilque

Quæ promittuntur chymicis hominum medicamentis.

Depulſio contrariarum objectionum.

Parum probabilia iſtorum jactata.

hilque mentes tam blandè fallit, quàm noſtra de noſtris opinio. Ferméque hæc ut perſpicilla quædam eſt, quorum interventu minuta quæcunque corpora majora apparent. Vidi equidem, cum ex his felix effectus non eſt, præparationem medicaminis ſtatim accuſari. An igitur, ut gladius Rolandi, aut Scanderbechi in hujus duntaxat manu tam miræ facultatis erat ad pernecandum; ita hæc illis adminiſtratoribus valent ad ſalutem hominum ſervandam? Utinam autem tam probatæ, tam planæ utilitatis eſſent illa, quæ & ægrotantium & medentium votis reſponderent, nec ſimilia eſſent, ut lapis philoſophorum, & univerſalis unius magnæ, quam dicunt, medicinæ commenta: profectò tam iniquus aut tam maligni animi non eſſet ullus homo, qui ſingularia hæc hominibus beneficia, plurimamque ſibi & arti gloriam poſſet invidere. Sed ſint tamen hæc aliquando, quæ neque à nobis intelligantur, neque cognoſcantur, id eſt, maximè præſtabilia, virtutiſque plena: nihilominùs ſuum non tollent *diætæ* locum, neque uſum; qui ipſe tam conſtitutus, tam firmè requiſitus eſt profectui ulcerum ſua natura, ut nihil magis. Itaque ſententiam dicam equidem ſemel: tam neceſſariam puto vitæ congruam rationem ulceribus, ut mirum ſit hodie nulla in re negligentiores eſſe medicos, quam in vivendi modo præſcribendo; cum cuique abſtinentia bene ſervata nulla res ſit fructuoſior, atque eadem contempta peſtilentior nulla: ut non mirer equidem Aſclepiadem tam *diætæ uſibus* confiſum fuiſſe, *ut citra pharmaciam, ac ſola victus temperantia, morbos omnes curandos eſſe ſenſerit.* Et de fructu quidem, quamquam hæc ipſa non eſt verè, per quam unam reſtituatur homo; tamen compertum eſt, non reſtitui per alias medendi rationes grave aliquod malum, niſi ſuus adſit vivendi modus. Quam ob rem appoſitè Galenus in *l. d. uſu theriaces ad Pamphilianum* ait: *nullum tam efficax remedium medicina habet, quod ſolitum auxilium afferre queat, ſi victus ratio vel reſiſtat, vel non adjuvet.* Sed equidem hujus omiſſæ nocentiam talem puto, ut quale venenum eſt corpori, talis victus ſcientia ſit ulceri. Namque ſi toxicum vivendi fomitem, qui calor eſt ingenitus, interſtinguit; etiam in morboſo corpore languentem ejuſdem vim exolvit: id quod etiam

Noſtra de noſtris opinio quam potens, à ſimili demonſtratum.

Rolandi & Scanderberchi gladius.

Lapis philoſophorum.

Conceſſio.

Noſtra ſententia.

Aſclepiadis inſtitutum quaqua parte laudatum.

Victus ratio neque ſola ſemper ſanat, neque ſine ipſa rationes aliæ.

patebit magis, ubi influens alter calor remissior est, quàm ut totum undique corpus defendere vel resistens repellere possit injuriam: in debilissimis scilicet, in morbo confectis, in viscerum aut habitus corrupti hominibus, in senibus decrepitis, in omninò vitiosis morboque obnoxiis corporibus, præsertim iis, quæ morbosa; ut semper nominat Galenus *in arte parva*. Jam autem si liquidè velis agnoscere, quàm nocentissimus sit ulceribus, & id genus malis vitiosa victus ratio: apparentium tibi fidem atque experientiam considerandam proponam, quæ nos hæc docuêre, cum exlex est usus rerum decumbenti: nam in longum produci solent vitia, & nunc carunculæ putres fungosæque in ulcere gigni; nunc calli, aliæ sordes, alii tumores adnasci; interdum molestia & dolores urgere, interdum inflammatio circa locum, atque interna febricula. Taceo, quàm fœdus ulceris habitus quandoque, calor alienus, & fœtor subsequi soleant. Hæc atque alia luat ægrotus necesse est, qui nimiùm cupiditati indulgens saburrat ventrem, nec imperat ganeæ: contrà, qui se moderabitur, & in gulam exercebit imperium, & brevi liber evadet, & ea, quæ modo dixi, mala minimùm experietur, sedatè aget, levis erit interdiu, somno perfruetur, & relevabitur noctu, tutus ab insultu morbi tacitè vires amplificabit suas. *Neque enim*, uti testatus est Celsus *lib. 2. c. 16. ulla res magis adjuvat laborantem, quam tempestiva abstinentia.* Ad omnem igitur modum si summam rectè subducimus, & maximè benefaciens, & æqualiter incommodans ex usu cognoscetur *diæta*; sic, ut eam comparare possis linguæ, proprio eloquentiæ instrumento, qua cœtus hominum perdi iniqua suadente, & eosdem construi, recta proponente, monstratum aliquando à sapientibus est: vel comparare possis plantæ, quæ modicè comesa nutriat, immodicè vero devorata sit venenum; lactucam hanc vult Plinius: vel comparare possis Phrygiæ fluvio vocato Gallo,

Ostensio necessitatis diætæ cum chirurgia conjungendæ. Improbi victus incommoda,

Celsus.

Nil melius lingua in terris, nil pejus eadem est.

Plinius de lactuca.

De quo si bibas modicum,
Medetur malis corporis;
Si absorpseris insobriè, te absorbebit
Adusque, ut agas animam
Non bibiturus iterum:

in-

inquit Jordanus Brunus Nolanus. Referam nunc & observationem meam, quam usu longo comparavi, dum in nosocomiis ingentem ulcerosorum numerum curo Neapoli. Res est auditu jucunda, ut deliquentes in victu deprehendere solitus sum, non homines tantum, & tempus, sed & modum, & quantùm ipse peccaverat distinguens. Quod cum nonnullis visum fuerit mirum; nihilominùs non est difficile, si quis aliqua animum adverterit. Adeo scilicet promptè & facilè immutantur ulcera ad ingestorum modum. Itaque si quis volet, hæc mecum notabit. *Ejus, qui delinquit, caro ulceris quadrupedis mactati carnem referet, quæ fuerit aqua macerata; respondens scilicet affectus communi causæ. Namquè diluitur ex assumptorum fluore ulcus, quemadmodum ab aqua macerata caro. Contrà evenit ei, qui ventrem castigat contentusque est cibo vivere pauco. Namque ulcus huic prærubrum ac nitidum, tersi corallii modo, ac quasi petasonis caro, contractum in se ipsum videbitur atque compressum.* Mitto pus, quod probatissimum erit, ut in Celsum *lib. 6. c. 26.* descripsi. Verumenimverò cum tam multa adversus istos produxerim, tuebuntur se Leonardus & isti ulcerum manantem saniem causantes, dum noster est medendi modus; *sub suis verò medicamentis, quæ naturam roborant, & simillima sunt substantiæ partis, subinde facere, ne quid excrementi producatur.* Quibus nos contrà occurrimus promptissimè inficiantes eam medicaminum cum natura nostra familiaritatem, atque virtutem. Nam si tanta ac talis esset istorum prærogativa, profectò & cancrosi, & syderata, & putrescentia cuncta restituerentur, neque his ullum non concederet vitium in humano corpore genitum. At verò nos istorum balsamelæa vidimus, & experti sumus, & saniei nihilominùs proventum ulceribus non adimentia, & jactatorum pauca præstantia. Veruntamen id non negamus, in recentibus carneæ substantiæ plagis pleraque istorum glutinantia esse, ut veterum medicamenta enæma: sed interim, si aut cacochymicum, habitusque corrupti sit corpus, aut esculentorum potulentorumque liberior sit modus; communem hæc sentient consolidationis difficultatem, parumque referent ex medendo profectus. Quare nasuti manserint ab expectatione homines, qui præsentibus tantùm affixi, futurorum

Jordanus Brunus Nolanus.

Observatio nostra.

Contemplatio ulcerum indicantium præter-gressam diætam.

Celsus.

Defensio chymistarum.

Occurritur argumento superiori.

Confutatio postrema.

rorum nihil ſint providi. Poteſtne autem tanta in medelis ſimilitudo eſſe naturæ, ut ſingulis ſatisfacere queant? Hoc utique impoſſibile factu eſt, etiamſi cogitatu ſit facillimum.

Quæ ſi vera ſunt, ut profectò ſunt veriſſima, cadit jam fortis Paracelſicorum medicamentorum facultas, & ciborum abſtinentiæ ſuperior poteſtas apparet.

CAPUT III.

Diætæ neceſſitas in exteriorum medela oſtenſa.

Quæſtio. VERUMENIMVERÒ ut, quæ diximus, ex ſuis principiis pleniſſimè cognoſcantur; eſt noſtræ diligentiæ, non inexplicatum relinquere, & *quibus de cauſis tanta in ulceribus adducendis abſtinentia victus ſit, aut*, ut dicam rectiùs, *virtutis neceſſitas*: id eſt, *cur demùm omnibus ulceribus plena atque humida victus ſpecies incommoda ſit, tenuis verò & ſiccior cur proficua:* quæſtionem quidem & rem à nullo hactenùs medicorum tractatam, ſed à nobis primùm & adverſam & diſputatam. Fiet igitur illud. An quod humidum fluentiorem facit materiam excrementorum? humidum enim terminatur
1. ab aliquo quocunque, ſiccum verò à ſe ipſo.

An quia qua data porta ruunt humores? laxat enim humi-
2. dum meatus, quos ſiccum conſtipare ſolitum eſt. Ruuntque etiam ipſi, cùm maximè ſunt acuti, exuberante humido ciborum & potuum. Succedit autem facilè per has partes exitus, quæ ſuapte natura corporis univerſi ſuſcipiunt excrementa. Non aliter ſanè, quàm in noſtratibus phaſelis & naviculis, in quibus affuſa quantalibet, & undicunque aquæ portio ſentinam infimam conſentientiſſimo viarum ductu, gravitatiſque interim nutu petit.

An propterea, quòd cutis inter omnes alios uſus hunc u-
3. num habet eximium, ut internè ad habitum corporis excurrentes humores & ſuccos retineat, & quaſi cohibeat, qui alioquin facile diffluerent atque extruderentur? Sic igitur ut defectus cutis cauſa eſt exudantis ſeroſi humoris, multò magis in ægris: quemadmodum in plantis ac fructibus, inciſis ho-

horum partibus continuò dissultat utilis humor, nec desinit, dum obducatur crustula, plantis verò dum occallescat sectura. Quamobrem divinè Hippocrates in *lib. de ulceribus* statim initio, *siccum sano proximum est, sanumque est ipsum.* Itaque judiciosè quidam, ad sananda plana ulcuscula, utuntur obstruentibus, ut obducatur paulatim cutis, atque adeò in ambustis, & erysipelatis exulceratis utuntur bolo Armena; quam in omnibus unguentorum ad ulcera compositionibus immiscebat Julius Jasolinus, præceptor meus.

Hippocrates.

Bolus Armena cum fructu immista cunctis medicamentis ulcerum.

4. An ratione debilitatis, qua pars multam advenientem materiam, sive excrementitiam sive utilem iniquè suscipit, modicique calidi jacturam facit, & intemperatur ita, ut neque concoquere neque adsimilare eamdem queat? Quocircà dictum ab Arnaldo est *doctrina 5. c. 18. alimentum attractum & non incorporatum, in saniem convertitur, & ideo vulneratis obest superfluitas alimenti.* Id quod videtur desumptum ab Avicenna in *primo ipso sermone de Ulceribus*, dicente: *non fit pus nisi propterea quòd cibus, qui venit per locum, convertitur ad corruptionem propter debilitatem membri; & quoniam propter debilitatem resolvuntur ad ipsum, & attrahuntur versus ipsum superfluitates membrorum vicinantium ei.* Adeò quidem ulcus enarratur per saniem, hæc verò per corruptum alimentum in parte proveniens: hoc autem quæso, quo pacto corrumpatur magis, quàm per adjunctam multam humidi plenitudinem?

Arnaldus.

Avicenna.

5. An quia quantò plus advenit alimenti partibus, tantò plus excrementi provenit? hoc autem refusum adfluenter pessimè locum inficit & labefactat? Porrò scriptum est ab Hippocrate *lib. de nat. hum. Ulcus cum diu agglutinari nequit, humiditatem ejus rei causam esse.* Necessarium itaque est, ut siccius sit totum corpus, ut siccior & ipsa sit pars, ad ulceris agglutinationem.

Hippocrates.

6. An quòd ulcus natura humidum humidiore accedente victu fovetur, augeturque ejusdem vitium; quemadmodum arentibus jam plantis, affusa aqua, statim exsurgit collapsus vigor? Non tantùm autem pars ulcerata, sed & quæ juxta est, madescit, & circumtenditur tumore sive flammeo sive secùs; citrà cujus sanitatem neque sua ulceri evenire potest exsiccatio, glutinatioque. Hæ porrò victus humidi reprobandi sunt causæ.

Simile.

7. Probatur verò ad ulcera victus tenuis, (ut quidam profectò non contemnendæ vir auctoritatis adnotavit) quo natura fiat avarior ad distribuendum id, quod uni sibi vix sufficit. Quippe vacuus ventriculus ex circumstantibus undique partibus attrahit, sic, ut longa consequutione peripheria corporis inaniatur. Deinde etiam, ut castigentur humores improbi assidua naturæ super his vacatione, quæ à ciborum copia revocaretur atque impediretur. Idcircò *morbi quicunque ulcera fiunt, & super reliquum corpus eminent; eos simul medicamentis & fame curare oportet*, ut conceptis verbis pronunciavit Hippocrates in *lib. de loc. in hom. particula* 47. & *ibidem inferius: elevatam aut levem carnem cibis gracilem reddere oportet.* Secus autem, cùm dicta cacochymia plurimum laborent ulceratorum corpora, maximum ex pleno humidoque victu sensuri sunt incommodum; testimonio ejusdem Hippocratis *lib.* II. *aphor. 9. quòd impura corpora quantò plus nutrias, tantò magis lædas.* E contrà Jacobus Carpensis *in eo*, quem scripsit *de fractura calvariæ, nemo unquam ægrotus*, inquit, *ex fame atque abstinentia mortuus est.* Meminerimus enim à Galeno docti *primo aphor.* 4. *nutriri per nos quidem ægrotantes, non morbi gratia, verùm ut vires serventur solum.* Morbi quippe curatio tantùm abest, ut victum exigat, ut potiùs deprecetur ac recuset, quandoquidem ab hoc plerumque aliquid fomenti capit. Plutarchum, virum per omnia gravissimum, audi, qui inquit in *lib. de tuenda valetudine: Quemadmodum florum odoramenta per se sunt parum efficacia, si verò oleo admisceantur, vehementiora: sic & morbos, si humorum abundantia non adsit, facile evanescere; si adsit, difficiliores fieri: & corpora humore vacua suberis in morem ob levitatem emergere, & navis instar, quam gravis mercimoniæ sarcina non premit, in sublime ferri, & tempestatem evadere.* Ex lethali autem vomica quo pacto non maturè decidisset, & se conservasset, Jason Pheræus tam diu, donec fortuita medicina venisset, nisi continentiæ præsidio? quam exactè huic servatam scribit Plinius *lib.* 7. *cap.* 50. & Plutarchus *de utilitate ex inim. cap.* Quamobrem non insulsè dicere equidem soleo, *victus parcitate, mala, quæ procedere debebant, retrahi.*

Eustachius Rudius. Hippocrates. Iacobus Carpensis. Galenus p. 27. Plutarchus. Similia quædam. Historia ex Plinio.

8. Postremò, an quòd partes omnes robustiores, cùm vitiosus

ſus humor corporibus ſubeſt, ſubinde occaſionem capiunt hunc debilioribus transmittendi? Habet ſe enim in humano corpore, ſicut in oligarchia, ſub qua qui plus poſſunt, eos, qui minus potentes ſunt, opprimunt. Ex his porrò cauſis apparet, *incommodiſſimum & veneficum eſſe ulceribus humidum victum.*

§. 1. *Pleniuſculus, ſed non humidus victus, an ulceribus ſit commodus?*

Rurſus & altera quæſtio ſeſe offert ex ſuperioribus nata; *num multus ſed qui non humidus eſt victus, rectè detur in ulceribus?* Cui quæſito, etiamſi dilatari diſputando poſſet, breviter ſatisfaciam. Nimirùm ex his, quæ ante diximus, decretum hujus non difficile habetur. Sed ita de hac re clarius. *Humiditas* univerſim eſt *duplex:* evidens & in ſubſtantia fluxili extenſa; *actualem* hanc vulgò vocant: vel eſt ratione tantùm contemplabilis, & quæ dicitur in *potentia.* Porrò tametſi formalem humiditatem ulceribus rectè curandis maximè caverimus; hæc certè plurimum eſt incommoda, quæ cumulata ſuis numeris & tota ſui abſolutione officit, & eo ampliùs, quòd non deſint in ea etiam, quæ potentialem contineant humiditatem: nihilominùs liquidum excellenter humorem haud ſolùm accuſandum voluimus; alterum qui multa in materia latitat, fluori memorato æquivalentem etiam fugiendum ſentimus. Profectò cibo vi ventriculi liquato, par ſanguinis eſt materia: huic autem & copia multa procreato reſpondet & multa ſuperfluitatum copia. Nempe & cibis putatis non humidis nonnulla etiam eſt aqueæ materiæ portio, naturæ condentis opificio commiſta. Quas ob res nihil eſt, quod ſolam apparentem victus humiditatem declinemus, cæteram facile concedamus. Utraque ſuis formis modisque nocet. Quare & modicus, quantùm fieri poteſt, cibus ulceribus curandis ſemper eſto.

Humiditas alimenti duplex.

§. 2. *Diſputatio de vino, an utile ſit ulceribus.*

Expoſitis jam de humido ſiccoque victu, qui ulceribus debetur, ſententiis; *de vino nunc eſt altera diſputatio,* utrum id

id legitimè præbeatur in ulceribus vetustis sc. & longè se servantibus ab inflammatione ac fluxione? cujus utriusque nomine æquè in his ejus usum commendavit Hippocrates. Nam vinum fervere humores facit, agitatosque hos ducit ad locum affectum, languidiorem alioquin & minimè resistentem; de cujus natura est, semper à vicinis recipere, ut mecum consentit Vidius in *commentar. lib. de ulceribus Hipp. particula prima*, & multò antè Galenus in *lib.* 3. *de medici officio*. Non solùm autem, ut dixi, per accidens ducit vinum ad partem obnoxiam omnes humores & superfluitates; quemadmodum in podagra evenit eadem de causa. Adhuc in vetustis ulceribus herpeticis & minutis, experientia probatum est excitare atque augere symptomata. Item in psora, & elephantiasi, & ulceribus crustosis, quæ sunt diuturna, vinum minimè conducit. Sic autem ostendi potest.

Hippocrates. Galenus.

1. Nullum omninò humidum convenit ulceri. Vinum quidem est humidum etiam potentia, quia auget sanguinem in venis, qui quidem natura est humidus &c.

2. Deinde cùm vinum magis nutriat, quàm aqua, quæ non nutrit, sed solùm vehiculum alimenti est, plus etiam excrementi producit, quod ulceribus incommodat, glutinationemque ipsorum magis morabitur atque offendet &c.

Vinum ad aquam comparatum.

3. Avicenna *fen.* 4. *lib.* 1. *cap.* 2. conceptis verbis expressè dicit, *vinum* (& de diluto loquitur) *esse in humectando summum*; quod repetitum quoque est in *lib.* 4. *in c. de curat.* 3. Imo, quod gravioris est momenti, idem *in eod.* 4. *c. de cura hecticæ*, sic humectativum ponit vinum, ut velit potandum hecticis.

Avicenna.

Hæ quidem aut similes de vino in curandis ulceribus abstinendo rationes esse possunt. Quibus tamen nihil impedientibus, affirmo concedendum esse, nisi causa aliqua calida vetet, ut inflammatio, ac præterea dolor, posito etiam, quod diuturna sint ulcera. Quæ sententia confirmatur.

Concedendum esse vinum ulceribus probatur.

1. Primum *vinum siccum est facultate*: igitur & internè convenit ulceri sanando potum. Assumptum verò suadetur per id, quod Galenus 3. *method. med.* statuit, *nullum humidum sive per se, sive per accidens commodum esse ulceri. Alias* verò professus est ex Hippocrate, *vinum benefacere ulceribus.* Igitur

vi-

vinum neque per se, neque per accidens humidum erit, sed siccum facultate. Quare &c.

Deinde id, quod facit sanguinem dilutiorem & solutio- 2.
rem, minùs adstringendo atque agglutinando ulceri valet. Enimverò *aqua* facit solutiorem, *vinum* verò *viscidiorem atque adstrictiorem.* Indicio est, quòd manus ex eo lotæ constrictionem & viscidit atem sentiunt. Quantò magis internæ partes? Igitur vinum adstringendo atque agglutinando ulceri magis proficit quàm aqua.

Confirmavit hoc bellè Arnaldus *lib. de regim. universal. doc-* 3.
trina 5. *aph.* 6. ubi dixit: *festina consolidatio vulnerum potissi-* Arnaldus.
mè causatur à sanguine paucæ aquositatis, quapropter aquosos potus vulneratos convenit evitare. Licet autem de vulneratis homini sermo sit, nihilominùs par est ratio & fortasse major ad ulcera. Denique mitto, quòd implendis ulceribus aproistatis vinum modicè potum prodest, ut *c. de sarcoticis* censuit Hollerius: & multò priùs Hippocrates *l.* 2. *epid. sect.* v. *p.* vinum concessit homini fracto capite, multò igitur magis vetustis ulceribus.

Iam igitur hæc cùm abundè declarent, proficuum esse vini potum ulceribus: cæterùm ad objecta, quæ contrà sententiam hanc opponuntur, occurri potest ad hunc modum.

Primum ad primo loco propositum, effecta illa esse vini Depulsio 1.
meri. Nos verò dilutum volumus, & pauciferum: & ad se- 2.
cundum verè dicimus loquutos nos semper de ulceribus absolutè, non de his, quæ cum causa conjuncta sunt calida. Ad 3.
tertium major exigitur respondendi prudentia; sed tamen ut adversarii causa non sit felix. Quamquam enim sanguinem in venis auget secundùm quantitatem, neque per hoc est humidum, nisi per accidens, & secundùm quid. Nam & secundùm qualitatem etiam eundem afficit, qua & ipsum affectum est, puta calida ignea. Hanc enim ei tribuerunt, & Hippocrates.
Hippocrates in *lib. de rat. victus in acut.* & Galenus in *com-* Galenus.
mentar. ejusdem operis particula 20. & Plato in *lib. de legibus*, Plato.
ubi pueris vino interdicit, & Aristoteles in *sect.* 3. *probl.* 7. Aristoteles.
omnium verò primò Homerus *Iliados* 5. αἴθοπα οἶνον dixit, Homerus.
ardens vinum.

Ad quartum dat nobis mutuò resolutionem Dinus *scribens* 4.

Dinus. 4. *in id loci* hanc diſtinctionem; *vinum quidem ſubſtantiæ ſuæ forma actu humectare, atque etiam materia, quandoquidem ex eo promptiſſimè procreatur humor; cæterùm complexione non item, ſed hac habet exſiccare; quippe ratio dignoſcendi rem humidam* Galenus. *aut ſiccam non ſumitur, niſi ab effectu*, ut 3. *de temperamentis* adſtruit Galenus. Atqui vinum ſive intrinſecùs ſive extrinſecùs affuſum exſiccat, hoc confirmante Galeno 3. *method.* il- Avicenna. lud verò confitente Avicenna, quam *tractans curationem paralyſis præcipit in calce cap.* exhibendum vinum: id quod certè non feciſſet, niſi opinatus, vinum conſumere atque exſiccare humiditates corporis & nervorum. Sed quoniam ratione magis quàm hominum auctoritate oportet agi, non deſunt certè

Unde & quibus argumentis vini calor cognoſcatur. argumenta, ex quibus apertè cognoſcatur illius calor: videlicet ſenſus ejuſdem calidus, & ore & ſtomacho accepti ſapor acris; & acutus, nec non amarus: odor fragrans, remorſus: aperiendi, deobſtruendi, pruriginem, ſudorem, æſtum, audaciam, & venerem excitandi virtus. unde autem aqua ardens eliciatur, quàm à calido? unde rurſus eſt inebriatio? quàm ab effuſione ſpiritus ejuſdem plurimi, à vapore diſtincti? Quibus de cauſis ſi calidum igneum, continuò & ſiccum eſt facultate. Indicio inſuper eſt, quod & carnem humidam & mollem alioquin cicatrice obducit. Quam rem & vulgus

Vulgi enunciatum. novit, qui dicunt *vulnus affuſi vini uſu occalleſcere.* Quæ cùm vera ſint omnia, nemo erit me judice, qui potandum in ulceribus vinum deneget, aut qui liberè ac tutò non concedat, dummodò & vetuſta ſint eadem & calido cum affectu non conjuncta; quem & præſentem & imminentem vereri debemus. Et

Hippocrates. in recentibus quidem cavetur vinum propter inflammationem & conſequentia mala, quæ commemoravit Hippocrates *initio de* Vidius. *ulceribus*, & Vidius *in commentario*, quæ non oportet repetere.

Vulneribus detrimento eſt vinum. Quantùm igitur diuturnis ulceribus curandis non improbatur, tantundèm & in recentibus damnatur vinum. Quamobrem

Ad Floravantum & ad Poëtas. errat (ut ad ipſum jam redeam) Floravantus, qui eo indiſcriminatim utitur: neque defenditur quicquam Poëtis, qui in plagis à filiis Æſculapii faciunt id adhiberi. Nimirùm horum auctoritas in hac re præciſè tanti non eſt, quanti æſtimant.

Natalis Comes. Namque id temporis, ut & Natalis Comes teſtatur, rudi- ter exculta Medicina fuit. Præterquàm quòd Pramnium vulneri-

neribus ex adſtringendo conceſſum voluit Politianus ad *enarrationem in præfatione Homeri.* Quod verò ad univerſum victum attinet, Homerus, ut teſtis eſt Plutarchus, non abſurdè Machaonem, qui neque magnum, neque periculoſum vulnus acceperat in humero, minùs accurato victu facit uti: fortaſſe autem & artem ejus ipſius, qui patiebatur, medici prudenter indicavit. Fœminam autem hanc, quæ id genus victus potusque obtulit Eurypylo, tametſi non reprehenderunt, neque victum immutaverunt Æſculapii filii præſentes; nihilominùs non commendat Plato *de Republ.* qui ruditatem tamen temporum excuſat. Adde, quòd poëtarum, ut quiſque novit, res ut ſe habent aut geſtæ ſunt, non eſt referre; ſed ut admirabiliores videantur, hoc primum eſt eorundem ſtudium. Unde eſt illud perdocti Fracaſtorii in *Syphilide:* & *amantes mira Camenæ.*

Politianus. Plutarchus. Explicatus Homeri locus. Fracaſtorius.

Quamobrem contendentes ex herbarum ſuccis aut aquis, neſcio quibus aut collyriis memorandas orbe ſanationes fecêre; cætera quæcunque adjumenta præter divina illa, nulla deſiderant, aut requirunt.

CAPUT IV.

De duorum Medicinæ inſtrumentorum cum diætæ præſtantia comparatione.

HÆC quidem victus ſecundùm ſe ipſum conſiderati poteſtas eſt: cæterùm cum aliis Medicinæ inſtrumentis collatæ non minor eſt excellentia. Nimirùm utraque ſuperat benefaciendi virtute. Nam *qualem internum principium ad externum habet præſtantiam, talem victus ratio ad impoſita pharmaca & ad chirurgiæ actiones habet.* Atqui eſt victus ut internum principium, ſi rectè inſpexeris. Quamquam enim extrinſecùs ipſe cibus advenit; tamen virtute viſcerum elaboratur, poſtque multos quaſi ſubactus ſanguis efficitur; quo in particulas corporis ſingulas diducto atque appoſito, cum quo copiæ modo exſtiterint collectæ cum illo ſuperfluitates, & recrementa foras in ulcus deſcendunt, & patefacta via prodeunt. Quæ cùm exuberant, haud tantùm hæc corrigere, caſtigareque valent emplaſtra vel ſcarificatus, quantùm hæc illa contemnunt,

Victus ſe habet ut internum principium.

nunt, faciuntque irrita. Sicut in unoquoque communiter morbo humoris defluxio, quæ intercepta non est neque revulsa, junctos medentis conatus impedit atque rescindit. *Omnibus* enim *modis id, quod internè est, prohibet extraneum*; ut notat Aristoteles 2. *de anima.* Deinde quodnam unquam medicamentum, quantumvis generosum atque efficax, non diluatur ac retundatur à præsenti semper humorum illuvie? Quam si velis elicere, foràsque extrahere ejusdem medicamenti virtute, finem unquam non feceris: si verò versùs eandem iveris, intrò repuleris. Hæc cùm de externis medicaminibus dicta constent; parem nunc & de internis sententiam sequendam esse dubium non est. Siquidem enim assiduè contendat medicus, aut catharticis corpus à peccantibus humoribus expurgare, aut excedentia qualitatibus attemperare, aut substantia ipsa putrescentia cohibere; cùm nullus eorum, quæ assumuntur, vel tempore, vel modo, vel genere delectus est, non magis proficiet, quàm si quis consspurcatum continuò vas & infectum continuò detergat identidem. At superabit insuper defœdatus extersionem, cùm hic aut potentiæ virtute aut usu frequentior est. Ita igitur victus incompetens cùm & numero & facultate, quia familiariùs accipitur, superet, multò superior medicamentis sit, oportet.

Aristoteles.

Simile.

Rectè igitur Arnaldo visum est dicenti *in Breviario*, *diætam potissimam omnium esse in curatione cujuslibet ægritudinis.* Ita per medicamenta nullus adversus delinquentem diætam est profectus ulcerum. Atque hæc de medicamenti sive interni sive externi viribus præ diæta. Num autem futurus à chirurgia sit aliquis fructus contranitente eadem, ubi velis dispicere, coge in unum omnes hirudines, cucurbitulas, & scarificatus, & venæsectiones, & quæcunque genera sunt præsidiorum: multò minùs adjumenti ferentia videbis hæc, quàm pharmaciam. Itaque quòd prorogetur sæpe ulceris obductio, id plerumque facit excrementorum copia, quæ importuni nutricatus solius est culpa. Reliquum est igitur, ut si sanandum sit ulcus, & diæta pariter opus habeat & chirurgia. Quæ tamen utraque cùm unum ad effectum conveniunt atque adhibentur, quæri potest & quem efficientium locum habet diæta? Et respondendum est porrò, victus temperantiam

Arnaldus.

Ulceris obducendi mora plerumque à licentiore victu.

Quem ordinem aut causæ locum conjuncta cum chirurgia habeat diæta.

tiam ſub adjuvantibus cenſeri. Nam *princeps utique locus eſt Chirurgiæ, cui primùm cura ſalutis delegata eſt, ſecundus eſt Diætæ.* Comparari autem hæc propè binis manibus poſſunt, quibus utriſque ad evincendum hoſtem utitur homo fortis: & dextra quidem chirurgia eſt, ſiniſtra verò diæta; medicamentum verò, quod tertio loco pono, velut armamentum aut clava eſt, quæ dextræ imponitur: ut enim inſtrumentum à manu motum agit; ita & adminiſtratum ac temperatum ab eadem medicamentum. Atque hæc quidem de trium Medicinæ inſtrumentorum præſtantia, ordine, loco, ſententia noſtra eſt. Comparatio.

CAPUT V.

De ulceroſorum Victu competenti.

Explicate nunc is, qui debetur ulceribus, Victus proponetur, ut quæ per nos inchoata eſt, conſummata ſit doctrina. Hippocrates ergo, qui rationem univerſi victus primus edocuit in loco, qui ſupra citatus eſt *ex lib. de ulceribus, non alium his victum deputat, quam panem, & aquam.* Sed tamen de recentibus huic ſermo eſt. Nam id ipſe ſtatim exprimit *præcavens inflammationem, aut ex hac gangrænam, deinde & convulſionem propter articulos.* Cæterùm verò quod vetuſtioribus epuli genus debeatur, non explicuit. Quare mentem hujus indagare, non alienum à propoſito erit. Sentio igitur in his, qui ſedato laborant ulcerum vitio, niſi aut plenitudo præſertim inſignis, aut ex hac dependens affectio, vel imminens noxa contrarium ſuadeat, carnium eſum non improbari. Præſertim verò *commodiſſima eſt ex his animantibus, quæ agitatiſſimo ſunt corpore, minimumque ſuperfluitatis & recrementi reddunt, cùm bono ſint ſucco:* ut avium montanarum, quæ minimi ſunt roſtri; deinde perdicum, phaſianorum, turturum, columborum, gallinarum, gallinaginis ſive attagenis, & ſi quæ ſunt id genus aliæ. Indulgere autem cùm ultrà volumus, neque non convenit quadrupedem, quæ in uſu ſunt, caro, præter ſuillam, quæ pedibus exceptis vitioſa eſt. Hippocrates. Noſtra ſententia. Carnis eſus ulceroſis conceſſus. Quæ caro edendo ſit commodiſſima.

De ovis, & recenti caſeo non alia fortaſſis eſt ſententia De ovis & magni

recenti caſeo quid ex Hippocratis ſententia ſtatuendum.

magni Præceptoris; qui cùm panem & aquam ulceribus proponit comparatè loquendo, prioremque ſententiam contrahendo dixit (magis recentioribus quàm vetuſtioribus,) horum quidem victum in contraria ratione reliquit, quæ non tenuis, ſed plenioris modi eſt; ſi tantùm, quod principio cavit, nocens abſit humiditas. Itaque fit ut eſus carnis & conſimilium, neque incommodus neque alienus ſit à propoſito noſtri Senis. Quod & fiet verius, cùm aut cava aut ſinuoſa, quod plurimùm evenit, offerantur ulcera. Vacuitates enim carnis quid citiùs compleat, quàm congenea ſubſtantia, quæ ſanguinem uberiùs ſubminiſtrando carnis lacunas impleat, ac reparet ad conſolidatum? Sed obſtat tamen, quòd ex carne pleniſſimi alimenti eſca plurimus eſt proventus excrementi, quod proximè rapitur in ulcus, ut antè dictum eſt. Carnem autem ſi concedimus, & ova denegare non debebimus; præſertim duriora, ut Jaſolino placebat, aphtha Græcis vocata, auctore Hieronymo Montuo: nam mollia ac ſorbilia videntur actu humida; quam rerum qualitatem abſtinendam voluit Hippocrates.

Quando maximè eſus carnis debeatur.

Inſtantia.

Iulii Iaſolini mos in concedendis ovis. *L. de ſalubri diæta.*

Enodatio.

Ambiguitatem hanc ut ſolvas, memineris *duplex* eſſe *humidum* in re aliqua: vel *percoctum* & benè à calore ſubactum, ut excrementitii ſuperfluique parùm contineat; vel quod plurimum iſtorum habeat; & *minimè percoctum* ſed inquinans ſit. Certè *humidum, quod carnibus & ovis ineſt, nutrititium eſt potiùs quàm excrementitium.* Quamobrem & caro aſſa, licet plus humoris habeat quàm elixa, ut omnes ſtatuunt, magis eſt ulceribus conveniens quàm elixa; ſicut experientia facilè comprobat. Ita quod ulceribus incommodum eſt, idem continet ſemper aquei humidi multum, ſive per totum alimentum, ſive per partes.

Humidum carnis & ovorum quale.

Caro aſſa ulceroſis utilior quàm elixa.

Incommoda ulceroſis cibaria.

Ex his ſunt juſcula, & hoc genus, ſorbitiones, pulmenta, lachana, id eſt olera, acetaria, fructus horarii ſucculenti; nam ſiccati ſole vel furni calore non improbantur, cucumeres, & omne genus, quod σύκας Græci vocant: piſces pelagii, aut fluviales, & qui in petris non victitant, atque alii, quique in lacubus, ſtagnis, turbidis limoſisque rivis degunt; nam qui ſub petris & ſcopulis victitant, concedi poſſunt, ut & carnium friabilium omnes res: lac & lactaria quæ-

Piſces ſaxatiles ulceroſis conceſſi.

quædam recentia, cremores, minutal, moreta, *paſtilli*, fungi, & id genus; hæc ulceribus cibaria noxia ſunt omnia, neque non acria, potiſſimùm cùm impleri ipſa jam ſaneſcentia deſiderant. Cæterùm è fructuum genere, quod ſupra poſui, ſunt excipiendi quidam, qui cùm minimè ſucculenti ſint, ſed adſtringentis virtutis, poſſunt indubiè concedi, ut cydonia, lazarola, meſpila, ſorba, corna, fraga, ceraſa auſtera, ſive fortaſſe rectiùs ſubacida, atque aliquot iſtorum alia. Quæ porrò fructuum adſtringentia ſi vel in panificio, vel in reliqua eſca comparari ritè poſſet, convenientiſſimum hoc vivendi præſcriptum putarim: quippe & venas & venarum oſcula claudit, contentaque iſtarum adſtringit, contentricem non minimùm roborans. Præter hæc autem & amygdalæ, pinearum fructus, piſtacia, palmulæ fructus dactyli vulgo, non improbantur, præſertim ſi pectus lenire ſtudium ſit.

E fructuum genere qui permittantur.

Excogitatio noſtra.

Eſt hoc loco recenſendus communis medentium abuſus hic Neapoli, & in ulceroſis noſocomiorum, & in reliquis paſſim hominibus ſolemniter exercitus; quibus eo, quòd boni ſucci fervorem ſanguinis æſtumque, ut dicunt, hepatis adtemperantia ſint, fercula paranda curant ex cichorio, intybo, bugloſſo, petroſelino, cucurbita, in jure carnis elixis; vel cruſtulas panis, vel micas ex eorum jure ſuffuſas, vel tenuiſſimas ex novo micarum commaſſatu paratas in taleolas offerunt, creduntque his utiles; ſed ſunt non parùm incommodæ. Nam ſingula cùm parata humorem multum combiberint, hunc intrinſecùs è corporis officina digeſtum tandem in ulcus remittunt. Quare per horum uſum madebit hoc, & neutiquam ullo tempore coaleſcet. Quod cùm video, tenet me riſus, occupat & miſericordia laborantium; qui cùm ſperaverint communi cum medici fiducia ac opinione, ſe periodo una lunæ ſanatum iri, deinde neque in anno liberantur. Nam ſanentur, quæſo, ulcera, quæ perpetua eſculentorum humiditate madeſcunt!

Abuſus atque error vulgò medentium.

An non hanc verò ulcera prima ſentient, quæ velut tot oſcula & exeuntium vada patent? Hæc autem victus humidi damna ubi cognoſcit Medicus, ſolet hunc transverſum agere unius ad ægrotantes gratiæ ſtudium, ſic ut eidem indul-

Humidas ciborum ſuperfluitates prima ſentiunt ulcera.

geat, laxetque habenas, ut ipsi voluerint. Tum quantùm ab officio excedat suo curator, atque in aliam personam transmigret, par est eumdem advertere. Id enim coquorum est proprium; qui, quod palato placiturum sit, magno apparant studio, nihil salubritatem inspicientes. Sed contrà facere Medici debent, qui, quod ad sanitatem conducit, etiamsi futurum ingratum sit, offerunt. Atque hæc quidem monita volui, ne quam injuriam sibi & ægrotis faciant Medici.

Medici ἀδίαιτοι, diætandi imperiti, coquis similes.

§. 1. *De lubricitate alvi ulcerosis conservanda.*

Adversio necessaria.

Alterum hic mihi non transibit indictum; ex victu isto aridiore, tum his quibus æqua respondere solita est alvus, tum etiam magis his, quibus est natura refractaria, gravem plurimum fieri torporem ejusdem, quem iniquè perferunt decumbentes. Idcircò diligentiæ nostræ fuerit, hujus incommodis occurrere, remediumque parare, *quo suum officium alvus agnoscat.* Namque enemata, balanorumque exstimulatus nolo equidem inculcare, quæ solent odio cunctis, non tædio tantùm esse, præsertim verò quòd quotidiana foret hæc necessaria molestia. Consilium igitur erit excogitare, atque captare *lenientia*, quæ per os assumuntur. Hæc autem has conditiones habeant volumus, quatenùs utentibus sint facilia: dico ut quàm minimè medicamentosa sint, minimè sumptuosa. Has si conditiones habeant, eruntque optima. Qualia quidem utinam & nos queamus adinvenire. Sed proponemus tamen, quantùm per nos fieri potest, his maximè proxima, discursuri primùm genera cunctorum in hunc modum. Primum, ut mihi videtur, locum in his tenet *mel*, tum substantiæ lenitate, & cum natura nostra familiaritate; tum parandi utendique commoditate, tum optata & certa agendi facultate. Quibus nominibus & *butyrum* secundò commendatur. Utraque verò si commiscueris, temperatissimum & præstantissimum inter omnia medicamentum feceris. Hæc ex animantium materia. Tertium naturale & simplex adjumentum est *saccharum*, quod ubertim ferculis & aquæ potandæ impositum plurimo usui erit. Omnibus autem eccoproticis melle condita præstant, quàm saccharo. Sed *mel aëreum* quid non commemoravi primùm, quod esculentissimum

Alvi lenitoriis quæ conditiones sint oportet.

Nostra leniendi ventris adjumenta.

Margin numerals: 1. (beside "dum. Primum"), 2. (beside "gendi facultate"), 3. (beside "ex animantium"), 4. (beside "proticis melle").

mum eſt, niſi quantùm illi ſubtrahit pretium. Verùm in ſ· quibus hominibus iſto uti non datur ſuccedit *ros nocturnus* menſium mediorum aut proximorum, delapſus ad quælibet mollioris materiæ, ſive eſculenta ſint, ſive potulenta, medicata, vel ſecùs. Id ejus eſt facultatis, ut feliciter alvum moveat. Quod & experientia comprobat, & auctoritas confirmat. Hippocrates, qui potiones purgatorias ſubdio exponit *lib. de morb. mulier. num.* 123. ſæpiùs item *libro de nat. mulierum* 49. & *lib. de intern. affect.* 21. & 38. & *lib.* 3. *de morb.* admodum expreſsè, *Omnia*, inquit, *per noctem ſubdio expoſita dabis febrienti, exceptis his, quibus alvus plus, quam convenit, fluat.* Quamquam verò ſubdialis expoſitus uſus excogitavit Proſper Martianus in *adn. ad lib.* 2. *epid. lec.* 2. *verſ.* 7. favent tamen hæc potiùs noſtræ ſententiæ, quàm ut refragentur; quippe quæ cauſas dejectoriæ facultatis maximè adjuvent, proferantque. Conſentit & cum Hippocrate Dioſcorides, qui *lib.* 2. *cap.* 29. ad ventris officia provocanda, gobium piſcem noctum ſubdio exponendum præcipit ſic vorandum. Itemque Archigenes apud Galenum *lib.* 9. *de comp. medic. local. c.* 66. ſubdiales pharmacorum præparationes probavit. Poſt quos omnes viros fuit & Oribaſius, qui *lib.* 8. *collect.* ſæpe cùm ſolutivum quidpiam proponit, ſubdio antè exponendum præcipit. Quam præparationem & in eſculentis faciendum advertit Proſper Alpinus *lib.* 4. *med. method.* 14. Art. 13. *de varietate.* Cardanus etiam medicamen, ex dupla portione roſarum, & media roris & ſacchari componit, ad commodè depurgandum ventrem. At alii ex collecto rore deſtillatam aquam mire commendant ad promovendam alvum. Nimirùm maximè *deterſivus* atque *extenuativus* apparet *ros:* Quippe Plutarcho auctore *lib. de cauſis phyſicis: mulieres paulo habitiores, ne ob corporis obeſitatem pugiles viderentur, teneris & perluſtribus veſtimentis ex lana molliore, aut ex Melitæa tenera goſſypii lanugine, rorem excipientes corpora demaciabant, ne quoque polyſarcia onerarentur.* Et, ut Langius advertit *lib.* 2. *epiſt.* 30. *ros & ſemina tacta rubigine exedit, & ſubtili vaporum acrimonia cutem abſtergit & abrodit.* Confirmant Geaponici, qui ſcribunt, *boves herbis rore roſcidis paſtos emaciari.* Hoc igitur conſilio caligantes oculos Octav. Horatianus

Cardani medicamentum.

Deterſorius inſigniter eſt ros.

Plutarchus.

Io. Langius.

nus *lib. primo ad. Euporistum* ex succo mali granati, cum melle pari portione commisto & quàm plurimo tempore sub dio exposito medicatur: & à Mizaldo *centuriarum appendice*, ad oculorum vitiosa concrementa roris è cœlo lapsi cum succi rutæ momento instillatio præcipitur. Jam autem ut de *compositionibus arte pharmacopœa paratis* dicere incipiamus; *infusio viol. in ros q. s.* felicissimè solvit. Itaque *serapium infus. viol. vel saccharum vel rosarum, quibus ros matutinus deciderit*, unciatim datum, huic rei percommoda sunt. Est & commodissima *succi rosarum fæcula residua*, quæ arefecta drachma una solvit. Atquè hæc de roscidorum genere. Sed equidem *ex apio* pariter probavit hoc ad constipatam alvum Octavius Horatianus *lib.* 4. *ad Euseb. cap.* 1. Consimilem compositionem certus sum futuram proſpicuam, ut quæ *detergentissima* est. Compertum enim est mihi mea experientia, vel *simplex hoc olus modicè ventrem ad officia revocare.* Id quod credo fieri *amaro quodam & nitroso sapore*, qui plantæ insunt, facultatis hujus commodæ sedes. Declarat porrò natura, non alia re fieri stimulatum excernendarum fæcum in intestinis, quàm amaræ bilis interventu. Possumus igitur, & naturæ consilium imitati, in alvo ducenda offerre *amariora*; sed quæ tamen adstringentia non sint. Nimirùm hæc nihil ducunt, ut absynthium; sed amaris alioquin adversa ducunt alvum & *dulcia*, ut modo dicta, mel, saccharum, manna Calabra. Vinum quoque μελιχρὸν i. e. veluti *mel dulce*, laudat ad hunc usum Hippocrates *lib.* 2. *de morb. tex. exponentium* 20. nec non *dulce vinum & passum* Oribasius *lib.* 4. *synops. cap.* 28. Sed *salsa* quid omisi, quæ præcipua erant? De horum quippe motrice facultate tam nulla est dubitatio, ut etiam idiotæ norint, *salis* tum *petrei* tum *factitii balano* pigram alvum exstimulari. Sed & *aquam maris* huic infusam ejus esse virtutis, etiam ibes aves monstravere, quemadmodùm memoriæ prodidit Plinius. Homo verò vel cyatho uno (quod expertum in se Comes perillustris Cajatii retulit) ebibito contentus est. His admirabiliora sunt *præparamenta*, *seminaque animantium fætorum omnia*, quæ solent esui esse. *Piscium*, inquam, potissimè *barbonis*, cujus ovis alvum perturbari atque exagitari, modò per superiora, modò per inferiora, ac si anti-

[Margin notes: 6. (beside "ma una solvit"); Nostrum de apio experimentum. Ratio.; Amara quæ ventrem excitent.; Historia.]

antimonii vitrum aſſumptum eſſet, dextrè adnotavit Jos. Quercetanus *ſect.* 3. *cap.* 7. Ex his eſt & *Hippophaes*; carnes item eorum, quibus parùm admodùm ætatis acceſſit, ac magis horum extremæ partes, ut dicit Oribaſius 4. *ſynop. cap.* 27. Solvunt itemque *acida*; ſolvunt & *fatua* ſive *inſipida*. Ex *acidis* quidem eſt *omphacium*, cujus ſucci cyathum ampliorem ſumunt ad ducendam alvum ab experto noſtri Calabri. Quod cùm in recens expreſſo ſucco ſit experimentum, vetuſtum etiam ſole, aut igne denſatum poſſum equidem teſtificari paulò minoris facultatis ad hanc rem eſſe. Nitri nimirùm naturali miſturæ illa vis ineſt, cujus ſplendeſcentes ſcintillas facilè in arefacto videris innumeras. Ad hæc *pruma Damaſcena* dicta. Cum his autem & *inciſiva* numero: quod confirmatur inſuper ab Hippocrate, qui *lib. de locis in homine num.* 56. de his apertè aſſeruit. *E fatuis* verò ſunt *atriplex*, *anagallis*, *blitum*, *ſpinachia*, *papaver rubrum*; quod inter plurima ventrem agitat, *apion*, *beta*, *cucurbita*, & fortaſſe *caſſia fiſtularis*, *hermodactylus*, & *polypodium*. Relatum quoque eſt mihi ab experto homine, *cariei ligni juglandis pulviſculum*, quantùm tribus ſummis digitis apprehenditur, ventri ſtimulum eſſe. Multi *puram aquam ignis eccriſi venientem* inter ducentia ventrem adnumerant: ut taceam ex *nive deſtillatam aliam*. Ducunt etiam *mucaginoſa* & *lenta* quædam; ut *malva*, *ulmi craſſior radix*, *mercurialis*, *ſambucus*, *bugloſſum*, *anagallis*, *urtica*, *violaria*, & omnia *bliti* genera. Solvunt & *acria pungentiaque*; ut *pulegium* & *ſinapi ſemen* ebibita, *raphanus* comeſta, Gal. *lib. de ſimpl. Detergentia* etiam, ut *panis ſecalinus* & *furfuraceus*: *furfur ipſum in juſculo decoctum* laudat Hippocrates: *lapathum* & *braſſica*. *Incidentia* etiam; ut *allium*, *cepa*, *fermentum*, & *acetum* quandoque. Adde *pinguia*; ut *ſuilla caro*, & *adipoſa* omnia. Cum quibus & *jura gobii*, *ſcorpii*, *julidis*, *percæ piſcium* ponimus ex Dioſcoridis *lib.* 2. Molliunt & *ſoporifica* quædam, ut *papaveris ſpumei folia* & *ſemina*. *Humida* denique atque *aquea*, & qualia *mora* ſunt, *ceraſa præcocia*, *perſica*, *lac*, *ſerum*, & omninò quæ nullam inſignem habere qualitatem ea guſtantibus & olfacientibus videntur: ut adnotavit Oribaſius *l.* 4. *ſynopſeos c.* 27.

Caries ligni juglandis alviduca.

Pura aqua exſtillata ad ſollicitandam alvum idonea.

Ciet alvum nix deſtillata.

Mucaginoſa.

Acria pungentiaque.

Deterſoria.

Incidentia.

Pinguia.

Piſcium quorundam elixorum juſcula.

Res aquoſæ ſubſtantiæ.

§. 2.

§. 2. *Problema de alimentis alvum ſollicitantibus expoſitum.*

Si roſcida igitur, ſalſa, nitroſa, amara, dulcia, acerba, pinguia, inſipida, mucaginoſa, ſaporifica, & acria, & alia genera, quæ recitavit Hippocrates in *lib. de locis in homine num.* 56. compungentia, detergentia, aqueæ ſubſtantiæ multa, incidentia, lubrica, morantem alvum molliunt citantque; quæritur, quid tanta rerum varietas unum poſſit? Enimverò magna hæc neſcio an ab ullis tentata controverſia ſit. Sed omninò veroſimile eſt, inter tot & tam multas de purgantibus quæſtiones, & hanc interpoſitam eſſe. Tamen ad hoc tempus nemo ullus viſus eſt ſatisfeciſſe. Hermetici, quibus facile eſt cuncta reſolvere ſuis ænigmatis, referunt omnia accepta tribus ſuis rerum principiis, quæ faciunt ſingula naturæ humanæ purgatoria, & conſervatoria. Dulcia igitur & inſipida dicunt ſulphurea: amara, nitroſa, ſalſa, dicunt ſalis ſymbola: acida verò Mercurii. Sic igitur ſingula repurgare ventrem poſſe ajunt. Quæ placita cum à communi via recedant; dicam equidem unum, non quod rei naturam magis, quàm aliorum commenta explicet, ſed quod prorſus neceſſarium ſit, quodque ab his, quæ apparent, comprobatur veriſſimum. Nimirùm *omnem expurgationem eſſe duplicem, eſſentialem, & per accidens. Eſſentialis* eſt, quæ prima ſui natura ſolvit corpus: *per accidens* verò, quod ſolvens propterea id facit, quod iniquum eſt & incongruum naturæ partium admittentium & ſtomachi. Hæ partes quippe ſenſu ſunt donatæ acerrimo, quandoquidem delectari debeant ingeſtis, & hæc appetere. *Purgantia porrò inimica & ab hominibus excogitata nil ſecundùm naturam ſunt.* Proinde temperie quadam gaudens ad ſenſum exquiſita. Quare excedentibus omnibus qualitatibus, primis, ſecundis, tertiis, perturbantur. Hujuſmodi igitur cùm propinquaverint ad hæc conceptacula, coguntur illa emoveri de tranquillo ſuo ſtatu, & ad illorum occurſum ſe tueri, cogentia ſuas vires, atque omnem naturam in ſe ipſis. Quamobrem deponi omnem contentorum curam; & ſuperfluitates dejici neceſſum eſt per ſe ipſas abſcedentes. Sic contrariæ qualitates,

Problema.

Hermeticorum placitum.

Noſtra de alvum præcipitantibus opinio.

tes, primæ, ſecundæ, tertiæ, poſſunt eundem effectum ſolvendæ movendæque alvi præſtare, fierique ἐκκοπρωτικά: ſicut certa excedentia omnia virtutes dejiciunt, & his extinctis omnia de conceptaculis extemplò cadunt. Quod ſi non eſt; qua ratione alia ab aſſumpto pharmaco, quod pigram adhuc alvum non commovit, *liberalior aquæ potus* efficaciter dejectat? quemadmodum & è D. Meſuæo & ab interprete Mundino *lib. Canonum theorem* 3. & à Philippo Ingraſſia Siculo, *libro huic rei dicato* monſtratum, comprobatumque eſt. Similiter & qua ratione *conceptum frigus per detectum ventrem*, *per nudos incedentes pedes*, *proritare alvum queat*; Porro narrat Braſavolus *cap. 6. libelli de medic. purg.* Borſium Ducem Ferrarienſium pertinacem remediis ſolventibus alvum non alia via, Savanarola proponente, depoſuiſſe. Aliud quoque in hanc rem faciens refert *ibidem*, *Joannem Manardum* virum, ut ipſe appellat, excellentiſſimum *ovo ſorbili ſumpto quinquies & ſexies alvum egeſſiſſe*, multoſque alios molliorem ventrem ex hoc ſorbili habuiſſe. *Fœminæ quoque Illuſtri ex ſorptis ſæpe ovis alvum identidem provocatam* teſtificatur Marcellus Donatus in *lib. de Mechiocanna*: &, quod admirabilius eſt, *ex ovo durato decies alvum citatam Dionoræ civi* prodidit Alexander Benedictus *lib*, 19. *cap*. 33. *de cur. morb.* Hæc igitur communis eſt ratio ejuſdem permovendæ. Neque verò contra dicendum eſt, dulcium & inſipidorum cum hujuſmodi quibuſdam tantam excedentiam non eſſe, quæ ventrem perturbet. Nam etſi non parùm propinquare ad humanam corporis moderationem illa non negantur; tamen exceſſum eſſe aliquem, vel hinc cognoſcitur, quòd abunde ſentitur, citoque faſtidio veniunt, & abjiciuntur: panis autem, qui verè temperatiſſimus eſt & ſecundùm omnes qualitates accommodatus, non niſi per magnas ægritudines rejicitur. Neceſſarium igitur ob hoc, è longinquitate naturæ continentem naturalem virtutem revocare ab opere medicamenta ſimplicia non exactè temperata, ab æqualitate multùm recedentia, & intemperata. Quo factum puto, ut Aſclepiades dixerit, *omnia purgantia pharmaca rejicienda*, *& omnia à bonæ medicinæ uſibus abigenda.* Ad hæc ſententiam noſtram aliqua circa ventres evenientia confirmant. Primum quod minime ventrem

Confirmatio.

Meſuæus. Mundinus. Ingraſſias.

Inductum in rem noſtram Aſclepiadis decretum.

Ab effectibus comprobationes

1. trem agitant in quibuslibet omnia; ſed eſſe homines, quibus
facile alvus impellatur ad ingeſta quædam, quibus iisdem vel
vehementioribus, aliorum vel non cedat vel adſtringatur na-
2. tura. Similiter nec à teneris piſcibus ſecundantem alvum ex-
periuntur omnes, ſed torpidam, & morantem; vitiumque
3. ex his voratis & corruptelam ſentiant non pauci. Ad hæc
acida ſæpe craſſis viſcidiſque ſuccis oneratam alvum expedi-
unt, puram vero multo promptius firmant. Denique ſunt
4. homines, qui maximum inde commodum referunt, unde
noxa eſt aliis. Sic ex ceraſis & ejus generis fructibus horariis
alvus adſtringebatur Latino Tancredo eruditiſſimo præcep-
tori noſtro: quam rem ipſe pro miraculo narrare conſueve-
rat, quoties incidiſſet ſermo de facili difficilive alvi natura.

Latinus Tancredus philoſophus e fructibus horariis haud parcè voratis adſtrictam alvum referebat.

Huc quoque pertinet, quod Barpt. Maranta *lib. 3. meth. ſimpl.
cogn. c. 13.* ſcribit *quemdam ſibi notum, cui ex adſtringentibus
alvus mollior reddebatur, contrà verò ex lenientibus adſtricta.*
Verumenimverò ſuper omnes quid Galenum non nomino,
virum tam indubitatæ auctoritatis? qui *lib. 2. de alimentis c.*
22. teſtatum reliquit, *Protam Rhetorem ſui temporis, quo cum
fabulatus hac de re commentatusque ex compoſito eſt, quoties au-
ſteris pomis ac pyris uſus fuiſſet, toties majorem in modum alvum
ei ſolutam.* Quas ob cauſas *regula* naſcitur, *ut cuique, quod
ſimpliciter conferat, ſubminiſtretur: quod incommodare poteſt,
ſubmoveatur.* Hæc inquam noſtræ huic opinioni non parum
favent, ut affirmandum ſit una illa de cauſa fieri tantam ven-

Hiſtoria.

5. tribus imperitantem varietatem. Ad hæc mulieres ut plu-
rimum alvum refractariam habent, quam viri. Omninò au-
tem majorem ad cathartica repugnantiam faciunt ſeniorum,
quam juniorum corpora. Pueri, quos fere nunquam inve-
neris alvo ſtyptica, levibus quibuſque laxantibus expurgan-
6. tur. Id equidem puto propterea fieri, quod catharticum
omne contrarium ſit oportet. Animantia quippe carnivora,
canis, felis, devoratis oleribus quibusdam revomunt, quæ
ſuapte natura non ſunt vomitoria. Ergo cum natura inſur-
gat expellendo inſueto atque alieno cibo, conſequuntur hunc
& alii ſucci. In quam rem valet id, quod dixere quidam de
catharticis nova quadam opinione: nimirum, *quod moleſtatus
à pharmaco ſpiritus corporis rector inſurgit ad expellendum, quo
cum & alia ſupervacua veniunt.* Hæc

Obſervatio noſtra.

Ab animantibus carnivoris quibusdam.

Thomas Campanella.

Hæc ego leviter oblatæ occasioni serviens protulisse volui, non ignarus, quod apud nostros medicos communiter sentientes dulcia solvunt laxando; acida incidendo; styptica constringendo; acria, amara, nitrosa, salsa, per acrimoniam vellicando atque exstimulando, simul etiam extergendo, extenuando, inquit Gal. 5. *simpl.* 12. pinguia, mucilaginosa, lubrico quodam transcursu; insipida & fatua, subtili quadam & aqueæ cruditatis lotura; saporifera, lactea quadam & molli substantia; roscida denique, hæterogenea inclusa exhalatione calida nitrosave: ita illa ferè aut simili alia ratione. Sed Serapion in *lib. de med. simpl. serm.* 5. scripsit hæc: *Et iterum medicina laxativa dividitur in duos modos: quia in uno eorum est purgatio per naturam, & in alio per accidens. Et purgatio per naturam dividitur in duo: quia una earum facit hoc cum medio, & alia sine medio. Et laxativa cum medio dividitur primò in duo: quia una facit hoc per similitudinem, & alia per contrarietatem: & ista ambo cum attractione. Et quæ purgat per accidens dividitur in duo: nam una mollificat virtutem rententivam, & alia resolvit humores. Et mollificatio retentiva dividitur in duo: una quidem minuendo calorem naturalem, & alia inferendo nocumentum membris interioribus, sicuti ventri, & hepati, intestinis, & stomacho. Et illa, quæ purgat sine medio, dividitur in duo: una earum est cum liquefactione, & humectatione, & mollificatione; & alia sine mollificatione & liquefactione. Et illa, quæ est sine mollificatione & liquefactione, dividitur in duo: una earum cum dissolutione, & alia sine dissolutione. Et illa, quæ est sine dissolutione, dividitur in duo: una earum quæ abstergit, & alia quæ incidit. Isti sunt*, inquit, *modi laxationis.* Hæc ille, quæ vides profectò quàm multiplicia, quàm onerosa sint omnia.

Dogmaticorum ratio de singulis alvum proritantibus, qua id ratione faciant.

Serapionis de universa solutione corporis dissertatio.

Sed ad unam causam licet analogam cuncta hæc effecta referri revocarique quid incommodat? præsertim quando per hanc viam problemata multa resolvi possunt, per aliam jam dictam non possunt. Nam quomodo corruptus in stomacho cibus alvum exerceat, cieatque, nisi quòd sit illi iniquus & impar? Aut quomodò etiam, quæ quibusdam sunt purgatoria, talia non sunt omnibus?

Corruptus in ventriculo cibus cur alvum agitet.

§. 3. *Certa quædam, quæ alvum provocant, adjumenta.*

Certa quædam alvum exstimulantia.

Sed jam tempus est ad *certa quædam*, *quæ alvum fundunt*, venire. Fundunt ventrem *mel mercuriale* descriptum ab Joanne Heurnio *lib. 2. pract. methodi cap.* 17. quod fit scilicet ex succo herbæ cum melle cocto, mellis rosati modo.

ex Io. Heurnio.

ex Matthiolo Tartarum vini.

Ex Matthiolo vero in 5. *Dios. c. 90. hausti tartari pulvis* (crusta lapidosa est vini sedimento doliorum internæ superficiei agglutinata, atque accreta) ex gallinacei jure, addito mastiches momento, & saccharo: vel, si nobilius medicamentum efficere velis, licet aliquando instrenuum, tartarum ipsum in aqua decoques, ac subinde despumabis. *Tartari cremorem* vulgo appellant. Omnium autem meo quidem experimento valentissima compositio est ea, quæ cum sapa commiscetur, *tenuissima tritura tartari.*

Ex Castore Durante.

Ex Castore Durante *sy. 7. infusio florum persicæ arboris.* ex eodem *radix helenii condita* saccharo vel melle à prandio devorata: item *atriplicis marinæ decoctum* ex jure pulli.

ex Alexandro Massaria

Ex Alexandro Massaria *saccharum rosæ zebedenæ.* qui idem inferne sub anum imponendam è sale gemmæ balanum proposuit.

ex Jul. Cæsare Claudino

Ex Julio Cæsare Claudino, *quatuor passulæ decoctæ* vel *ficus*, cum grano salis singulis adjecto. Alii *decem passulis exacinatis* totidem salis grana imponunt: vel *radicem polypodii quercini recentis concisæ & lotæ ex vino à ℥j sub forma acetarii cum modico pipere* sumendam suadent. Acetum vero fit solutivum, sic parandum. ℞ *aceti acerrimi* ℔j. *senæ* ʒiß. *florum cord.* Mß *anis. gingib. cinnam.* ā ℥j. M. *infund. s. a. & facta fortiter expressione servetur usui.* Fit & ex *eodem polypodio exacte trito & carne prunorum cum saccharo confectio* & jucunditate & dejiciendi efficacia pariter laudata.

ex Vidio Florentino

ex Quercetano

Ex Vidio Florentino *l. 9. de curatione memb. c. 22. passulæ Corinthiacæ in jure gallinæ decoctæ, maceratæ,* & *saccharo pinguiore conditæ.*

Vinum ex rosis pallidis & albis tum hortensibus tum sylvestribus, nec non *ex pruni floribus*, vere parat Quercetanus *in diætet. sect. 3. cap. ult.*

Præ-

Præter hæc ſunt & alii lenes catharticorum modi propoſiti per varios auctores, quorum formulas poſterius hoc eodem libro *c. de purgat. corporis deſcribunt.*

Nos verò pro ditioribus experti ſumus *cruſtulas ex farina & cartami ſemine trito, pura aqua parum dilutas, inter planos rotundos forcipes ad flammam concretas*; quæ *nebulæ* vulgo, quaſi νεφέλαι, vocantur. Poſt hæc *tenerrima ſambuci folia in acetariis immiſta* certo experimento audivi mollitudinem alvi facere. Quæ ipſa & ad eundem uſum approbat Proſper Alpinus *med. meth. lib.* 3. qui & *l.* 4. *ejuſdem operis c.* 14. *jus braſſicæ* propoſuit ex antiquorum excogitato ita parandum. *Accipiebant XVI. faſciculos parvos cymarum braſſicæ*, & *ſingulos* Jus braſſicæ. *ſcilicet unum poſt alium in aquam ferventem in lebete ſupra ignem poſito ſeparatim imponentes fervefieri paululum permittebant, mox extrahebant. Etenim primum injiciebant unum faſciculum, quem, cum efferbuiſſet tribus aut quatuor ebullitionibus, extrahebant, atque alterum imponebant; quem item cum mox paululum ebulliiſſet, extrahebant, & mox tertium, deinceps quartum, atque ſic alios ſingulos, quoad ad ſextum decimum deveniſſent. Hujuſmodi jus expreſſum* ſive, ut vocant, *braſſicæ infuſionem cum oleo & ſale dabant ad* ℔ß *aut* ℔j. Hæc Alpinus.

Similis autem materiæ, etſi non præparationis, eſt *ſuccus braſſicæ cum melle vel ſine hoc hauſtus.* quod propoſuit Euſtachius Rudius *lib.* 2. *de morb. cur. c.* 30. *Fervefactum leviter*, ſtomacho palatique gratia magis probarem. *Meraciorem* verò *mulſam*, ac *ſerum*, potu offert idem certum experimentum. Præter hæc expertus equidem ſum *edulcatis aqua calente corticibus aurantiorum & ſapa conditis* alvum exſtimulari plùs quàm ſemel percommodè, ſi paulum eorum edulium manducaverit homo. Sed longè potior eſt *fæcula roſarum Perſicarum*, quæ infuſioni vulgatæ reſidua eſt. Et multò maximè præſtat *acetum infuſæ ſennæ.*

Hactenùs hæc *citantia ventrem internè* deſcripta ſunt medicamenta: reſtant quæ *externè adhibita* id faciunt. Ex quo genere pauca referam, quæ ſunt hæc: *Unguentum cyclaminis majus* memorant plurimi, *medio ventri illitum.* Alii *tritam colocynthidem oleo amygd. commiſtam ad plantas pedis* adalligant. Alii aliud ad anum ſedemque accommodant, nitroſum ſcili-

cet & vellicatorium quodpiam medicamentum. Verum quod ſæpe laudarunt Euonymus primus, deinde alii, per nos etiam & per amicos medicos expertum, nolim tacere, licet non adeo facile parabile ſed ditioribus congruum, *linimen ex oleo deſtillato aloës & myrrhæ, quo confricari diutius umbilicus debet.* Hæc ſatis.

CAPUT VI.

De Victu vulneratorum.

Diætæ in ulceribus univerſim præcipiendæ brevis, & ſimplex eſt ratio: de qua ipſi, quæ licuit per ingenii noſtri vires, primi poſt Hippocratem explicavimus. Major & multiplicior in vulneribus tractandis ejuſdem eſt cura: de qua cum plures aliqua ſcriptis mandarint, optima nos hic & ſelectiſſima proponemus, dicturi ſolum *de his, quæ vulneribus privatim competunt:* nam hæc, quæ communia ſunt ipſis & ulceribus, ſuperiori loco ſunt enarrata. Quare in hoc recentium plagarum genere plurima de vacuantibus ſunt ſilenda, quæ in communem utrorumque tractatum fuere conjecta. *Vulneribus in univerſum victus convenit tenuiſſimus*, de quo dicebat Hippocrates *lib. de affectionibus num.* 37. τὰς τρωματίας λιμοκτονέειν, quorum ſenſus eſt auctore Cornario, *vulneratos fame affligito*, vel, ut alter quidam ad verbum vertit, *fame necato.* λιμαγχίαν dixit Aurelianus *chronicωn. l.* 1. *cap.* 5. Verùm adverte diligentiſſimum hominem haud voluiſſe, ut vulnerati omnes æquè fame ſint opprimendi, ſed pro vulneris modo & inflammationis impendentis periculo. Nimirùm majoribus ictus noxis parciorem nutricatum oportet offerri, minoribus verò largiorem. Quemadmodùm malis & ſeditioſis in urbe civibus omnem nocendi viam oportet eripere, in innocentiores verò minorem ſeveritatis modum exercere, atque ita in alios deinceps. Vulneribus igitur maxime deducentibus ad inflammationem & ad interitum, inedia, ſi fieri poſſit, maximè convenit. Quod periculum quo minùs incidit, eò magis in alimoniam accedere licebit. Indeque etiam ut ſecuritas procedit, procedere nos & cum pleniore victu debebimus. Quare latitudinem non parvam habet

Aurelianus. Hippocratis ſententia expoſita.

Simile.

Abſtinentiæ modi.

bet vulneratorum victus; cui pariter respondere debet indulgentia medici aut, ut verius dicam, prudentia. Jam verò ubi tenuissimi, plenioris, aut medii victus modos definire vulnerato quis instituat; ante omnia sibi proponet inspicienda tempora. *Namque si sub initiis fuerit curandus homo, hæc in promptu* monebit Celsus *lib.* 5. *c.* 16. famem & sitim desiderare. Neque contrà dicet quis, Celsum loquutum de iis quæ observanda sint in acutis. Etenim ad horum naturam maximè accedunt & vulnera, si graviora sint. Indicioque est, quod ipsorum ritu per dies criticos & impares exacerbantur; ut testatus est Hippocrates *de fract. com.* 3. Aliud quoque idem commonstrat, quod ex vulneribus magnis & citò & facilè transfertur homo in morbos acutos, puta acutā febrem, phrenitim, pleuritim, nephritim, peripneumoniam, cardiacam, volvulum, vulvæ strangulatum, spasmum, atque alias partium inflammationes. Par est igitur aut similis in utrisque victus forma, licet dispar sit usuum ratio: quoniam in acutis propriè dictis utimur quidem tenui victu; ne peccantis humoris coctio impediatur, naturæque opus, quæ in id ipsum vacat, turbetur; in vulneribus verò probatur abstinentia, ne aggregati humores inflammationem aut dolores moveant, interdum etiam & sanguinis effusionem, si casus hanc ferat. Quocircà sapienter Celsus hæc inprimis mala verenda medicis indicavit *lib.* 1. *c.* 26. Qui *ibidem locorum* §. quomodo vulnus implendum est, de *victu sauciorum ita* præscripsit: *vinum omnibus, dum febris, dum inflammatio est, alienum est; item usque ad cicatricem, si nervi, si costæ, musculive vulnerati sunt: etiamsi alte caro, aut si plaga in summa cute, generis tutioris est, potest non pervetus modicè tamen datum ad implendum quoque proficere.*

Tempora in præscribenda victuum ratione sunt consulenda.

Ad acutorum rationem accedunt vulnera.

Confirmatio.

Hippocrates.

Usus abstinentiæ in acutis.

Usus abstinentiæ in vulneribus.

Celsus.

Contra hanc sententiam fuerunt olim nonnulli, qui vinum & victum pleniorem exhibendum percussis vellent. Ex his fuere Theodoricus, & Ericus Hermodavilla cognominatus, & Joannes Anglus ante Guidonis ætatem. Post hos verò Chymicæ factionis homines quidam, ut videntur, Leonardus Floravantus, & Thomas Zephyriel Bovius, & medici omnes vulnerarii nostri temporis, adstruentes debilitatos & sanguinis effusionem passos esse confirmandos alimento, non infir-

Opinio quorundam adversa.

Theodoricus.

Ericus.

Joannes Anglus.

Floravantus.

Thomas Bovius.

Ratio eorum.

Depulsio nostra.

infirmandos magis inedia. Quæ quidem ipsorum ratio prima specie valens & consentanea rationi videtur. Verumtamen neque dissentimus ab his nos, cum refectu virium opus habent, alendos esse ægrotos; non immemores à natura, cùm hæ valent, & omnia, quæ ad sanitatem sunt, confici: sed tantundem quoque id, quod Galenus in *commentar. primo aph.* 4. monuit, inspiciendum volumus, qui ait: *In ægrotantibus raro fit, ut vires, quas invenerimus, majores reddamus, sed ferè semper operam damus, ut in longis quidem morbis easdem retineamus ac tueamur, in acutis vero modicè imminutas conservemus: nam si in iis semper, vel quales accepimus servare, vel etiam augere studuerimus, morbum procul dubio auxerimus.* Hæc Galenus. Atqui, sicut ante demonstravimus, repetimus modò, & vulnera acutis respondere, & in acutos plerumque desinere. Quare facessat hæc hominum opinio, qui sanorum victum administrandum ægrotis volunt.

Galenus. Galeni pronunciatum de usu tenuissimi victus. Vires quatenùs conserventur, cibandum, non ultra.

De vino disquisitio. Celsus. Galenus.

Vini autem meri potum quis sanæ mentis approbet initio vulneribus? quod veneficum ne dicam, certè inimicissimum conceptis verbis prodidit Corn. Celsus *lib.* v. *c.* 26. Galenus *lib.* 4. *meth. c. ultimo. Vinum*, epigramma vetus habet, *vim habet igni parem.* Quare quid temerius fiat, quàm vinum merum admovere his, in quibus de cavenda humorum fluxione atque inflammatione nostrum magis studium esse debet? Quid enim hoc aliud, quam eandem longe prætereuntem advocare, aut illis ubi non est excitare? Ita enim vinum serio cavit Galenus *l.* 8. *de comp. med. local. c.* 7. Tametsi vero Hippocrates *lib.* 2. *epid. sect.* v. vinum concessit homini fracto capite: nihilominùs irreptitium illud nec germanum Hippocratis pronunciatum testatus est Hieronymus Mercurialis *adnotatione illius libri* 17. Sine vino igitur, sine carnibus, & ovis, in summa sine his, quæ sanguinem alunt, & multi valentiorisque alimenti sunt, atque aliis etiam, quæ communi sunt in usu, cibariis tractanda vulnera sunto.

Epigrammatum anthologia.

Partium inspicienda varietas.

Jam igitur, ubi certum est, ciborum abstinentiam per hos casus necessariam esse; cæterùm & partium affectarum rationem habere oportet: non tam ut periculo inflammationis occurratur, verbi causa nervorum patientium, aut articulorum, (de his enim communis est abstinentiæ cautela, de qua modò

modò dictum est;) sed ut formæ etiam patientis particulæ succurratur. Nimirùm cùm vasa disrupta sunt, non quòd ad modum tantùm pertinet moderandus est cibus, sed & frigidus, crassæ substantiæ, modicéque adstringens esse debet; quo & præter paucitatem idem refrigeretur, incrassetur, & in venis quantùm fieri potest contineatur.

Verumtamen si nervi sint, qui sustinuerint ictum, ab aceto & acidis abstinere vulneratos oportet. Nam præterquàm quòd ferire hoc nervos & vellicare ratio docet, quod penetrantia multum in loca hæc præcellat; adhuc experimenta nos docuere, etiam non percussos, sed qui aliter affecti sint; noxam sentire nervos ex aceto. Quod equidem ab experto comperi in Jacobo - - notario quodam Siculo, atque in aliis compluribus. Itaque rectè vulneratis omnibus generaliter prohibuit Guido *tract.* 3. *doctr.* 1. *c.* 1. cui consentit Galenus *comm.* 3. *lib. de ratione victus in acut. partic.* 39. ex neotericis verò Andreas Cæsalpinus in *quæstione de præstantia qualitatum tertiarum & saporum.* Verùm acida omnia minimè profliganda videntur, quæ compescere singulariter possunt impetum bilis, partes ictas natura sua maximè lacessentis, atque infestantis. Et profectò multi è doctis præparari panem & cibos mandant succo citrii, limonii, omphacii, malorum granatorum acidorum, oxalidis & rhois obsoniorum: quorum singulorum sapor qualis est alius, quàm acetosus? Concesserunt autem ejusmodi cibaria viri maximi permulti; Rasis, inquam, *l. ad Mansorem regem c. ult.* & 15. *continentis c.* 3. Guilielmus Salicetus, Nicolaus Florentinus, Jacobus Carpensis, Jo. Andreas à Cruce *l.* 2. *tr. pr. narr.* 5. Ambrosius Paræus, Cæsar Magatus *l.* 1. *c.* 88. J. C. Tagliacotius *l.* 2. *c.* 13. Henricus Vacca in *propositione chirurgica c. de curatione*, atque alii. Quare quid illud est, quod prudentem hominem cohibuit, quo minus concederet acetum vulneribus? Respondet non negandum, acetum aliqua ex parte benefacere bilis retundendæ gratia; verumtamen cùm penetrabile cumprimis sit, vellicare atque perurere acerbitate sua partes dolentes potest, atque adeo magis offendere. Quocircà dixit alicubi Gentilis *acetum rumpere interiora & carminare*, cùm sint debilia. Illud igitur saccharo mollitum edulcatum-

Vulneribus acetum adversantissimum.

Guido.

Galenus.

Andr. Cæsalpinus.

Acida quædam in vulneribus commoda, & quo tempore.

Quæsitum.

Responsum.

Aceti incommoda.

Gentilis in l. de febribus.

Acidorum

haud tanta vis, quanta est accto. catumque exhibendum non est. Succorum illorum minor est certè vis, & mitior asperitudo. Itaque etiam verò mea sententia non incommodè poterunt infundi succi isti vel offis vel jusculis, & ejus generis eduliis, quæ lege vulnerum offeruntur. Offeruntur autem varia variis ipsorum generibus, ut nervea nerveis, ossea osseis, cartilaginea cartilagineis, cerebris cerebra, quantùm licet, & in summa viscera visceribus, sicca siccis, temperata temperatis; ut sua est conservandi regula proposita millies à Galeno in *arte medica*, & alibi. Secundùm verò alia vulneribus vasorum præstò sint incrassantia, ut amylum, & oriza, & simila, animantium extremæ partes. Item adstringentia, ut fructus styptici vulnerato capiti sint confortantia, sive sua substantia, sive præparatione, & conditura, ut myrobalani conditi, saccharum rosatum, cydonia laxarola, cerasa, & pyra acerbiora, corna, sorba, mespila. fructus pineæ, & alia. Icto thoraci sint arteriaca & lenientia omnia, ut ptisana, & cremor ejusdem cum saccharo, amylum cum succo amygdalarum, uva passa, zizipha, dactylorum fructus &c. licet glutinationis tempore neque aliena sunt styptica, sicuti Nicolo placet. Pro siti vero vel æstu sive internè sive externè profectò, atque alia qualibet hujusmodi causa probantur fraga, mala punica, granata videlicet (hæc duo albo saccharo aspersa sunt commodiora;) lazarola, cerasa amarena dicta, quæ gustus sunt acerbioris. Pruna Damascena, item rotunda, & præparva, coquimella, coralla, & cornella dicta Matthæo Sylvatico in *opere pandectarum*; zizipha, mororum atrorum fructus Celso secundum Latinos, sycamina vero secundum Græcos vocari dixit Aurelianus *lib.* 4. *chron. c.* 8. *p.* 490. quæ approbat etiam ad illud rei Sardianus Oribasius *lib.* 4. *synops. c.* 27. Mespili, corna, sorba, fistici, amygdalæ recentes, pinearum palmulæ, quos dactylorum vocant fructus, pro tempore & rerum permissu. Nam prudenti hæc medico scribuntur, non vulgari cuilibet. Aurantia dulcis vel medii saporis, limonii, citreorumque pars interdum non offerentur importunè. Cydonia, pyra acerbiora, apia poma cocta dari solent; quæ ut bellè parentur ex Galeno & Tralliano docuit Heurnius *practicæ methodi lib.* 5. *c.* 18. §. [Quæ venarum tensiones laxent] præcipi-

Analogæ partibus ictis carnes, id est, animantium partes. Galenus. Alia secundum partes ictas ciborum congruitas.

Fructus, qui pro varia rerum occasione concedi licent.

cipiens, ut poma in vaporem ferventis aquæ suspendamus ad sufficientem coccturam. Estque ratio duplex. Prior veterum. Alta, & aqua semiplena olla accipitur, huic crater pro operculo imponitur, supra quem fructus imponuntur, ac blande coquuntur. Altera ratio est, ut divisa poma patinis duabus concludantur, & hæ ollæ aqua bulliente plenæ imponantur. His quidem sic paratis & integrior substantia est, & nihil empyreumatis residuum est. Pomorum leniter coquendorum ratio prior. Ratio altera.

His rationibus paratis fructibus vulnerato vesci datur, vel per victus tenuis parcitatem, vel cum ad pleniora ventum est post clausam mensam. Nempe ventriculo consulunt & capiti. Cui capiti ut consulant, vulnerato præsertim, & amarena i. e. acerbioris gustus cerasa, vel lazarola, vel coryla fructus, vel myrobalani, quod medicatius est, conditæ saccharo plurimùm sunt profuturæ, potissimùm ubi ductuum partes & vasa percussa sint. Atque hæc quidem ex esculentis. Capiti consulentes fructus.

§. I. *De vulgari ac minus exquisita vulneratorum diæta.*

Trademus hic primùm communiorem vulneratorum alendorum rationem, producturi post hæc exquisitiorem & privatam casibus illorum variis respondentem. Abdomini perfosso debentur sorbitiones eupeptæ i. e. tenues, & minus excrementosæ: uti pulmentum à 4. magistris propositum, qui ℞ similam triticeam q. s. cui ex aqua calida pluviali per horam digestæ & colatæ additur pulvis amyli; tragac. gummi Arab. sangu. drac. consol. major. & pilorum leporis minutissimorum pro ratione utere ter vel quater. Cujus loco est jus gallinæ, cui tragac. & gummi Arabicum impositum sit. Hæc sunt plus minus exemplo satis. Cæterum sicut de esculentis, pariter & de potulentis habeto, sive substantiam capiens sive misturam. Concoctiles sorbitiones abdomini perfosso debentur. Formula pultis.

Communis verò victus est panis contritus & comminutus, sive integrior ex taleolis divisus. Ex hoc fit pulticula vulgò *panatella* dicta. Panis cum symphyti radice pulverata proponitur quidem arthriticis ab Aureliano *lib.* v. *c.* 2. *p.* 516. sed justius à nobis ad vulnera usitari poterit. Ptisana hordeacea, vel hujus cremor hordeum ipsum cortice nudatum Ex contrito pane pulticula. Panis medicatus. Triticei generis apparamenta.

tum integrum tum comminutum, aut ſpelta vulgo, Latine zea, amylum, aquæ infuſum & ex abjecta aqua reſiduum far mundum alicæ vel zeæ, vel earum farina, paſtilli ex polline ſimilæ, kiſch. i. e. ſimila trochiſcata, quæ deſcripta eſt in *opere pandectarum.*

Oriza, & ex his paſtilli.

Alia varia. Ex mica panis albi paſtilli, & id genus. Cucurbita elixata, expreſſa, & piſta.

Borrago, ſive bugloſſum, ſpinachium, atriplex, blitum, modice prius elixata, & minutim conciſa.

Colicoli cucurbitæ elixati, & parum conciſi. lupi ſalictarii colicoli, & aſparagorum teneritudines.

Condita lactiformi ſeminum diluto fercula herbacea. Singula hæc lactiformi diluto ſeminum frigidorum majorum, aut fructuum amygdalarum dulcium, aut butyro, quod nominant, amygdalarum, aut fructuum pineæ, præparari & concoqui poterunt.

Condita ſaccharo quædam. Ipſorum verò aliqua & ſaccharo condita ſapient, ut panis aqua elixatus, pultes hordeaceæ, amylum. Cum butyro parata quædam. Aliqua jure cicerum cum aromatis, herbis bonis, & butyro conciliato parùm madentia, ut fruſtula panis in taleolas. Butyrum ex ſucco amygdalarum. *Butyrum amygdalarum* ita parat Gentilis in *febribus putridis*. Recipe amygd. mundarum ℔j. plus minus, teruntur exacte in mortario, & diſſolvuntur cum modica calenti aqua, conjectis ſuccus in colum exprimitur, manabitque ſpiſſamentum butyri forma, quo immiſſo in fiſcellas, tenue quod eſt tranſcolatur, & craſſum uſui reſervatur, vel ut ſimpliciter in tenuiſſimum victum ſervetur, vel quod aliis incoquatur. Hæc quidem pro robuſtiſſimis ex dilutis ſeminum aut ſaccharo parantur & condiuntur. Pro debilioribus firmiora pulmenta. Jam verò debilioribus prædicti paſtilli ex mica panis, ipſave mica diſtrita & comminuta, oriza, & ſimila, niſi flatulentus hominis affectus, vel aliud quid tale prohibeat, ex jure vituli, vel hœdi lactentis concoqui poterunt, aut ex jure pulli macrioris: qui gradus eſt alter diætæ pro imbecillioribus.

Sorbitiones quibus maxime in affectibus ſint offerendæ. Hoc ſane genus pro afflictis partibus oris, & gulæ, maſticationique ſervientibus, vel adjuvantibus aliis maximè convenit: vel ſi minùs quidem hominem nutrire velis, & vires fovere, prædictis iiſdem juribus incoqui conſuevere borrago, cicho-

cichorium, intybus. His addere tu potes cicerbitam & chondrillam, lactucæ etiam cauliculos, si concrassari magis sanguinem expediat. Cremorem quoque amygdalarum cum saccharo, non melle, quod Trallianus pleuriticis offert dabis his, qui pectore aut ore laborant. Sed butyrum recens ex lactis pinguitudine, quam florem lactis appellant & aphrogalactes & melcam, in noxis pectoris approbandum, & ratio vult, & consuetudo obtinuit; sive ipsum per se, sive ad aliquorum condituram. In cæteris non adeo tutum est propter eandem pinguitudinem, quæ incommoda etiam inflammationi subditis corporibus: ob eam causam prætérquàm petente necessitate, & nisi parcè, non utendum.

Ubi minus] hominem nutrire velis.

Flos lactis pectoris affectibus commodus.

Incommoda inflammatis lactis pinguitudo.

§. 2. *De formulis cibariorum privatis.*

Dabimus hic iis, qui desiderant, aliquot eduliorum necessariorum formulas, quas non ingratis excipient saltem curiosi. Ratio parandi *cremoris ptisanæ*, qui usu frequentissimus est Neapoli. ℞ hordei recentis diligenter nudati à cortice ℔j. decoque ex hordei aqua sufficienti per diem naturalem, deinde cola per manicam Hippocratis, & quod colatum etiam cum sacchari albi quod satis est condi, & sub dio repone. Contusum Romani in aqua pura coquunt, in his varii.

Cremor ptisanæ Neapoli vulgatus.

Romanus parandi mos.

Potest far decoqui & duplici vase ad majorem viscerum refrigerationem, potestque ad exactam percoctionem olla conclusa suo farre & aqua sufficienti plena sub cinere calido prunarum suffodi, ita lente sine coquentis cura percoquitur spatio 2. H. Potest sic & alica parari. Quidam hordei far per noctem aquæ tepidæ infundunt, & mane hac abjecta ex recenti aqua coquunt.

Ratio decoquendi farris elegantior.

Alica.

Cremor χόνδρȣ alius alicæ, vel hordei farina cum aqua coquitur, & additur granatorum, limonum, cydoniorum succus, aut omphacii, aut acidæ rei similis. Valet phreneticis, levibus humoribus densandis, & intime compingendis. Jacobus Sylvius in *curandorum morborum method. c. de phrenitide.*

Cremor alicæ.

Usus ejusdem.

Ratio parandæ pultis ex hordeo decorticato
ex *Heurn. lib. pract. meth. c. de emulsionibus.*

℞ hordei mundati ℥j. coque ex sesquilibra aquæ, tum in

Pulticula hordeacea. pulticulam vertatur, mox trajice per ſetaceum, hinc adde emulſionis 4. ſeminum frigidorum majorum, ſem. papaveris albi an. ʒj cum ℥iij aquæ hordei fiat emulſio, quam cum dicto cremore continenter agitato, fac ferveat, denique ad delicias adde ſyrupi de papavere; ſacchari albi an. ʒj. f. *hordeatum.*

Longe diverſam ad phthiſicos alendos tenuit rationem Hercules Saxonia *l. c. panthei med. c.* 2. quam & noſtris ſecundum thoracem vulneratis accommodare licebit. Accipit flores farinæ hord. & ſacch. exquiſite triti ſing. ℔iij. in ollam utrumque ſtrato uni alterum viciſſim imponit, ut nil reſtiterit, (addere licet & fructus pini, & chinæ radicem contrita, ſed meliori cum gratia palati) obducitur ollæ oſculum paſta, poniturque in furno non impenſe calente, ſinitur ad horæ 4. partem ſingulis diebus continuis, deinde portio hujus quæ non excedat ℥j contunditur, & ex hoc in jure optimo, vel lacte, aut emulſione amygd. dulc. fit ferculum ori ſuaviſſimum, & ſtomacho utile.

Gentilis præparata hordei farina. Gentilis in *libello de feb. putridarum curatione cap.* 2. adjecit his aliam induſtriam, ut farina hordei creta tenuiſſimo cribro ſetaceo injiciatur intra paſtile in furno dum panis coquatur, & hoc exacto tempore educta ſervetur ad uſum.

Joſephus vero Quercetanus *in Diætetico* refert Gallis hordeum mundum exſiccari in furno, ex eoque farinam confici, quæ per integrum annum ſervatur.

Hordeatum Quercetani. Qui idem vir *hordeatum* parat ad hunc modum. ℞ hordei mundati ℥iiij, coquatur in ollula affundendo inter coquendum jus optimum ex capone, in quo ſuo tempore lactuca, borrago, acetoſa, portulaca incocta fuerit: hordeum ita coctum per ſpatium ſex aut 7. horarum ad minimum, & optime tritum trajice cum jure illo per ſetaceum, & in patina effunde ſine alio additamento. Eodem fere modo præparat Matthæus Gradius in *conſil.* 8. *pro curanda incunte hectica.* Quidam, ut albius & guſtui gratius reddatur hordeatum, addunt terendo hordeo amygdal. decorticatarum unam aut alteram unciam. Simplicùs alii ſic. Hordeum mundum media coctura remollitum teritur, & cum lacte amygdal. dulc. ſufficienti coquitur iterùm exactè, & exprimitur manica.

Aliorum præparatio.

At

At si conciliandus sit somnus, tale paretur hordeatum; pergit Quercetanus, atque item Montuus, & Rondeletius. Recipe hordei mundati, accurate vel cum prædicto jure, aut simplici aqua cocti, uncias quatuor, amygdalarum dulcium uncias duas, quatuor seminum frigidorum majorum mundatorum ana semiunciam, seminis papaveris albi drachmam unam. Amygdalæ & semina macerentur per duodecim horas in aqua lactucæ, dein una cum hordeo, ut suprà, cocto optimè terantur in mortario marmoreo, & transcolentur per setaceum, addendo sacchari quantùm sufficit. Coquantur secundùm artem, & exhibeatur hora somni tale ptisanarium vel hordeatum, ut vocant. Somno conferens hordeatum.

Cremor autem *hordei* sic paratur. ℞ hord. mund. ℔ß infundatur in aq. capill. ven. sufficienti per diem naturalem, bull. & extrahatur mucilago, fiat syr. cum saccharo s. 4. Cremoris hordei parandi ratio.

His *hordei* (extende etiam ad *alicam*) præparamentis calida sub rerum exigentia, id est, affectus, temperaturæ, ac naturæ hominis, regionis, temporisque anni, atque hoc genus aliorum, licet addere granatorum, limonum, aurantiorum, citreorum, cydoniorum, omphaciique succus, aut acetum, aut simile aliud, quibus addensati humores corporis & coacti caput ægri non petant.

Panatellæ confectio talis est.

Recipe medullam panis albi, infunde cum jure caponis per unam aut alteram horam, & per setaceum trajice, addendo vitellum ovi unius, & parum sacchari, coque ad justam consistentiam. Diebus asarcis pro jure caponis infundatur panis cum lacte. Panatellæ apparatio prima.

Alius panatellæ conficiendæ modus.

Recipe medullam panis candidissimi minutim infricatam & probe in patina argentea super carbones exsiccatam: infunde cum jure caponis, diebus nempe sarcoticis, aut cum lacte diebus asarcis: coque in ollula, super infundendo continuo jus caponis, vel lac, usque ad perfectam decoctionem. Hæc panatella ægris quovis tempore porrigi potest. Panatellæ confectio secunda.

Restant *edulia alba*, Gallis *blanc manger*, cujus præparatio varia est, sed optima in hunc modum conficitur. Recipe farinæ orizæ semilibram, infunde cum lacte, accipe præ- Edulia alba.

præterea pulpam integram caponis cocti, amygdalarum N. 24. terantur in mortario, addendo orizæ farinam cum lacte infusam: mixtis & trajectis omnibus per setaceum adde sacchari ad libitum: coque, subinde mixturam agitando cohleari vel spatula lignea, usque ad consistentiam pappæ.

Pappæ formula.

Pappa præparatur cum farina albissima, quæ dissolvi debet in sufficienti quantitate lactis, omnia decoquendo in lebete usque ad justam consistentiam. Quidam addunt vitellum ovi, & sacchari aliquantum ad libitum. Simplicior ejusdem dulciarii præparatio ex carne pectoris capi vel gallinæ, cum mundis amygdalis intrita, saccharoque albissimo & aqua odorat. rosarum est; ut video placuisse multis, & Ambros. Paræo alicubi sic dictanti.

Restaurantium formulæ.

Sequuntur *restaurantia vulgo dicta, incomparabiliter atque multo aliter præstantia, quàm quæ vulgò parantur alimentosi glutinis expertia.*

Recipe caponem duorum aut trium annorum, deplumatum, & exenteratum: quem collo, alis, & pedibus resectis, in frusta minuta discinde: porrò accipe unam aut duas perdices, coxam vervecinam, aut vitulinam: hæ carnes omnes minutim incisæ & invicem commixtæ maccrentur per 12. horas in vino albo: indantur postea in phialam vitream, addendo cinnamoni semiunciam, & unam aut alteram nucem muscatam, crasso modo contusam; corallorum, margaritarum præparatarum, ana drachmas tres; florum borraginis, buglossæ, ana pugillum unum: omnibus ritè mixtis, & invicem agitatis, vasisque orificio optimè clauso, ut nihil exhalare queat, ac in aheno aqua repleto collocatis, coquantur, idque sine ebullitionis intermissione per septem octove horas. Quo tempore carnes perfecte & sufficienter coquentur, & jurulentæ fient. Tepefactum vas aperiatur, jusque inde separetur, exprimendo residuam carnium partem per linteum: omnibus refrigeratis, pinguedo, si quæ restat, cochleari argenteo separanda est: sique forte cruditatis quædam apparent vestigia, jus inter duas patinas recoquendum est, donec albedinem & decoctionem perfectam assequatur. Hujus restaurantis, instar gelatinæ gelati, accipe tria vel quatuor cochlearia; quod in patina super carbones eliquatum,

quatum, ſorbendum des ægro ad vires inſtaurandas: idque continuandum ſingulis tribus horis. ex quo brevi reſtitutum iri illum videbis.

Reſtat, ut adhuc pauca dicamus *de gelatinis*, *earumque præparandarum modis:* ex quibus unam præ cæteris utiliſſimam tantum proponemus, quæ & ſequitur. Gelatina.

Recipe unum caponem duorum annorum, vitulinam poplitariam, pedes vitulinos quatuor: omnia decoque cum vini albi duabus menſuris, & aquæ tantundem, idque in olla nova vitreata: deſpumando pinguedinem, tam inter coquendum, quàm poſt: omnibus ſufficienter coctis, jus per linteum fortiter exprimatur, & pinguedo, ſi quæ reſtat, omnis dematur: jus porrò in ollam novam trajiciatur, addendo ſacchari albiſſimi ſeſquilibram, cinnamomi integri ſemiunciam, caryophyllorum N. 12. Poſt cujus ebullitionem addenda inſuper ſunt duo ovorum albumina ſufficienter agitata, iterumque ebulliat, dein tranſcoletur per manicam: & ſic habebis gelatinam optimi nutrimenti, quæ prodeſt appetitui proſtrato, & languoribus aliis diuturnis.

Eadem ut colore rubicunda efficiatur, in locum caryophyllorum alii parum ſantali rubri adjiciunt: alii, ut flava fiat, paululum croci addunt: alii, ut acidulum & ſuavem acquirat ſaporem, affundunt ſuccum limonum, vel parum aceti. Hæc ex Quercetano.

Alia etiam ejuſmodi plura, ſi velis, invenire per te ipſum poteris apud Bartolomæum Scapium & alios hujuſmodi coquos Pontificios: ut ne Apicium Platinam, & ſuperiores ejus generis auctores nominem. Eſt & Leonardus Floravantus, qui *lib.* 5. *ſecretorum rational. cap.* 84. *& deinceps* pleraque iſtorum conſcripſit. Eſt & Euonymus, qui *lib.* 2. *c. de aq. ex animalib.* deſtillationes pleraſque caporum deſcripſit. Neque verò te tædeat aut hos profeſſores inquirere, aut hæc ex aliis audire: ſiquidem *coquinaria auxilia ſemper medicis neceſſaria eſſe* ſcripſit Plato. Plurima quoque iſtorum expoſuit Arnaldus: ſed ordinatam generum rationem nemo melius ſcripſit Vidio *lib. de ratione victus.* Scriptores iſtarum rerum alii.

§. 3. *De potulentis.*

1. E potulentis *simplicissima* & *prima est aqua.* Qam ipsam ut
& acetum nominavit fortasse pro acetosis Hippocrates *l. de
affect.* 37. picrocholis acetum mulsum dulcem in aquam de-
stillat *lib. de fract.* 39. Nunc verò usu trita est, quæ saccha-
rum & cinnamomi tantillum receperit, sive cocta, si opus
2. sit; sive cruda, si alteram æger non ferat, sed pane infricato
3. ac leviter torrefacto sæpius transvasata atque elutriata. Item
4. aqua chalybeata. Ab his aqua est, in qua hordeum incoctum
5. sit, vel coriandri semen præparatum, vel santali: vel uva
passa, pruna, zizipha, atque hujusmodi dulce genus, si pecto-
6. ralis usui sit: vel adianthum & petroselini & graminis radices,
7. si diuretica quæratur: aut in qua oxalis, vel portulaca, vel ta-
8. marindi, vel acida cerasa recentia vel sicca fuerint elixa, si ad-
strictioni, siti, palatove serviatur. Sunt multi, qui puræ aquæ,
vel hordei, vel aliorum decocto, sive ad retundendam bilem,
sive ad compescendam sitim, sive ad stomachi gratiam, acidos
succos immiscent, malorum punicorum, citrii, limonum, om-
phacii, oxalidis, rumicis, ribium, baccarum rhois, oxya-
9. canthæ, uvæ crispinæ: demum syrupos, vel julapia aliquot,
portione, ut faciat oxysaccharum: quæ singula mediis in æ-
statibus commendantur. Vel admiscent, quando æger his
10. delectetur, succum cannarum dulcium, & serapia pectoralia
dicta. Vinum granatorum cum aquæ saccharatæ portione
Arantius. justa offert J. C. Arantius *lib. de tum. cap.* 3. Nos succum
cerasorum acidulorum in loræ modum decoctorum æstate
11. obtulimus. Aliquando etiam hydromel in thoracis affecti-
Quercetanus. bus congruum erit, quod paratur, auctore Quercetano, ex
5. aut 6. aquæ partibus & una mellis defæcati ad eum termi-
num decoctorum, ut humori ovum recens supernatet. Per-
12. sæpe etiam mulsa offertur, præsertim hyeme: quam dicit
Arnaldus. Arnaldus *in doctrina* v. *c.* 11. *E. in vulneratis, phlegmaticis &
hyeme, mel adjungitur potioni.* Suppuratis amylum mulsæ
ex aqua pluvia confectæ adjicit Nicol. Piso *lib.* 2. *de morb.
intern. cur. c.* 9. ita igitur & nos empyicis ex vulnere. Alii
13. denique stillatitias ex duplici vase aquas schorsoneræ, melissæ,
14. buglossi, florum cordialium, portulacæ, atque oxalidis of-
ferunt.

ferunt. Non desunt etiam ex his, qui fontanam aquam porrigant, in qua ignitum aurum sæpius extinctum sit, pro corde fovendo. Usus sint horum omnium potuum varii pro variis hominum casibus & appetentia: suosque prout usitatos habet regio natioque. Sic cerevisiam, zitum, vulgo 15.
birrham, gustant libenter aquilonares. Vinum malorum punicorum, pomorum, alii populi; quam *sidram* dicunt. Parabitur autem ex Oribas. 5. *collect.* si ab acinis eorum expressus succus ad tertias decoquatur: *Hebrææ* nimirum *potionis* omne genus, quod inebriare possit, secundum Hieronymum. De quibus omnibus conficiendis atque ejus generis aliis, lege *librum de vini natura, artificio, atque usu* Gulielmi Grataroli *cap.* 23. 24. 25. & 26. G. Fallopius, vir omni doctrina excultissimus, hanc vinum æmulantem aquam descripsit *lib. de tumorib. c. de inflammatione.* Coque duos sextarios aquæ in olla, donec parum diminuatur, post hæc adde duos num. caryophyllorum, scrupulosque duos cinnamomi integri, & interferveat aqua. Quo facto, subtrahatur ab igne, & frigescat obstructo operculo, tunc additur sacchari purgati & vini granat. acerborum an. ℥ij. vel amplius. hac æger utatur. Præter hæc *pomatii* 17.
ac *pyratii*, potionis, meminerunt exteri. Ex Celso potest 18.
esse κρᾶμα, id est, *diluta potio*, secundum Plutarchum, sive *vinum copiosiore aqua dilutum*, ex Dioscoride verò *lora*, quam ægris concedit ille à longa se valetudine recolligentibus. Porrò si vinum immisturus es aquæ præcipue si calidius est, horula una confundendum est, prius quàm stomachus experiatur, præcepto Mosis ad Sultanum.

Oribasius. D. Hieronymus. Gul. Grataroius. Fallopius. 16. Celsus. Præceptum. Moses.

Admonitio circa prædicta.

Vinum oligophorum album per saccharum tritum in panno raro sæpius transcolatum aliquando nos Johanni Baptistæ Pagano pectore transfosso bibendum dedimus. Historia

Visa sunt hic & adjungenda quædam, quæ plurimum in rem faciunt, ex Arnaldo Villanov. ex *operibus parab. doct.* 5. *cap.* 10. transscripta, quæ sunt.

Aph. 17. Festina consolidatio vulnerum potissimùm causatur à sanguine paucæ aquositatis: quapropter aquosos potus vulneratis convenit evitare.

Cap. 11. *aph.* 1. Potio, quæ consumit, atque sequestrat aquositatem à sanguine, non aqua, sed vino, stypticis diureticis cum aromaticorum commistione conficitur.

In vulneratis phlegmaticis, & in hyeme mel conjungitur potioni. *aph.* 2.

Cap. 12. *aph.* 1. Venter stypticus & viscera obstructa vel tumida spiritualia sicca vel totius ariditas prohibent vulneratis offerri potiones stypticas & acutas.

Cap. 13. *aph.* 1. Quanto vulnerati majorem fuerint hæmorrhagiam passi: tanto securius pigmentis aromaticis imbuuntur.

Cap. 14. *aph.* 1. Sicut vulneratis hæmorrhagiam passis merum præcipuè congruit: sic pronis ad eam derogat omne vinum, & quicquid acuit sanguinem vel stimulat ebullire.

Cap. 15. *aph.* 1. Sicut inflammativa & subtiliativa cogunt effluere sanguinem: sic & infrigidantia prohibent emanare.

Cap. 16. *aph.* 1. Quibuscunque intrà corpus recenter sanguis coagulatur, his potio vulneraria sudorem provocans confert.

Admonitio de nostris diætandi præscriptis.

Hæc nos quidem vulneratorum alimenta primi compilavimus, quorum aliqua consueti moris sunt, alia non quotidiana, & alia fortasse videbuntur insolentia. Nihilominus hæc

1. postrema cogitare debebis à nobis scripta, in universum consulentibus varietati naturarum partium corporis, ætatum, temporum, locorum, miseratis quoque, & ægrotantibus, & prostratæ ipsorum appetentiæ, dejectæque virtuti, potissimum è multis & longis sanguinis profusionibus atque hujus

Amplioris nostræ circa cibaria præceptionis causæ.

2. generis vacuationibus. Ad hæc scire licet vulnera diuturna,

3. velut ulcera vetera procuranda, minùs exquisito victu indigere; recentia vero plerumque, ut acuti morbi, tractantur. Præter quas rationes & alias non negligendas addam, videlicet accidere sæpe, ut robustiores, vel causa stomachi, vel sensus acrimonia, vel contrariæ consuetudinis usu, abstinentiam diutius ferre haud queant vulnerati, percipientes inde vel morsum atque æstum circa superiorem ventriculum, aut cephalalgiam, aut lipothymiam, aut febrem incurrentes, aut attractum denique superfluitatum, ad stomachi cava sentientes. Quas omnes noxas atque molestias ferre languentibus du-

duriſſimum ac minime tutum fuerit. Ob id prudentis conſi- Accommodandi ventriculis congruentes ac proprii victus.
lii fuerit victum accommodare ventriculis, ſicut amplioribus hypocauſtis ſufficientia ſua ὑπεκκαύματα, ſuccendicula, quaſi præſcripta per divinum Hippocratem in 14. *aph. pr. I.* Mitto, quod ubi principibus viris excogitare debeamus condu- Simile.
cibiles ſimul, & non ingratos cibos, ad manum oportet ſint Hippocrates.
deſcriptibiles medicis. Porrò diſplicere non debet, à nobis, 4.
diætam in chirurgia inſtaurantibus, atque ex integro inſtituentibus, modos plurimos interjectos, ex quibus omnibus tanquam ex ampla & copioſa farragine commodiùs ſit artifici ſua deligere alimenta, quæ videantur decumbentibus opportuniora. Denique facere perſæpe cogimur, ut ſanitati ſerviat voluptas. *Namque in nonnullis magnum ad aviditatem mo-* 5.
mentum affert edendi inſuavitas, ut Galenus eſt auctor in 2. Galenus.
de alimentorum facultat. Voluptas vero ex ſapore alimentorum cocturam conciliat ex amico ventriculi circumplexu, quod M. Hippocrates indicavit *aph.* 38. *lib.* 2. Itaque varieta- Hippocrates
tem victuum adſcripſiſſe non alienum, ſed maximè neceſſarium fuit, ſi ſint æqua indicia.

Hactenùs præſcripta diæta etiam vulneratorum, intra tem- Temporum diſcretio.
pus inflammationis & fluxionis humorum, durans alias ad ſeptimum, alias ad decimum quartum, nonnunquam etiam ad decimum ſeptimum, & ad vigeſimum diem. A quo deinceps tempore fieri gradus poſſunt ad carnes, & ad vinum, breviter ad eum victum, quem ulceroſis jam præſcripſimus.

§. 4. *De ratione victus, quam ſervare debent hi, qui vulnus è chirurgi manu recipiunt.*

Poterat huic quidem ſermonis particulæ ſuperſederi facile, ſi confidiſſem atque certo ſperaſſem omnes qui me lectitant, præterita cibandi præcepta & ad eos, quibus medicus vulnus facit, facturos eſſe communia. Verùm quia nulli rei incommodat explicatio, ſatisfaciemus & his, qui quærent, Partitio victuum.
quis victus offerendus ſit iis, qui chirurgiam, proprie dic- Inedia quibus conveniat.
tam, ſint in ſe recepturi. Eſt igitur, quando tum inedia, tum victu tenui, tum pleniuſculo laborantes ſunt continendi. Inedia quidem ſub his convenit & tunc, cum atrox quæcunque opera ineunda eſt: videlicet cùm calculus ſecta ve-

l. 3. de effic. medicina, expos. prima, c. de reliqua sectione. fica detrahendus est; cum inguen aut testiculi sunt exscindendi, tum in volvulo, tum in herniis, *sicut aliquando dixi:* cum amputatio membri conficitur; cum cataracta deponitur; si humeri, cubiti, femoris vetusta luxatio restituitur; si confringitur porus, in osse primitus fracto male conglutinatus; si vivus puer ex utero per sectionem, quam cæsaream vocant, extrahendus est; si mortuus ex eodem claustro minutatim eximendus; si varices, aut extumescentes in arthriticis venæ exscindendæ; si aneurisma tollendum.

In his atque aliis hujusmodi casibus non mediocriter probatur, si non ipsa inedia, certe perquam tenuis & exquisitus victus: qualis fuit antiquis succus granatorum, cremor ptisanæ; nostris vero temporibus saccharum simplex, saccharum rosatum aut buglossatum, cum aqua superpotata; crustulæ tenuissimi pollinis cum saccharo, quas dicunt *nevole*, credo à nephelis Græce, nubeculis Latine, quas illæ tenuitate repræsentant; item cibus ex pane loto & exsiccato. His pridie etiam & postridie plus minus victitabunt. (Nevole vulgare bellarium.)

Panatella vero, quam nostri vocant, aut ex passis uvis cum bellariolis, & jusculum pulli pusilli, victus est ordo ulterior. His & eo genere utendum in gangrænis, quibus crebræ fiunt per scalpellum incisuræ, aut quibus in sana parte ad ampliandum, sive ad infixa extrahenda secunda fit plaga, quibusque calvæ fit excisio vel terebratio, vel in pectore sectio vel ustio, tum in empyicis, tum in cancrosis, & in abscessibus cum integente membranula eximendis. (Victus ordo secundus.)

Postremus diætæ gradus statui potest his, qui ex hydrope vel abscessu magno, per decubitum facto, secantur aut uruntur; item quibus phymata vel pani jam suppurati aperiuntur. (Victus tertia species.)

Illud tamen scire convenit, ita quidem perpetuas has esse normas aut hæc præscripta, si virium imbecillitas & hominis languor non immutet. Deinde & per figuram &, ut Græcè dicam, ἐν τύπῳ producta hæc esse.

Caput

CAPUT VII.

De eorum, qui tumores aut abſceſſus patiuntur, victu.

Tumores, quod genus & ulcera comitari ſubſequive ſolent & præcedere ſæpe, neque ſuis ad victum optime inſtituendum carent obſervationibus. *Calidi & frigidi*, cum prima ſit horum diviſio per Avicennam 3. 41. *tr.* 1. *c.* 1. *ſua quidem his, & ſua reliquis eſt nutricatio conſtituta.* Itaque phlegmonæ, & eryſipelæ, herpeti, & carbunculo, cum cæteris omnibus, qui ſunt analogi, quoniam horum affectuum cauſa eſt calida, victus eſto frigidus, & quem Hippocrates vocavit, humidus; ptiſanæ videlicet, olerum frigidorum, cucurbitæ, cucumeris, hordeatæ amylatæ pultis, aut panis triti cum amygdalarum vel cucurbitarum ſucco. Potus autem aquæ, & qualis in vulneribus uſitatur. Avicenna. Inflammatoriis tumoribus victus offertor frigidus. Hippocrat.

Sed ad frigidos tumores, hoc eſt, ædematoſos & ſcirrhoſos, vel calida, vel neutra cibaria competunt. Ex prioribus ſunt fœniculum, eruca, ſinapi, naſturtium, ſiſymbrium, braſſica, betonica, aſparagi. Ex aromatibus cuncta. Ex potulentis vina majora, aqua ſparti Indici temperata. Ex animalibus carnes vervecis, hœdi, vitulæ, ſylveſtrium quadrupedum, aves montanæ, domeſticæque omnes, ova, piſces ſaxatiles &c. Frigidis tumoribus qui victus debeatur. Potulenta. Carnium genera.

Hæc poſteriora quidem neutra vel media dicuntur, quæ ad incipientes tumores non male præſcribuntur. Cæterum ad abſceſſus, ſive hi calidi ſive frigidi fuerint, contrarietatum uſu relicto atque omiſſo, accipiantur ea, quæ ad exſiccandum imminuendumque humorem purulentum faciunt. Atque ita prohibitis relictiſque juſculentis, herbariiſque ferculis, & quæ cum humore parantur, etiam acetariis, & liquidioribus omnibus, fructibuſque horariis, & poto multo; in reliquum approbantur aſſa, vel elixa ova duriuſcula, fructus aridi, paſſa uva, amygdalarum fructus, & id genus alia. Ad ſummam tractandi ſunt abſceſſus quotidiano victu non alio, quàm quo ulcera: quare ſi quid in his deſideratur, inde repeti licebit. Abſceſſus & ſuppurationes quo victu gaudeant. Abſceſſibus & ulceribus communis victus.

Caput

CAPUT VIII.

De Victu luxatorum.

Luxati, mea quidem sententia, duplicem doloris acerbitatem incurrunt; eam primo, quæ ex diductione ossis violenta & ex sede propria remotione, & eam, quæ ad suum locum medica manu fit restitutione. Quas ob utrasque caussas obnoxios ipsos esse inflammationi necessum est, præsertim cum luxatio magna est, quæ composita cum vulnere, vel est in membro musculoso, & cum complicatu symptomatum, & febris. Itaque recte Celsus *magnum his ex longa fame præsidium* definivit, & veteres Græci omnes offerendum voluêre melicratum, & sorbitionem alicæ, vel hordei. Celsus vero *lib.* 8. *cap.* 7. mandat ægris *famem sustineant usque ad tertium diem, & deinde humidum cibum ingrediantur, & sublata inflammatione paulo pleniorem, eumque qui carnem alat. At si facilior sit restitutio, neque aliud quid discriminis fuerit, victu mediocriter tenui luxatus tractandus est*, ut *primo de fractur.* 45. *&* 46. videlicet ptisana, aut alica integra, piscibus petricolis, malva, beta, blito, atriplice, & ejus generis mollibus obsoniis; quæ alvum laxent: *nam respondere ventrem luxatis necessarium est*, ut *citato loco de fract.* proposuit Hippocrates. Ratio autem est, ut quod affluere debet in musculentam articuli, qui jam debilis est, substantiam foras evacuetur. Victus hujus retinendi terminus citerior est septimus dies, ut 4. *de artic. particula* 65. hunc proposuit Hippocrates primum inflammationis terminum. Ulterior est nonus, ultimus erit decimus dies; quo tempore tutissimum est plenius vesci non negatis carnibus; sed has ex extremis animalium partibus tendineis & cartilagineis, utpote viscosis & glutinatoriis, sumendas voluit Avicenna *in* 5. *fen.* 4. donec ad integram sanitatem perventum sit.

Luxatis magnum ex longa fame præsidium.

Hippocrates

Respondeat alvus luxatis necessum est.

Ratio.

Victus & inflammationis termini.

Avicenna.

Hic luxatorum proprius cibus est communi omnium sententia. Cæterum de vino discrimen est, quod per omne tempus interdixit Celsus, concedit sub sarcoidis calli generationem Avicenna in 4. *fen.* 5. *tr.* 2. *cap.* 18. pariterque alii, qui successêre. Nec de Hippocrate dubito, quod consenserit in austero,

De vino disquisitio.

Celsus. Avicenna.

Hippocrates.

ro, & nigro, quando tale & in acutis permiſit *comm.* 3. *de diæta acut. particula* 39. Quocirca neque diſcrepare ab his Celſum judico; ſed quod per omne tempus vinum alienum eſſe dixerit, equidem, manente ſuſpicione inflammationis interpretor. Et quod ita ſtatuerit Cornelius, factum inde puto, quod ſimiliter in Hippocrate *comm. primo de fract. particula* 47. ſcriptum legerat abſolute: οἴνου δὲ καὶ κρεηφαγίης ἀπέχεσθαι, quorum ſenſus eſt, *ſed à vino & carne ſibi temperent.* Sed eo, quo dixi modo, non videtur loquutus Hippocrates: etenim continuo ſubdit: ἔπειτα μέν τοι ἐκ προσαγωγῆς ἀνακομίζεσθαι, id eſt, *poſtea tamen progreſſu facto reficiendi.* His igitur ſic compoſitis vinum aliquando concedi luxatis non alienum eſt.

Explicatus Celſi locus.

Expoſitus Hippocratis locus.

Vinum concedi luxatis non alienum eſt.

CAPUT IX.

De eorum, qui fracturas oſſium paſſi ſunt, victu.

Iis verò quibus aliquo caſu confracta ſunt oſſa, Cornelius auctor graviſſimus hunc indixit *l.* 8. *c.* 7. *Illud ad omnia oſſa pertinens dictum erit, famem primùm eſſe neceſſariam, deinde à die tertio humidum cibum, ſublata inflammatione paulo pleniorem, eumque, qui carnem alat; per omne tempus vinum eſſe alienum.* Hæc ille conceptis verbis. Cum quo viro concordat etiam Galenus *in l.* 3. *meth. med. c.* 5. & cum his utriſque Hippocrates in *comm. de fract. partic.* 47. Hæc quidem hi de communiter dicta fractura. *At comm.* 3. *ejuſdem operis partic.* 12. ſcripſit hæc Hippocrates. *Tenuiori autem cibo diutius contenti ſint, quibus à principio carnis quoque vulnus acceſſit, vel oſſa cute exciderunt, &, ut una oratione omnia complectar, graviſſimæ fracturæ rationem victus tenuiorem ament & diuturniorem.* Nos vero ſi recte ſummam ſubducimus, non alienum his ſane, quàm qui vulneratis ſolet, victum offerre debebimus: niſi quod per ſarcoidis pori procreationem glutinoſum exigitur alimentum. Quare ſi quid acidum, inciſorium, atque attenuans in vulneratis nutriendis præſcriptum fuit, id omne in his reſcindi debet; præſertim per ante memoratum ferruminationis tempus: namque per initia non incommodum puto futurum, ad compeſcendos atque antevertendos bilioſorum

A Celſo conſtitutus victus homini fracturam paſſo.

Galenus.

Hippocrates.

Sub ſarcoidis procreationem victus glutinoſi neceſſitas.

Acida principio competunt.

ſorum ſuccorum incurſus, vel citri acidum, vel omphacium, aut quid tale præberi.

Deinceps verò quum dies advenerint porum ferentes, qui non omnibus fracturis definiti ſunt, ſed etiam atque etiam varii pro oſſium patientium conditione ac natura, ſub his protinus viſcidioris ſubſtantiæ cibaria licebit offerre, qualia ſunt videlicet: panis triticeus è farina primaria, paſtillorum omne genus, alica, hordeum mundatum, ſiligo, frumentum, oryza, ſimila, id eſt, ſemimolitæ farinæ pars craſſior, cocta in capi juſculo cum vitellis ovorum; ex animantibus vero partes extremæ, cartilagineæ, nervaceæ, cutaceæ, ligamenta, tendines, linguæ, roſtra, capita, auriculæ, pedes, & cerebella, pedes potiſſimum vitulorum, vervecum, hœdorum, eorundem inteſtina, & lactes *animelle* vulgo appellatæ, quæ tamen, ut vult Avicenna *lib.* 4. *fen.* 5. *tr.* 2. *c.* 18. debent eſſe biſcocta, ova integra, &c.

Expoſita certa genera cibariorum.

Avicenna.

Adſtringentes cibi in ſecunda menſa.

Quidam viri caſtaneas & meſpilos in ſecunda menſa ſumendos voluere, cibum quidem lentiſſimum & adſtringentem non parum. Nos tenuiora propoſuimus in ſermone vulneratorum diætæ.

Hæc quidem ex communi medentium uſu præſcribuntur decumbentibus. Nihilominus ea in opinione fuit Gulielmus Fabricius Hildanus, ut contenderit infrugiferam alioquin eſſe victus hanc rationem. Cujus ſententiæ ſuæ rationes affert, quod aſſueſcens viſcidis iſtis eſcis continuò cava hepatis regio, tale educat ſanguineum genus, qualis & materia fuerit. Hinc obſtructiones, & infarctus venarum, ſcirrhi lienis, & hepatis, λιθίασις, calculi renum, & veſicæ, atque ex his alia deteriora, conſequuntur. Additque ex Gal. *lib. meth. & artis medic. c.* 86. ſpontaneum eſſe fractis oſſibus viſcidum alimentum; quippe quod ex cavernulis appendicum & intimorum oſſium prodit ad ipſum os fovendum. Ex hoc igitur ipſo glutine & porus ſarcoides exſtruetur. Itaque ſuperfluus & inutilis eſt eſus viſcorum omnium in fractis oſſibus conglutinandis, auctore iſto.

Fabricii Hildani opinio adverſus omnium commune præſcriptum.

Galenus.

Lapis oſteocolla Germanis uſitatus.

C. Magatus.

Verumtamen ſi, ut fama eſt, lapis oſteocollæ, quem proprie *bembrucho* Germani nominant, ut auctor eſt Magatus *primo de vulneribus c.* 57. *f.* ſeſqui drachmæ pondere ex vino mera-

meraco cùm mane, tum vesperi haustus triduo, vel quatriduo ferruminare dissoluta ossa valet: periculum illud non est, quod tantopere cavebat Fabricius ex obstructionibus. Fabricius.

Vinum competit rubrum, crassum, adstringens, aqua mediocriter temperatum. Vinum fractis ossibuss adstringens esto.

CAPUT X.

De inanitione corporis sensibili, quæ ulceribus & ejus generis vitiis servit.

Si diætæ nomen latius extendimus, quemadmodum fieri consuevit à nostris per primum Galenum edoctis in *comm.* 3. *lib. epid.* & in *comm. de natura hum.* 5. inanitio corporis, & agitatus, quem motum dicunt, prout medicæ considerationis est, sub ea comprehenditur. Quare de his aliquot & necessaria, quemadmodum nostræ virili licet, differemus, præsertim ad percuranda ulcera, Hippocratem porro imitantes; quippe ipse nobis agendi docendique præmonstrator *primo libri de ulceribus ingressu* de his provide præcipiendis, riteque per nos servandis fuit sollicitus. Itaque nos agemus primùm de vacuatione, & vacuantium generibus, & sive id quidem efficiant per se, sive per accidens. Galenus. Hippocrates.

Vacuatio igitur *universa est humorum in corpore, quantitate præsertim molestantium, excretio.* Dixi præsertim; quod nihil vetet eosdem & qualitate incommodare, adeoque sit excessus duplex, tum in qualitate, tum in quantitate: quam Græci cacochymiam appellaverunt. Nam neque ejus sententiæ sum, ut putem hoc solum in qualitate vitium, sed qui ita sentiunt, eos credo errare. Qui tum facile se corrigent confido, ubi reputaverint generationem cacochymiæ, quam Galenus 3. *de temperamentis* 3. scripsit fieri ex multis pravis & vitiosis succis aliis, ex corruptela, & putredine. Quas ob res cum cacochymia potissima ulcerum & communissima causa habeatur; jure nos huic vacuationem instituimus. Quæ cum multiplex sit, sive universalis, sive particularis, sensibus patens, & obscura: circa singulas species providum & perspicientem volo nostrum chiriatrum. Quorum omnium præcepta & normas quis possit sub his compendii angustiis explicare? Sufficiat ergo, Vacuatio. Cacochymia haud solum in qualitate vitium. Cacochymia potissima causa ulcerum. Cacochymia multiplex.

go, si carptim & vellicatim, quæ magis ex usu sunt, attingamus; sic, ut viam in his tenendam monstremus, quasi qui digitum ad fontem intendit.

§. 1. *De Sanguinis detractione.*

Sanguinis detractionem quæ maxime persuadeant.

Sanguinis detractio, quocunque modo adveniat, aut facta sit, maxime juvat eos, qui sub plenitudine patiuntur ulcera, siquidem illa sit ad vires, sive ad vasa, præsertim sanguinea, quorumve temperatura aut ipsa talis est, aut huic maxime analoga; similiter & quorum ætas hujus naturæ propria participat, ut juvenum, & adolescentum, & quorum corpus habitius est, & compactius, & vita desidior, qui vinosiores sunt, minusque venereis dediti, quique minus vacuationum spontanearum aut aliarum experiuntur, quibus si vernum tempus aut conterminum accidat, gravior est minuendi sanguinis necessitas: ad summam, quæcunque ad ubertatem succulentiamque, ut ita dicam, sanguinis spectat occasio. Hæc nobis abundantiæ intercidendæ movent consilia. Sed hæc quidem pro præsenti curando statu. Cæterùm caventes futura, & imminentia, ut inflammationem, dolorem, adfluxionem ad partem affectam, atque alia ex plenitudine mala; non cum minori providentia sanguinem minuimus, ut iis, qui ex alto lapsi sunt, internamque aut externam disruptionem passi. Ergo inquit Celsus *lib. c.* x. *si ex superiore parte aliquis decidit, si contusus est, si ex aliquo subito casu sanguinem vomit, quamvis paulo ante sumpsit cibum, tum protinus ei demenda materia est, ne si subsederit, corpus affligat. Idemque jam aliis casibus repentinis, qui strangulant, præceptum est.* Atque ita quidem de universa sanguinis detractione non ipse dicam, sed rerum natura decernit. Sequitur autem maxime hæc præcepta emissio sanguinis per venas, quæ plenius omnino scopo satisfacit; deinde & aliæ hujus eductiones, quæ isti quam simillimæ sunt, etiamsi sint natura constitutæ, sed arte movendæ, cum deficiunt, ut hæmorrhoides in maribus, menses in fœmellis, hæmorrhagia narium in utrisque. Præter has aliæ sunt sanguinis in chirurgia extrahendi rationes, quæ quoniam sunt & curationi communes,

Præcavendis etiam futuris malis commoda sanguinis missio.

Celsus.

Sanguinem ex subito casu vomenti etiam pasto sanguis detrahendus.

munes, ſuo per nos loco tractatas leges, ut *hirudines*, *ſcarificatus*, *cyrſotomia* ſive *varicum diſſectio*.

§. 2. *De Scarificatione.*

Ex præſidiis quoque ſanguinis vacuatoriis, quæ ulceribus utilia facimus, ſunt *ſcarificatus*. Cucurbitas ex hoc uſu non pono, quippe quæ ex inſenſibiliter vacuantium ſunt genere, neque huc commendantur, niſi quatenùs ſcarificatui ſerviant adjuvantes ſanguinis effuſionem. Verumenimverò quid hic de ſcarificatu propoſui, qui de hoc abunde in *lib.* 3. præſertim in *chirurgia privata* egi? Sed nihilominus ibi de *vacuatoria*, de *revulſoria* hic, aut ſaltem *derivatoria medela* ſermo eſſe debet: cujus quidem ea ſunt exempla. De revulſoria ſcarificatione hic princeps ſermo.

Primùm pueris, qui tonſillas epidemicas circaque pudendas partes aut inflammationes aut ulcera, aut alia quæcunque mala ex calore ortum ducentia patiuntur, aurium ſcarificatu ſuccurrunt *Ægyptii medici* tum intra tum extra confecto, dum has & manibus confricarint & aqua calente foverint, collum vero aliquantum adacto vinculo ad tumefactum partium venarumque ſuperiorum compreſſerint; quod in omni partium ſupremarum ſcarificatu commune eſt. Quæ fortaſſe chirurgia ſpernenda per dogmaticos non eſt. Nempe Hippocrates *lib.* 6. *epidem com.* 5. *text.* 21. ſcripſit, *cum adſunt cedmata, venas in auribus poſteriores ſcindendas eſſe*. In pueris adhuc & cujuſque ætatis hominibus, qui inflammatione aliqua circa caput, aut oculos, faciëi naſique ruboribus (*guttas roſeas* dicunt) vexantur, narium cava pluſculis inciſuris aperiunt. Qui narium internarum cruentatus tam frugiferus viſus eſt Amato Luſitano in 3. *centuriarum ſuarum*, ut glorietur ſe primum hirudinum hiſce partibus imponendarum uſum induxiſſe. Sed & labia gingivaſque, præſertim inferiores, ad ſanandas labiorum fiſſuras, & ad oris fauciumque inflammationes comprimendas, ſimiliter exſaniant. In maximis autem doloribus, qui ex inflammatione ſunt & ad grave diſcrimen perducere hominem poſſunt, alte ſcarificant. Sic in pleuritide, hepatis, lieniſque inflammatione, in eryſipelatis vehementibus, quæ vel ad ſcirrhum, vel ad gan-

Utilis ſcarificatio tonſillis epidemicis vitiis circa pudenda.

Quibus in morbis utantur Aegyptii ſcarificatu.

Inflammationibus circa caput narium cruentatio conducit.

Amatus Luſitanus.

Labiorum gingivarumque ſcarificatio quibus capitis malis utilis.

Pleuritidi, Lienis hepatiſque inflammationi.

 græ-

Eryſipelis livescentibus, & in ſcirrhum tendentibus, Dysepulotis Cutis defœdationibus. Maculis Puſtulis. Suppurationibus inhibendis. Hydropicorum tumoribus Emphyſematis. Anthraci tuberculiſque peſtiferis. Tenſis duriſque partibus. Morſui rabidi canis vel ſerpentis. Ecchymomatis Intimis rupturis. Gangrænæ declinandæ. Oculorum inflammationibus. Contra noſtrorum exilem & mutilum medendi morem.

grænam finitum iri metus eſt. Sic in tumore digitorum, & in omnibus communiter tumoribus, & in omnibus ulceribus ad cicatricem non venientibus, in cutis defœdationibus, maculis, puſtuliſque, in quocunque venenato ictu, atque in aliis.

Ita quidem illi. Sed in Hippocratis dogmaticorumque omnium doctrina nos ſcalpturæ uſus factitamus, ad inhibendos phlegmonarum ſuppuratus, ad inaniendos hydropicorum tumores, ad emphyſemata, ad anthraces & tumores peſtiferos, & ulcera vetera ad comprimendas tenſas ſcirrhoſasque partes circa ulcus, cujus exſiccationem & coalitum juvant. Item cum vicinis ulceri partibus acris adjacet fluxio, ut hæc revocata deinceps illud non irriget, aut inficiat. Ad hæc ut ulcus à rabido cane, vel ſerpente excitatum, à veneno relevemus. Præterea ut contuſæ internæ partis ecchymoma reſiccemus, in intimioribus rupturis, ut 44. *tract.* 2. *c.* 3. habet Avicenna. Item ad inflammationem gangrænamque vitandam. Neque non cum livor intemperieſque tetrior circa ulceratam partem aſſiſtit, ut docuit Paulus *lib.* 6. *c.* 109. *Excuſat enim* (inquit Princeps) *ſcarificatio*, 3. 4. *tr.* 1. *c.* 2. *c. pr.* Ad ſummam, ſcarificatu præſtantes medici utuntur non tantum ad curandas partes, ſed etiam ad tuendas, ne augeantur fiantve morbi. Quo pacto in oculorum inflammationibus cucurbitulas occipitio affigit & cutem ſcarificat Oribaſius *l.* 8. *ſynopſ. c.* 38. Audacius quippe hoc præſidio utebantur antiqui quam nos, qui non aliis in morbis quam in gangræna uſitamus; inertes ſc. & imperiti, qui ditiſſimam opis artem & remediorum pleniſſimam in pauca & rara contraximus, quæ nihili ſunt, levia, & inefficacia: prompti ſemper id cauſari, quod naturæ veteribus erant robuſtæ, noſtris hominibus ſunt imbecillæ; ſed credo deficere potius animos nobis, atque eſſe degeneres & imbecillos, ut pathognomonicus nos timor arguit. Sed de his aliàs.

§. 3. *De Varicum præſectione.*

Evacuantibus ſanguinis formis neſcio equidem an adnumerem quoque *varicum diſciſſionem*, quam adminiſtrandam voluerunt veteres medicinæ auctores circa ulcera, quæ eiſdem

dem sæpe sunt circumsepta. Potest enimverò dici vacuatio, si spectetur, quod prius sanguine atriori affusum circumque stagnatum, ut ita dicam, ulcus non sit sanabile: mox ejusdem abductu siccescat, ac facile curetur. Potestque & vacuatio dici promptiùs, quod eundem sanguinem in præsentia subtrahat.

Nihilominus & derivantium meretur locum, atque appellationem, propterea quod humor hac suetus via transcurrere, torquetur aliò, præsertim superne deorsum.

Omnibus modis utilissimum comperietur hoc præsidium, si quis sit, qui administret utens. Dixi, si quis administret: nam præcautum, & formidatum, propterea relictum, & propemodum obsoletum est hoc remedii genus; indignum tamen, quo non fidenter cum accidit, utamur, quemadmodum ego me in *altera*, quæ sequitur, *chirurgiæ parte* lucide monstraturum confido. Ibi igitur totum ejusdem usum, utilitatem atque necessitatem, cum sua operationis administratione, pertractanda atque explicanda reservo.

§. 4. *De Hirudinibus.*

Ad prædictam sanguinis evacuandi rationem addi possunt & *hirudines*, quarum inter chirurgiæ adjumenta parum frequens est usus; qui tunc tamen usu venit, cùm à partibus tenerioribus, laxis & perdebilibus nocentem humorem extrahimus: ut in affectis oculis illas affigimus locis, quæ sunt post aures; patiente interne gutture, imponimus anteriori collo, sicut magistri 1622. & deinceps in pustula epidemica tonsillarum facere consueverunt, post sæpe repetitas venarum omnium sectiones. Item *hirudinum* probatus nobis est usus, ut dicit Avicenna referente *Guid. trac. 7. de phlebot. c.* 1. ulceribus malis circum & super apostematis emunctoriorum & difficilis maturationis, & in particulis, quas subjecta teneritudine veremur attingere; quales oculi sunt, & nares, & gingivæ, pudenda, manus pedes & partes denudatæ carne, ut juncturæ, teste Albucasi, in his præsertim hominibus, qui fœmineam habent naturam, & in fœminis ipsis, & denique in pueris. In his etiam malis, quæ vel cutem perreptant, atque extime prendunt, ut serpigine, impetigine, malo

Tonsillæ epidemicæ A. 1622. hoc remedio curatæ.

Quibus morbis hirudinum commodus sit usus.

Ex Avicenna & Albucasi.

malo mortuo, & similibus: extrahunt, inquam, extime sed intimioribus tamen partibus, quàm cucurbitulæ se insinuant, ut putat Avic. 4. 4.

§. 5. *De Hæmorrhoidibus.*

Hæmorrhoidum quoque *excitatio provocatioque* raro in sanationem ulcerum venit: sed nolim tamen ignorari certum eorum beneficium, cùm aut cancer, aut atræ bilis quodcunque ulcus, aut affectus hoc præcedens, partes quascunque corporis prehenderit. Et quidem in his vix invenitur aliquod mea & Theophrasti Paracelsi sententia melius beneficium sive quidem in maribus, sive in fœminis; sed si vetuli utrique sint, omnium optime convenit. Aperiendarum autem istarum apud omnes fere pragmaticos interne ratio est *aloë*, quæ experimento omnia reliqua superat, sive ex catapotio, sive cum succo rosarum persicarum novies ad solem præparata, sive, quod chymici magis approbant, extracto ℈ j. Cujus medicamenti certum effectum expertus ego sæpe sum in quam plurimis, inter cæteros autem in excellenti viro, medicoque Prætorii Neapol. Gregorio Scalfato, qui melancholicum affectum excussit hoc remedio. Quod idem etiam mecum affirmat Prosper Alpinus *lib.* 3. *med. meth. c.* 9. & L. Scholzius *consil. med.* 175. qui idem & *de rheo Pontico* perhibet *cons.* 185. *p.* 548. *&* *cons.* 205. *p.* 588. atque alii commendant, quæ nos in *pharmaco chirurgico* describemus. Adeo autem id plane sibi persuasit Rodericus à Fonseca, vir alioqui judicii solidioris, ut non miretur Venetos & Patavinos & conterraneos alios homines hæmorrhoidis infestari solitos, qui pillularum aloës usum habeant perfamiliarem. Quamquam equidem id eo refero, quod lienosi sunt plurimum ejus regionis incolæ; atque id propterea, quod aquam Brentæ fluminis lutosam potant: quam rem quidem ipse immemor atque imprudens asseruit consil. *ejusdem tomi* 27. *Cassiæ* quoque *bolus*, præsertim si repetatur, assumptu percommodus est mea observatione. namque movet cassiæ medulla sanguinem istarum venarum.

L. de apostem. c. 35.

Aloë præcipui usus aperiendis hæmorrhoidis.

G. Scalfatus.

P. Alpinus. L. Scholzius.

Fonseca.

Est autem *aloës extracti* hæc *descriptio.*

Aloës extracti præparatio.

℞. Aloës succotorinæ quam maxime fieri potest puræ ac mun-

mundæ ℥iiij. ſubtiliſſime tritam diſſol. in decocto pulegii regalis & d armoiſe à P. j ß ſpecierum cannellæ, caryoph. an ʒiij. immittat omnia in pelicanum, aut circulatorium ſuper cineres calidos, aut in B. M. contine, dum dictum decoctum excedat aloën 5. aut 6. digitos tranſverſos ſpatio 24. H. Qua re perfecta detrahe per inclinatum vaſis dictum infuſum. Interea præparatum novum decoctum duorum ſimplicium ſuper infunde, quemadmodum ante feceras, & ſimili modo ſepara. Item & tertio novum decoctum infunde, & ſepara. Infuſa tria jam filtro deſtillata curabis igne lento cinerum in patina vitrea, vel alia, ut exhalent reddantque auris omnem humorem reſiduum. Invenies in imo vaſe craſſamentum, veluti melleum, quod cum reſiccatum fuerit in loco calido, puta furno, vel ſole colluſtrato, formare poteris in catapotia, cujus maſſæ excipies pondo ℈. Id offeres mane horam unam aut duas ante prandium per pluſculos dies continenter. Ita fere Claudius Capuſius *in eo*, quem edidit Gallice de *cancro.*

Extrinſecus vero *cyclaminus* apprime valet, atque alia, quæ Vidius, Rondeletius, Heurnius, & alii propoſuere, ſed cum primis videndus Montagnana *conſ.* 10. *tr.* 2. *c.* 6. *C.* 4. *intent.* 3. *par.* 2. *c.* 7. *C.* 20. *intent.* 2. *C.* 37. *intent.* 2 *C.* 39. 5. *C* 272. *c.* 3. *int.* 3. Gulielmus è Saliceto proponit hoc, ut capiantur duæ cepæ rubentes parvæ, & 4. ſpicæ allii, piſtata utraque cum farina lupinorum incorporentur, addito aceto quam acerrimo. Joannes vero Finchius in *Encheiridio hermetico-dogmatico* propoſuit & ſuccum cepæ, aut radicis ari aut bryoniæ. Item emplaſtra ex farina laterum, felle bovis, ſtaphydis agriæ: nec non unguenta ex medulla colocynthidos & amygdalarum amararum. Ad hos Fernelius in *conſ* 68. venas ſedis aperiri commode docuit ſuppoſitoriis ſive balanis ex hiera ſimplici cum ſucco mercurialis, vel cum felle commiſta.

Externa hæmorrhoidum provocamenta.

Gul. Saliceti medicamenta.

Jo. Finchii medicamenta.

Jo. Fernelii medicamenta.

§. 6. *De Menſibus & Clyſteribus.*

Sed *menſium evocandorum frequentior* eſt uſus, qui ſicut interno corporis medicatu neceſſarius eſt, ita non minor eſt in externo medendis ulceribus aut abſceſſibus, qui ex illorum

Menſium uſus frequens.

defectu proficiſcuntur. Ita cùm primùm hanc mali cauſam perceperis, ad ducendos illos te comparaveris, ſive multiplicibus vinis, quæ deſcribit Dioſcorides in *lib.* 5. ſive quæ Galenus in 5. *ſimpl.* ſive aliis quam plurimis, quæ ex probatiſſimis nos auctoribus ſelegimus deſcripta in *noſtro pharmacobulo, per alphabeticam ſeriem diſpoſito.* His omnibus utendis cautiones adjicies, quas advertit Bruelius *in practica methodo c. de ſuppreſſis menſibus.*

Dioſcorides
Galenus.
Gualterus Bruelius.

Hactenus de hæmorrhoidum & menſium evocatione in uſus externæ medicinæ dictum eſt. De *clyſmis* fere ſimilis erat ratio dicendi. Namque hi revellunt pariter ab anterioribus, & præter hæc evacuant ab his, quæ naturam & alvum onerant, peculiariter. Sed quoniam perquàm notus & protritus omnibus eſt eorundem uſus, parco pluribus.

De clyſteribus.

§. 7. *De Diureticis.*

Diureticorum quàm rarus tam præſtabilis in chirurgia uſus.

Diureticorum infrequens eſt *uſus in chiriatria*; ſed ſi quis iſtis oportune ſciat uti, non pauca vitia, vel tollere, vel caſtigare poterit, quæ certe putantur curatu difficilia.

Vitiis poſticarum partium percommoda diuretica.
L. de fiſtul. initio.
Noſtra ejus rei experimenta.
Ulceribus crurum rheumaticis.
Vulneribus thoracis.
H. Fabricius.
Euſtachius Rudius.
Galenus.
Celſus.

Affectus nimirum omnes, qui rectum inteſtinum & ſedem infeſtant, hæmorrhoides puta, fiſtulas, & ulcerationes varias, ſingulariter hac via curare docuit Hippocrates in *lib. de fiſtulis*, veluti remedio, quod revellit à parte male affecta fluentem humorem, & vitio alimentum detrahit. Itaque & hoc conſilio derivandi teſte Vidio uſus eſt idem potione ſeſelis in fiſtulis. Poſſumque ego, ſi me audis, teſtari nonnulla in dictis malis laudem retuliſſe ex principe diureticorum auxilio; præcipue vero in crurum ulceribus rheumaticis, quæ nullis unquam remediis internis externiſque ceſſerant. Quocirca caput hoc libentius poſitum accipias utiliſſimæ hujus obſervationis nomine. In vulneribus item præcipue thoracis commendata leges hæc a nonnullis, præcipue ab Hieronymo Fabricio, & Euſtachio Rudio, Profeſſoribus Patavinis, in explicatione diætæ vulnerum thoracis, & aliorum, fortaſſe quod per urinam divertenda eſt bilis, ut Galeni præceptum eſt *ad Glauconem.* Sed ex Celſi doctrina *l.* 5. *c.* 27. §. 5. omnia urinam moventia, quia materiam extenuant, utilia ſunt morſibus venenatis. Diuturnioribus oculorum affectibus diuretica maximæ frugis medicamenta ſta-

ſtatuit Felix Platerus *tomo* 1. *p.* 798. itemque ſtrumis *to.* 3. *pag.* 353. Oedematis vero reprimendis & reſiccandis tantundem approbavit Amb. Paræus *l.* 6. *cap.* 16. decoctum apii atque anethi peculiariter nominans. Dyſenteriæ denique, poſt factam aliquam corporis purgationem, diuretica aquæ Villenſis in agro Luccenſi nativa atque alia hujuſmodi attemperantia commendat I. Cæſ. Claudinus *in reſponſ. medicin.* 5. In tumoribus vero podagricis hæc maxime commendavit Guido *tr.* 6. *c.* 1. de *Avicennæ ſententia l.* 3. *fen.* 22. *tr.* 2. *c.* 7. quippe ſuperfluitates ſecundæ ac tertiæ digeſtionis purgant diuretica. Commendarunt eadem & antiqui chirurgi eodem Guidone referente *tract.* 2. *doctr.* 2. *c.* 3. ad bronchocelem, quæ ejuſdem ſæpe pituitæ crudorumque ſuccorum germen eſt. Equidem vero numeroſiſſima diureticωn genera & modos non enarro, de his non valde ſollicitus, quæ apud alios invenire poteſt profeſſor noſter, quem neque neophticum, neque incurioſum, aut inertem, ignarumque rerum neceſſariarum concipio: ſatis eſſe putavi, ſi rationem indigitem tractandarum curationum per medicaminum vacuantium genera. Nihilominus ſi pauca & certiora medicamenta deſiderant, dabo, quæ ſunt videlicet *primùm è natura provenientibus* cujus generis ſunt *aquæ thermales*, quæ terrarum in pleriſque tractibus ſcatent, ut in agro Patavino aquæ Virginis & Caſtrenſis, quas hydroticis tumoribus commendavit Hier. Fabric. ab Aquapendente: aquæ Luccenſes & cæteræ. Simplicibus ureterum morbis omnibus medendis commodum & impenſe diureticum Hippocrates *l. de nat. mulierum* 29. probavit fraxini grana 10. in vino bibenda. Huc pertinet Anglorum *porſetum* dictum, deſcriptumque ab Heurnio *lib.* 2. *pract. method. c.* 16. *pag.* 245. quod fit ex vino albo & ſucco petroſelini, quibus affunditur lac bulliens, cremore abjecto, utuntur veſperi, vel ad occaſum ſolis. Propoſuit & Heurnius ſuccum juniperi cum ſaccharo. Quod medicamen ego ex proprietate plantæ non poſſum non approbare; ſed multo magis lixivium ex juniperi cineribus ad ℥ iiij. & quod validius urinam moveat, & parabilius ſit etiam in omnibus univerſim locis, ubi juniperus non proveniat. Propoſuit & Jubertus *meth. therap. c.* 5. confectionem λίθων τρίφων, & pul-

Felix Platerus. Amb. Paræus. I. C. Claudinus. Guido Avicenna. Bronchocele. Hippocrates. Heurnii diureticon Aliud Heurnii. Laur. Juberti medicamentum.

pulverem Justini, sed magis syrupum suum nephrocatharticum, & maxime oxymel diureticum; de quo plura scripsit Quercetanus in *Pharmacopœa dogmaticorum restituta capite proprio:* & *in Spagyrica*, oleum hederæ gummi inter omnia validissimum dicit, & *Diætet. sect.* 3. *c.* 11. vinum è rosis pallidis hortensibus & agrestibus cum radice vincetoxici proponit. Arnaldus vero Villanovanus de aquis diureticis perscripsit. Nos cyclaminis succum arefactum P. ℥ij. plus minus commodum ad hanc rem experti sumus, ita ut etiam hydropicos mire levaverit.

I. Quercetani.

Arnaldi.

Nostrum experimentum.

§. 8. *De Sudoribus.*

Sed *sudores*, *arte provocati* nullam non externis hisce vitiis exhibent commoditatem. Quem enim & medicamentis omnibus internè externève adhibitis, diæta tenui, abstinentia rerum, corporis custodia, simul omnibus junctis nancisci fructum nequiveris, ex hoc uno sæpe auxilio simpliciter obtinebis.

Nostrum experimentum.

Hippocrates.

Celsus.

Itaque compertum est mihi ophthalmiam oculorum, quæ in ulcus & pupillæ disruptionem parata erat desinere, monentibus & Hippocrate in 2. *prorrheticorum* & Cornelio Celso *in l.* 6. *c.* 1. post frustratas omnes curandi rationes, & in victus ratione, & catharticis vacuantibus, quin & revellentibus omnibus; præcipuis demum sudoribus quievisse. Quod fuit mirabile aliquando cerni, sicut nunc fortasse incredibile dici. Tamen inter nostras manus res acta est & comperta usu.

Luis venereæ affectibus.

Utiles quoque non minus erunt sudores in affectibus ex lue venerea. Qui cum humores crassos attenuent, fundant, frigidos excalefaciant, cutem aperiant, præparentque singula ad exactam vitiosorum humorum eductionem; non possunt nisi extremam adducere detersionem labis venenosæ. Illud tamen non nego, sudorificis, quæ prudentissime proponuntur, & felicissime cedunt, sparti parilis & ligni Guajacini portionem intercedere; assumptorum vel ex decocto, quemadmodum vulgo fieri consuevit, vel ex semidestillata eorundem portione cum corporibus residuis conjunctorum, ut Hermetici faciunt.

Sparti parilis & ligni Guajaci sudorifici præparatio chymica.

In

In ulceribus etiam præcedentibus hæc subsequentibusque affectibus ex epidemia lue, vel pestilentia, dubium esse non debet, quin conducibiles apprimè sint exsudationes totius corporis communes. Respondent enim harum eductiones non dissimiliter totùm occupanti causæ; quare & partes necessarium levamen sentient. Affectibus pestiferis.

Quid dicam quantum venenato ulceri subventura sint eadem præsidia? quando cuncti fere auctores conveniant morsibus rabidorum animalium non inutilia hæc esse. Scribonius Largus *lib. de comp. med. c.* 103. scribit, *ne serpentes noceant, munitum hominem cervi lacrima esse debere.* Quod propterea puto fieri, quod excremento illo tanta cietur copia sudoris, ut pene totum corpus solvi credas Quid autem sit cervi lacrima, idem declaravit *ibidem*, dicens *esse id, quod in cervi, cum captus est, oculi angulo, qui ad nares vergit, sordescit viroso odore. Has sordes*, inquit, *Siciliæ venatores diligenter colligunt, & habent in cincto, ut tuti sint à serpentium morsibus atque ictibus.* Luculentius autem hanc descripsit Julius Cæsar Scaliger, cujus verba recitat J. Heurnius in *lib.* 2. *pract. meth. c.* 26. §. *de sudorificis pag.* 335. Ulceribus venenatis. Scribonius. Cervi lacrima mire sudores ciet. Cervi lacrima quid. I. C. Scaliger.

Nec minus etiam proderunt, si hæc adnumeramus, ulceribus sanandis vesicæ, sive partium aliarum, quæ latent. Præter hæc non minimam opem ex his sentient eruptiones salsorum humorum, & acres phlegmonæ; quæ semel apprehendentes, præcise crura, nunquam fere finiuntur, propter defluxus perennes, qui ab imbecillis & positis in proclivi partibus excuti non possunt. Horum autem in his necessitas est, quod harum materia non sunt nisi ichores & humores tenues, qui commode per poros cutis parati sunt effluere, veluti per emissaria ad hoc opus à natura instituta. *Illa enim cum sit ultima*, inquit Galenus *de causis morborum*, *recipit omnium partium excrementa.* Atque sudores ex omnibus adjumentis sunt præcipui, qui ad peripheriam corporis ex profundo agitata, quæ continentur in venis inutilia prolectent. Quapropter in eo consensu naturæ parantis vias, neque raro etiam propellentis cum remedio evocante atque foras attrahente, maxima est commoditas. Altera vero ratio est, quod sicut in toto corpore & tota humorum familia late occupans est inqui- Ulceribus vesicæ. Salsorum humorum eruptionibus. Sudorum in tenuibus humoribus abolendis necessitas. Galenus. Sudores ex omnibus artis adjumentis præcipui. 1. Ratio. 2. Ratio.

quinatio; ita etiam ab his univerfis commune vitium evacuat medela fudoris. Utile autem effe, ut ex profundis & principalibus partibus ad cutem transferantur morbi, teftatus eft Galenus *comm. 6. aph.* 37. Præterea, quæ ex bile gignuntur, fudoribus maxime tolluntur, ut *lib. primo de arte curativa ad Glauc.* elicitur. Ad extremum, ut exficcandi corporis hæc optima neceffariaque via eft; ita vitium omne hic non obftabit, quod à communi corporis labe promanat.

3. Ratio.

4. Ratio.

Quæ fudorificæ fint naturæ.

Hæc de fudorum neceffitate atque ufu comperi. Cæterum jam, quæ aut qualia virtute ifta polleant, difcutiendum eft. Sudores igitur movere natura poffunt, quæcunque acria tenuifque effentiæ funt, ut Galenus *lib. 4. de fimpl. medic. facult.* & Arnaldus *introd. medicinæ c. 68.* tradunt. Qui addidit & *quanto leviore ftirpes gaudent fubftantia, tanto efficaciores effe ad fudores provocandos*, ut anthos & flores fambuci; *itemque & plantas, quæ fortem exfpirant odorem*, ut pulegium, calamentum, levifticum, ruta, vitex, & *hoc omne genus, quod aëreæ portionis habet plurimum:* quæ vero frigidæ funt vel terreæ fubftantiæ vel aquofæ, iftas non provocare fudorem, nifi per accidens & actuali calore. Verum Galenus hæc fudorificis accenfet, 7. *de fimpl. med. fac.* calamintham, & *lib. de virtute centaurii*, centaurium, & *lib. de dynamidiis* cyclamen, & 8. *fimpl.* oleo junctam onobrychin, & fmyrnium, & 2. & 4. *lib. de fan. tuen.* vinum, & in aliis alia. Atque hæc quidem è *fimplicibus.*

Galenus Arnaldus.

Sudorifica quædam enumerata.

Galenus.

E *compofitis* vero idem in 8. *de comp. med. per loca* defcripfit antidotum, & 6. *de comp. med. per genera c. ult.* aliud medicamentum ex calce. Alia Oribafius habet *lib. 8. collect. c. 17.* & *lib. 14. ejufdem operis c. 56.* Sed Theophraftus Paracelfus *lib. 8. de morbo Gallico c. 11.* probavit decoctum ebuli. Rondeletius & Vidius in *opere de cur. morb. fyrupum D. Ambrofii*, quem ego expertus fum maximopere valentem. Paratur autem ex his. ℞. Milium à cortice repurgatum; coquatur in olla munda plena fufficienti quantitate aquæ communis ufus, donec probe intumefcat, & difrumpatur, deinde percoletur jus, cujus ℥vj. aut vij. cum ℥iiij. vini Malvatici actu calentis exhibeantur. Addit decocto Rondeletius *lib. de morbo Italico*, ramenta ligni ficuum: qui idem vir *ibidem* ad fudorem approbat decoctam rafuram buxi, aut femi-

E compofitis aliqua. Oribafius. Paracelfus. Rondeletius. Vidius Florentinus. Syrupi Sancti Ambrofii præparatio.

minis juniperi. Reinerius Solenander *in conf.* 3. *sect.* 5. sparto parili Indico, quod sudoriferum præcipuum medicis omnibus est, asperæ smilacis radicem congeneam & æquipollentem fecit; cujus placiti est & Prosper Alpinus *l. de plantis Ægyptiis*. Sed Mercatus in *lib. de mor. Gallico* pro sudorifico magno laudavit decoctum anguium, quos Hispani culebras appellant. Matthiolus vero in *tabula super Diosc. c. decoris* aurantiorum & limonum florum stillatitiam aquam commendavit. J. vero Quercetanus *lib. de dogmat. medic. præparatione c.* 7. aquam exstillatam è carduo benedicto, atque ulmaria proposuit. Nos è chymico hoc genere pulegii oleum stillatitium invenimus ad hanc rem commodum. Theophrastus Paracelsus *l. de apost. c.* 58. proposuit illud. Rec. theriacæ ʒij. spir. vini rectificati ℥ij. euphor. gr. vij. Fiat haustus ante balnei ingressum, sudet homo, & calide contectus in lecto decumbat. Sed in elephantiasi decoctum ulmi vino albo commistum & in mensis potatum olidos ciere sudores ac fœdas urinas testatus est Jac. Doccinetus *Apol. l.* 1. *c.* 7. Atque hæc *interne*. Reinerius Solenander. Ludov. Mercatus.

Cæterum *externe* & cachryos semen ex oleo illitum & pyrethrum ex oleo calefactum atque illitum horæ unius spatio ad citandum sudorem percommodum esse refert auctor operis de *medic. parat. facil. l.* 3. *pag. penult.* Bardanæ radicis vaporatu vehementissimos cieri sudores testis est Rondeletius *in primo pract. meth. c.* 23. Item oleum decocti asari testatur expertum Petrus Andr. Matthiolus in *prim. supra Dioscor. cap.* 19. & decoctum urticæ Euonymus. Et Joannes Fernelius *in conf.* 16. quod est *ad tremorem*, probavit decoctum, quod recipit granorum juniperi, radic. acori & enulæ Campanæ an. ℥ij. salviæ, betonicæ, majoranæ, stœchados, lauri, absynthii, origani, calamenti, rutæ, chamæmeli, meliloti, anethi an. Mj. semin. anisi ..... fiat decoctio in aq. & vino albo. Effundendo decoctum super lapidem candentem, vapor excipiatur in dolio, vel cupa contecta, dum corpus incalescat, atque emanet sudor. Ad hæc oleum è chamæmelo exstillatum proponit. Joh. Bap. Porta noster *lib. destill.* 3. *cap.* 17. Externa sudorifica. Fernelii decoctum sudorificum.

§. 9.

§. 9. *De Balneis.*

Sudationes autem cum multiplices ſint, inſtituique queant & ſicco calore, & fomentis, & humido aqueo, vel aëreo vapore, & ſimilibus hujuſmodi modis: *balnea* non infrequentia ſunt; quibus in præſenti utimur. Verum in his etiam, cum ſiccantiora ſint & ſubterranea, quærimus & ipſum ulcerum contactum. Nam ex his abſterguntur, & expurgantur, & foventur, & denique impedimenta omnia & infixa deponunt, quatenus ad agglutinandum ſint habilia. Omnino autem utimur his (id quod ad noſtrum inſtitutum attinet) pro vacuantibus indefinite ſive ab univerſo corpore ſive à parte. Neque ſine fructu, ut dicebam: non tantum, quia revellunt diſtrahuntque humores ad univerſum corpus, ſicuti placitum eſt Hippocrati *in* 3. *de ratione victus*; quo factum prudenter ab Aëtio *l.* 2. *ſer.* 3 *c.* 6. & à Paulo videtur, qui *l.* 3. *c.* 22. ad laborantes oculos lavandos balneis utitur: ſed, quod peculiare horum eſt, etiam excellenti quodam modo (ut Jaſolinus magiſter noſter diſputavit in *opere de balneis Pithecuſæ*) naturam hominis adjuvant; ita ut non injuria *Dei manus* nomen mereantur magis, quam omnia communiter medicamenta, quod Herophilus volebat. Sunt tamen nonnulli, qui omnia indiſcriminatim ulcera volunt his curari; mittuntque ſervandos homines ad ea tanquam ad ſacram anchoram. Sed mihi compertum eſt, niſi medicamentis ſint expurgata à tenaci ſorde, quod ῥύπος Græci vocant, & niſi calli orarum alti reſciſſi ſint, aut hyperſarcoſes complanatæ, niſi ſinus diſſecti, & exſanguis circum tegens cutis exſecta, vitiumque omne detectum, atque æquale ex foraminoſo & herpetico factum fuerit: nunquam ulcus ex iis aut coalitum recepiſſe, aut profectum conſueto majorem. Sunt & alii, qui quodcunque oſſis vitium ſtatim his tollendum adjumentis confidunt. Ut ſi caries eſt, ad balneum Gurgitelli Aenariam mittunt. Neque diſtinguunt, an caries ampla ſit, an aſperitas. Namque ſi aſperitas adeſt, & quidem ſupremæ oſſis faciëi; quæ vanitas eſt, mollibus aquis hanc committere removendam, non potius duris acutiſque ſcalpris? Deinde etiam per hæc auxilia confidunt carioſa & ampla oſſi-

Balneis naturalibus commode percurantur ulcera.

Julius Jaſolinus.

Contra eos, qui omnia indiſcriminatim ulcera curant balneis. Obſervatio noſtra.

Contra eos, qui omnia oſſium vitia balneis committunt.

um ſegmenta à cuniculis foras exitura, cum anguſta ſint orificia, vix ut ſpecillis pateant, non amplius. Hæc igitur ampliandi cur non eſt cura? Sed ſine expenſione ſingulorum, uti video, neque perſpecto illo quod agitant, conficiunt omnia.

Perpendere ſcilicet oportet, quanta ſit aquæ balnei virtus, quave ratione, & ad quem uſque terminum agat. Nempe cum *poteſtate* agat, non *actu*; exſpectanda ex ea non ſunt, quæ manus ſolius ſunt, quæ valet actu. Hominem novi equidem è noſtris celebratiſſimum quendam, qui carie maxillæ laborantem quempiam ad dictum Ænariæ balneum miſerat: quaſi merſurus eſſet homo caput in aquæ gurgitem pro ſanando aut extrahendo oſſe mandibulæ. Dici igitur non poteſt, quanta ſit hodie balneorum virtutis ignoratio, quantave ſit abuſio. Sed cum inſtrumenta artis cognita non habeant, quid faciant, niſi ut eorum uſus confundant? Quæ manus præſtat officia, non exſpectanda ex balneis.

§. 10. *De Inſeſſibus & Fomentis.*

Ad balneorum virtutes proxime accedunt *inſeſſus:* quibus peculiariter utimur ad vitia ſedis, & partium pudendarum, anteriorum, poſteriorum, interne atque externe, juvandarum. *Simplicium* autem, aut *compoſitarum* ſint *virtutum*. Et talia quidem ſunt vel *naturali locorum beneficio*, vel *arte* parata. Et *naturales* quidem humidorum inſeſſus ſunt ex *aquis thermalibus*, certis corporum vitiis peculiariter accommodati; ut quæ ſunt Aenariæ, aut Puteolis in tractu hoc terrarum Neapolitanæ ditionis. Lege de his *opus de Thermis* aut A. Baccii, aut Julii Jaſolini: apud quos, quam latus ſit iſtius remedii uſus, habetur. Inſeſſionum uſus. Inſeſſus ex aquis naturaliter medicatis. Andr. Baccius. Julius Jaſolinus.

Parabuntur vero *arte* pro rerum uſu atque exigentia; ſi mundificantia debeant eſſe, vel exſiccantia, vel roborantia, vel emollientia, vel alius certi generis cujuſque. Inſeſſus arte parati.

Quæ diſcrimina quæque normæ & pro fomentis ſunt capiendæ: nam pari propemodum uſu capiuntur utraque. Eadem ratio fomentorum.

§. 11. *De Suffimentis.*

Suffitus autem ad ulcera, & ad tumores frigidos, & diuturnos tantum uſui ſunt: vix ad alia vitiorum genera ſe porri- Suffitus plerumque exſiccatorii

rigunt. Hi autem plerumque exſiccatorii deſiderantur: nam talis & ipſorum proprietas, ratioque remedii inter omnia etiam ſicciſſima ad ſingulas quidem corporis uſitata, ſed artificioſius ad partes cavas, ut vulva eſt, & inteſtinum, os, aures, nares, requiritur.

Materia ſuffitus pinguis & reſinoſa.

Parantur autem maxime ex gummoſis & reſinoſis lacrimis, & ejus generis aliis, quæ natura adolentur. Quibus ſi dextrè admiſcentur, quæ non ſunt hujus generis, utilia ſunt, cùm ſimul cremata vaporem mittunt; ut nicotiana, roſæ, anthos, laurus, ſantali, atque alia. Cortices autem aurantiorum, & pinus contritos, licet admiſcere in ſudorificis commode: quæ ſudorifica ſuffimenta ad dolentes ex arthriti & lue venerea juncturas, & ad ipſam hanc luem medendam, & nos in *lib. de morbo Gallico* & Jacobus Vecherus in *Antidotario ſpeciali titulo de ſuffimentis* deſcripſimus

Arida quædam admiſceri ſolita pro ſudorificis.

Jac. Vecherus.

§. 12. *De Cauteriis & Setaceis, ulceribus emiſſariis arte paratis.*

Ex vacuantibus & avertentibus perennem humorum influxum, qui vitia quidem excitant, augent, fovent; una erant *cauteria* ſive *fonticuli* vulgo dicti, nec non *ſetones*, inter hos ſermones tractandi. Verum quia duplex materia horum, & *actu* & *poteſtate* valens, eſt noſtris: hanc quidem ſi ad pharmaceuticam dictam partem, illam vero ad chirurgicam referremus, commodiùs factum iri viſum eſt. Quam rem cum exequuti ad eum modum fuerimus; ad eos adeat lector, ſi lubet, locos licebit.

§. 13. *De Veſicatoriis.*

Fonticulorum medicorum & veſicatoriorum diſcrimina.

A vocatis fonticulis, quæ ſunt arte parata emiſſaria, non admodum diſtant *veſicatoria* dicta; ab iis tamen, in eo præcipue differentia, quod hæc latiora, ſed cutanea tantum ſunt ulcera, deinde, quod ad tempus non diutinum conſervantur. Hæc qui recte adminiſtraverit, is difficilium plerumque morborum victoriam obtinebit; præſertim eorum, qui fluxu humorum foventur, atque hi ſi ſeroſi ſint, & acres (ichores Græci dicunt,) multo maxime, propterea quod hi commodiſſime per poros apertos cutis effluunt.

Veſicatorii uſus præcipui.

Vitia præcipua quibus veſicatoria ſuccurrunt.

Quam

Quam ob causam si vel oculis, vel naribus, vel proximis partibus rebelle & contumax sit vitium; inter alia omnia, quæ providi medici moliri consueverunt, vix ego aliquid inveni præstantius hoc remedii genere. Ita & si pectini, testibus, scroto, vel mentulæ, malæ sint erodentis succi eruptiones, quas confirmari diu periculum sit; coxis, quæ viliores sunt partes, & ad sustinendum omnia firmiores, effluxum hac via commode dabunt. Ad hæc Prospero mecum Alpino consentiente *in primo methodicæ medicinæ c. 15. si collum, vel mammæ, vel umbilicus, vel venter, vel partes quæcunque aliæ laborent terrificio aliquo, vel ulcere, vel ulcus minante tuberculo; impositis ad exteriora vel ad latera, quæ carnosiora sint, vesicantibus, periculum his avertere tentandum est. Atque ut unam tibi normam præfigam maxime generalem, partes omnes laxæ & imbecillæ, majoris dignitatis, quas vitio quopiam formidabili teneri periculum sit, probate satis hoc remedii genere sublevabuntur. Præter hæc, & si pestilentiæ germina quædam corporis partes, præcipue præstantiores, infestent; non alienum à ratione fuerit, eadem via eas defendi.* Quæ non spernendæ quidem erunt leges ritusque medendi, si meis observationibus atque experimentis credis.

Oculis naribusque male affectis.

Pectini testibus, scroto, coli, quid vitii habentibus.

Prosper Alpinus.

Partibus omnibus laxis & imbecillis adjuvandis.

Partibus principibus pestilentiæ vitio infectis.

In universum enim *attrahunt* & *vellunt*, tum inducto ad partem dolore, tum cùm excitatur, tum etiam, postquam hic excitatus est, humoris ad partem defensam influentis ipsa actuali vacuatione.

Revulsorium autem non tantum est *vesicatorium* genus, sed & excellenter *vacuatorium*. Ut, cum vacuati sæpe corporis pars aliqua doleat obsessa veteri tumore, inutiliaque multa medici auxilia fuerit expertus homo; ad extremum hoc remedium debet procurari: quod mirum in modum aliquando solitum est juvare. Memini à me Logianum adolescentem in xenodochio incurabilium Neapoli, sic afflictum dolore Gallico in genu, ut contractionem cruris & incessus privationem subiisset homo; hoc administrato auxilio, & dolore & contractione protinus liberatum. Quæ res mira atque insperata fuit adstantibus sociis medicis: qui crederent vesicantis acerbitate in immensum exaggerandum malum. Sed qui volentes adjuvat Deus, ut in veteri est proverbio sermo, rem felicissime cadere nihilominus fecit.

Vacuatorium quoque hoc remedium.

Historia.

Hæc de veſicantium uſu: quorum ſi materiam & formulas deſideras, in noſtro *pharmacochirurgico cap. de pyroticis* habes.

§. 14. *De Errhinis, Apophlegmatiſmis, Gargariſmis.*

Quibus unice vitiis faciunt hæc tria remediorum genera

Remediorum hæc genera cum revulſoria ſunt, in uſum externæ medicinæ percommoda eſſe nemo dubitat. Sed advertentiores fidentioreſque in hæc eadem velim noſtros medicos, cum in vitia meatuum capitis incident. Quippe ſi nares laborent, gargariſmi levare nonne quibunt? Si fauces vitium paſſæ ſint, non inutilia errhina erunt. Neque minus apophlegmatiſmi: quibus ad ſtrumas extenuandas uſus eſt Aëtius *l.* 15. *c.* 5. Verumenimvero ſolers requiritur medici judicium in medicaminum apparatu; de quorum tamen compoſitione eſt tibi Rondeletius, Heurnius, Gorræus, Mercurialis, Jubertus, Fuchſius, Joſephus Quercetanus, alii. Nos aliquot illorum formulas ponemus, ſi prius admonuerimus iſtorum omnem materiem eſſe debere acrem, amaram, vel nitroſam, quæ humores prope liquando, vimque expultricem vellicando, cerebrum, recrementis oppreſſum, levet.

Rondeletius. Heurnius. Gorræus. Mercurialis. Iubertus. Fuchſius. Quercetanus.

Eam ob rem adhibentur; non quod H. Fabricius *lib. oper. chir. de ſtrumis*, huic uſui tum ſuccum cepæ, tum aurantii corticis quodpiam probavit.

Forma errhini naribus illinendi. Cape ſucci cucum. agreſtis & cyclaminis ſing. ℥ij. vini. ℥j. mell ℥iij. vel iiij. coque ad conſiſtentiam linimenti.

Poteſt & ſcammonium, aut coloquinthis, aut agaricus, aut helleborus melle exceptus naribus illini. Licet & penicillus ex cyclaminis rad. viridi ſpiritu vini intinctus immitti. Parantur etiam ex ſuccis errhini naribus attrahendi; quorum parandi ratio vulgatior eſt, quam ut oporteat hic enarrari. Tantum accipe de ol. euphorb. cujus guttula cum aliis idoneis liquoribus pituitam elicit, Quercetano autore in *ſpagyr. c.* 3. De errhinorum materia poteſt legi Jac. Hollerius *perioche* 2. *operis de comp. med. local.*

Iac. Hollerius.

Paucula nunc accipe de *apophlegmatiſmis*: quorum tanta ad morbos capitis medendos eſt virtus, ut ad gurguleonis, &

ad

ad dentium curationem eorum Hippocrates meminerit *lib. de affect.* 4. & 5. Horum ut plurimum pyrethrum eſt materia, ſive id commanſum accipiatur, ſive tunſum cum nuce moſch. ſampſucho & cera in nodulum ex linteo concludatur, & ori indatur, aut dentibus atteratur. Commanducatum daphnoeides, laureola vulgo, pituitas oris purgat, authore Dioſcoride *l.* 4. *meth. medendi. c.* 143.

Aliquod vero hic neceſſum eſt, authore Rhaſe *aph. particula* 14. videlicet ut os aqua compleatur, & facies ſublimis teneatur.

Reliquum eſt de *gargariſmo* dici; ſi modo de re tam nota & plana meminiſſe oporteat. Verum illud unum advertam, ad hujus medicaminis efficaciam ſingulare *ſinapi* eſſe: quod primas in extrahendo habere, prodidit Pythagoras. Deinde & alia quædam tenuis eſſentiæ medicamenta huc faciunt; ex quibus quaſi nobis exemplar propoſuit Galenus *lib.* 3. *de facile parab. c.* 206. è ſelectis plurimis deſcriptum reliquit hoc, quod ℞ origanum, gummi, hyſſopum, ſampſuchum, pulegium, thymum paſſi ℔ iij. incoquito donec una remaneat, & gargarizandum dato: excutit enim uſque pulmonis materias. Galenus.

§. 15. *De Expurgatione corporis.*

Purgationis uſus in hoc medicinæ genere nonnullos agnoſcimus; quorum *primus* eſt, ut prohibeatur, quo minùs exſtet humorum ad fluxum paratorum materia, in his maxime corporibus, quæ ſunt cacochyma. *Alter* eſt, ut hic idem affluxus à ſuo curſu revocetur & revellatur, in partemque aliam trahatur. Hac ſingulari ratione una die ſanatos nonnullos ex his, quibus oculi tentari phlegmone ceperant; refert Galenus in *lib.* 3. *meth. med. c.* 2. & 4. *ejuſdem operis c.* 6. Et *comment.* 3. *libri de fractur, particula* 27. non ſolum ut excrementa purgentur, ſed etiam ut revellantur, veratrum bibendum præcipit. Ita etiam Hippocrates *lib. de vulneribus capitis* cholagogum imperat ad eryſipelas. Purgationis uſus. Galenus. Hippocrates.

Probata verò ſic mirum in modum eſt *revulſio* per expurgatum corporis: nam ab incurſu omni libera facta particula, & dolores præſentes abeunt, & quæ futura erant incommoda Revulſionis à medicamento commoda.

da ſymptomatum præcaventur, ut vigiliæ, ſpaſmus, phrenitis, corruptio, & pericula alia adhuc; & citiùs liberabitur æger, & facilius tum ipſe, tum medicus curandi tædia ferent.

Adverſus cauſas antecedentes afluxionum.

Aëtius purgatione uſus eſt in apparatu morbifero. Nimirum evenit ſæpe, ut ex mediocribus nec difficilibus vulneribus incurrant ægri febres, effatu non indignas, & alioquin diſcriminoſas etiam, atque id maxime in aëris conſtitutionibus regionibuſque auſtrinis, &c. Quare prudentis hominis erit, his malis ante occurrere, & purganti pharmaco non parcere, quo ſtatuas ægrum in tuto.

Hi quidem ſunt præcipui purgationis uſus, & hæc expurgati corporis commoda. Verumenimvero maximam inter omnia prudentiam exigit purgatio, ſui ipſius gratia quæſita. Quæ propterea non immerito poſtremum occupabit locum, ut quæ primæ ſit in his rebus poteſtatis atque virtutis. Exponit hanc Fallopius in *lib. de tumor.* omiſſam in *altero de ulceribus*. Sed contrarius fortaſſe debebatur locus. Namque cacochymiam atque humorum vitium cum magis agnoſcant ſui cauſas ulcera; purgatoriis etiam auxilium magis in eadem manet. Quapropter ejuſdem in hac re neceſſitatem inſpiciens ac rite æſtimans Hippocrates aliquanto poſt principium *lib. de ulcer. purgationis num. 6.* expreſſe meminit; quòd non conſuevit utique in aliis hujuſmodi facere.

Fallopius. In ulcerum vitiis expurgandi corporis neceſſitas.

Hippocrates

Purgatio duplex.

Quam purgationem duplicem hodie facimus; quæ ut ulceribus & externis aliis vitiis coarctatur à nobis, ſic ab aliis omnibus ad interna etiam extendi conſuevit. Expurgationis altera ſpecies eſt, quæ *catholica*, id eſt, ex univerſo corpore trahens, præambula, laxativa peculiariter, confertim ducens, & rarior, digniſſime & ἀξιολόγως dicta purgatio. Altera, quæ *huic contraria*, i. e. quæ neque humores omnes, neque à partibus omnibus abſolute atque univerſe ducit, ſecundaria, lente paulatimque ſubtrahens, & crebrior, ſecundùm partem, & per epicraſim purgatio dicta. Utraque diſtincte ſemper & magna cum adverſione rerum utenda. Sed prioris quidem vel ſimplicior eſt, vel habetur, compoſitio, omnino autem magis cognita ratio; quia frequentior uſu: poſterioris vero multiplicior eſt inventio, ac diſpoſitio; quando-

Partita vacuationis ſpecies adminiſtratu difficilior.

doquidem ad numero plures & compositiores esse solet affectus. Nemo est igitur, qui non tres hujus species norit, *phlegmagogam*, *cholagogam*, *melanagogam*. Hæc communis omnium partitio est. Verumtamen nos aliam tum absolute tum nostro instituto maxime necessariam proponimus, quæ est *expurgandi sanguinis propria*, *per repetitum ejusdem usum*. Hæc non tantum omissa, sed neque etiam nomine tenus cognita nostro hoc, & aliquanto superiori tempore videtur fuisse. Sed enim singulariter necessaria est in advertendis vitiorum & ulcerum causis. Putredinem enim & aliorum jam succorum peccata quî tollant nominatæ tres species, quarum singulæ unam plurimùm superfluitatem ac semel exhibitæ tantum emovent? Itaque necessaria est *quarta*, quæ peculiariter abeuntem humoris substantiam reparet & restituat. Quæ quidem à nobis *sanguinis expurgativa* vocabitur αἵματος καθαρτική. Nova purgationis species.

Quam meam sententiam ut comprehendere possint initiati; repetam altiùs, sed brevi, sermonem ad hunc modum. *Sanguinis*, ut vulgo dicimus, *venis contenti quatuor* sunt ὑποστάσεις, *essentiæ diversæ*; sicut exemplo multi, vinique declaravit nobis Galenus 2. *de nat. facult.* & *lib.* 4. *de usu part.* Sunt Galenus. autem hæc: *bilis*, *pituita*, *melancholia*, qui omnes humores ab uno Averrhoë licet falso dicuntur recrementa; *sanguis* Averrhoës. vero, cunctorum opinione, *humor est legitimus*, *purpuræ modo splendescens*, *ac lætus*. Sanguinem igitur dicimus quidem Sanguinis nomine quid potissime significetur. quartam substantiam κατ' ἐξοχὴν purissimam nutrientium humorum partem, quo sensu loquebatur Averrhoës: sed dicimus id omne vere, quod virtute hepatis procreatur, & in venis continetur. Quo significatu dixit alicubi Galenus: *cum sanguinem dico*, *omnes humores appello*. l. 1. de elementis c. 6. & epid. c. 4. Jam vero singulorum, quos diximus, discretim acceptorum humorum sui sunt peculiares ichores, id est, superfluitates humidæ dependentes. Singulorum humorum sui sunt ichores proprii. Quorum primus Hippocrates meminit 4. *de ratione vict.* 4. itemque Diocles *in epistola ad Antigonum*, Plato *in Timæo*, Galenus *primo de placitis Hipp.* & *Platon.* & *in sextum epidemiorum com.* 2. Hippocrates. Diocles. Plato. Galenus. Qui porro ichores atque humores corrumpi putrescereve præter naturæ legem possunt, tum singuli & uni, tum plura ipsorum genera, tum universa. Quorum quidem omni-

Putrescentium ichorum varii modi. Sanguinis putrescentis modi.

omnium numerosa conjugatio est, & per otium abs te pervidenda, recensendaque: nos hoc tempore quid tanta & tot possimus, sine tui præsertim, auditor, fastidio, dissertationisque plurimæ dispendio? Sanguis igitur aut vitium fecit totus cum humoribus ichoribusque omnibus, (hujus in *lue venerea* confirmata atque in *elephantiasi* est exemplum;) vel corruptus est cum istorum aliquot, ut in *cacochymiis minoribus* nuper memoratis; aut inquinatus est ipse sanguis secundum se ipsum, quantum fieri potest absolute, ut in *variolis* & *morbillis*. Meminit sanguinis alieni Galenus *lib.* x. *simpl.* §. *de sanguine*. Hos omnes putridi sanguinis modos etsi debeamus omnes pharmacis instaurare castigareque; nihilominus is potissimum in procurationem nostram nunc venit, qui non omnigenam & consummatam subiit corruptelam: hujus enim restituendæ (si modo restitui possit) peculiaris & discretus requiritur sermo, de qua re aliàs, si Deo placitum fuerit, agemus.

Quæ sanguinis corruptela restituenda per nos suscipiatur.

Sanguinis putrescentis modus duplex:

Interim institutum absolvamus, illud non omittens, sanguinem abscedere à sua natura bifariam, vel maxima sui parte, vel pauca. Recessus porro quo major fuerit, eo etiam interior requiritur industria, medicamentaque valentiora. Et putredinis quidem modus nulla melius via dignosci poterit, quam extracti de venis observatione sanguinis. Ita quidem advertisse videntur ex his, qui de venæsectione scripserunt plurimi. Inter quos primus est, quantum ego video, Arnaldus Novocomensis; post hunc Joannes Fernelius; sed omnium luculentissime Joannes Heurnius *lib.* 2. *pract. meth. c.* 16. Vel, si id non licet, ex coloris mutati fœditate, præsertim oculorum, labiorumque, gingivarum, dentium, capillorum, unguium; item ex roboris modo, præsertim ad nutricatum & esuriem collato; ex excrementis, atque horum conditione pejore minoreve; ex cæteris affectibus apparentibus in corpore, & animi ægritudine. Hæc ubi perspicacius inspexeris indagaverisve, tum demum ad concinnanda singulis pharmaca propria descendes: quorum etiam lata est series & numerosa proprietas. Hæc enim varie sanguinem depurgabunt abstergendo, deobstruendo, ventilando, lotium, sudorem, alvum provocando, secernendo, attenuando, secun-

Arnaldus Villanovanus. Joannes Fernelius. Joannes Heurnius. Corrupti sanguinis variæ conjecturæ. Quibus rationibus depurgent medicamenta sanguinem.

ſecundum proprias, ſecundas, tertias qualitates commoderando, atque in priſtinum ſuum ſtatum revocando. Sed inter omnia proprias tenent ea, quæ à proprietate ac tota ſui ſubſtantia id perficiunt. Ita propemodum Heurnius *lib.* 2. *pract. meth.* 16. quorum exempla ipſe exſequitur *eod. toto cap.* & *ſequentibus tribus proximis*; qui & legendus in hanc rem eſt ad perfectum uſque libri decurſum. Heurnius.

§. 16. *Enumeratio certorum quorundam medicamentorum, quæ ſanguinem purgant.*

Sylva medicamentorum ſanguinem expurgantium.

Requiritur nunc *ſylva ſimplicium*, ex quibus & compoſita varii generis parari queunt à bonis artificibus. Primum omnium eſt veratrum, ſive nigrum accipias, ſive album. Quod propterea tantopere uſitatum credo ab Hippocrate, quod ſingularem depurgandi ſanguinis in hac ſtirpe cognoſceret vim. Neque ab hoc medicamento tam nimium oportet abhorrere, neque timere primum, quod in quibus morbis id accipitur, hi terrifici ſunt magis, atque ab atra bile profecti. Quare ſcriptum reliquit Galenus *lib. de atra bile c.* 9. Quotquot ex melancholico humore fiunt affectus, ſtatim inter initia ſtrenue purgans melanagogis creſcere prohibebis. Quod autem ad tutam hujus medicamenti præparationem ſpectat, hanc & Petrus Salius *in l. de affect. partic. c.* 19. & multo plenius Joannes Baptiſta Codronchius *in lib. de Hellebori uſu*, tum ex veterum tum ex neotericorum ſententia diſerte expoſuit. Et noviſſime Petrus Caſtellus Dogmaticæ atque Hermeticæ medicinæ profeſſor egregius, à ſe ipſo & Romanis medicis uſitatam feliciterque expertam hanc radicem propoſuit *in opere de vomitoriis*, propediem evulgando, quod mihi ſcriptum humanè communicavit. Helleborum. Hippocrati cur tam multum uſitatum helleborum. Helleborum non tantopere, ut vulgus putat, extimeſcendum. Nobilis Galeni ſententia. Petrus Salius. Baptiſta Codronchius. Petrus Caſtellus.

Secunda mea ſententia eſt ſenna, ſive multiplici ſua virtute, ſive lenitate ſummopere commendabilis. Senna.

Ab his eſt colocynthis: quam ſi belle adminiſtrare ſcias, non ſatis poſſis ipſe laudare. Attrahit & à longinquo turpetum. Cyclaminus his ſuccedit; qui & purulenta deorſum ducere creditus eſt à Caſtore Durante. Sed geniſtæ flos proxime conſequitur, qui pituitam valentiſſime purgat. Cum quo & tithymalus juxta ponitur, & cnicus. Ad hæc adnumeratur Colocynthis Turbit. Cyclaminus Caſtor Durantes. Geniſtæ flos. Tithymalus. Cnicus.

Polypodium. Epithymus. Ebuli baccæ. Spina infectoria. Rhaponticum.

polypodium, & epithymus, nec non ebuli bacca, & infectoriæ ſpinæ; quam Spini merli dicunt, cujus ego ſuccum addenſo ita id ignem lentum, ut reddatur veluti caſſiæ ſuccus. Rhaponticum vulgare, ſive Centaurium majus, unice depurgat ſanguinem, quem per conciſas tranſverſim fibras lente exſtillantem ſuimet ſignatura exprimit & repræſentat.

Caſſia fiſtularis. Tamarindi. Serum lactis. Mercurialis. Ariſtolochia. Carduus benedictus. Scilla.

Caſſia fiſtularis, tamarindi, ſerum lactis, mercurialis, malum terræ; quod eſt ariſtolochia rotunda, quam Hiera Pachii apud Scribonium & Marcellum nobilis medicina recipit; carduus benedictus, ſcilla, & ex ea conflatum medicamentum, ob hanc quoque cauſam tanti æſtimata à Pythagora noſtro Calabro.

Caſſutha. Filicis radix. Eupatorium. Fumaria &c. Hier. Montuus.

Minora his ſunt caſſutha, filicis radix ſecundum Joſephum Quercetanum *in opuſculis*, eupatorium, fumaria, lupus ſalictarius, cichorium, intybus, & hoc omne genus, chamædrys, veronica, fraga, adianthum, aſparagus, apium ſativum, aut paludapium, & quædam alia, quæ ſecundum Hieronymum Montuum ſanguinem per urinæ ductus expurgant.

Compoſitiones. Theriacæ vis mira. Trochiſci & Sales è vipera. Quercetanus. Syrupus caprimulgi. Lud. Mercatus. Hiera magna.

Sed è *compoſitis* prima eſt theriaca, quæ diligentiſſime ſit confecta. Etenim viperam recipit, quæ in ſecernendis humoribus & ſanguine divina gaudet energia. Sed enim ſimpliciores & uſu commodiores trochiſci ſunt & ſales è vipera, præſertim ex præparatione Joſephi Quercetani *in opere Pharmacopœæ Reſtitutæ*. Cum hac & ſyrupus eſt Caprimulgi anguis, quemadmodum Neapoli paramus, vel ut componit L. Mercatus *in lib. de morbo Gallico*. Neutiquam autem ſpernenda eſt Hiera magna vocata, quam ad Montuum deſcripſit auctor *libri ſecretorum inſcriptorum Galeno*, ſub finem tituli, ad dolorem junctur. & complexionem corrupta; quæ eſt ℞ chamæp. ſcordii, an. ℥ß myrr. ſpicæ, calam. mont. ſpod. petros. praſſii an ℥ij ſem. rutæ, hyperic. hyſs. ſicci, phu. an. aur. 4. chamædr. ℥viij fol. ʒj terantur omnia & cribrentur, leniantur, cum ℥ij ol. balſ. & confic. cum melle origanato ſufficienti. Hujus potio eſt ad aur. 1. cum aq. calida. Virtutes vero ſunt admirandæ, quas apud auctorem leges.

Oxymel. Juliani. Syrupus è filicula. Hæmagogum Symphoriani.

Ab his eſt oxymel Juliani, atributum Conrado Tigurino deſcriptumque à Vechero *in Antidotario generali*: ſyrupus de filicula Hieron. Montui: vel hæmagogum à Symphoriano Cam-

Campegio deſcriptum *in medicæ praxeos l.* 2. *c.* 2. quod recip. ceterach, polytrichi, adianthi, capill. ven. hyperici, ſcolopendr. ſem. frigid. major. excort. prunorum, viol. jujub. an ℥j bull. in aq. in qua colata caſſiæ fiſtularis, tamarind. an ℨvj mannæ electæ ℥iij. Coletur, in qua colatura diſſ. rheibarb. el. ℥ij vel loco hujus myrob. citr. ℥ß. ſit tota nocte ſub dio. Mane cum ſyr. viol. vel aq. prænarrati decocti cum tota ſubſtantia ſumatur. Ad hæc eſt vinum chalybeatum à Joſepho Quercetano deſcriptum in *Diætetico F.* Nec non eſt apud eundem *ibidem* vinum ex flor. hyperic. ſummitatibus centaur. minor. fumi terræ & ſennæ fol. ad libitum. Paratur veris tempore, quemadmodum apud auctorem. Poſt hæc confectio diacatholica & ſyrupus de polypodio. Sed ſuperat hæc confectio Hamech: & inter omnia rurſus ſerapium fumariæ majus. Syrupus Nicolai neque inter hæc ſilendus eſt. Quo probatior & efficacior eſt tamen is, quem deſcripſit Leonardus Floravantus *in lib.* 4. *theſauri ſanit. humanæ c.* 80. & *l.* 2. *Capriciorum c.* 13. & 14. quorum hic melanagogus, alter magiſtralis ſyrupus inſcriptus eſt.

Vinum chalybeatum Quercetani.

Leon. Floravantus.

Sed in his, quæ receptiſſimi ſunt uſus, numeremne quæ ex Hermeticorum ſunt officina? Porro ſunt hæc tam opere ſuo atque energia probata, ut injuria certe fiat medicinæ univerſæ, & invidia ſubſit aut frugiferis medicamentis, aut valetudini ægrorum, ſi involvantur ſilentio. Licet enim operoſa & difficilia paratu ſint, & ſumptuoſa; nihilominùs æque & pretioſa ſunt fructu. Laudata ſunt igitur à Crollio aqua theriacalis, turpetum minerale, ſal coralli, lac ſulphuris, liquor auri, quale potabile dicunt, ſi ſine corroſivis paretur, ex horum quoque ſchola præſtantiſſimum atque præter alia maximum dicitur. Non aſpernandæ quoque virtutis eſt crocus martis, quem laudavit ad cancrum Claudius Chapuyſius Gallus hoc modo præparandum. ℞ croci martis chymice præparati ℥iij conſer. capill. ven. ℥ij m. doſis ℨiij mane.

Hermeticorum pharmacorum laus.

Aqua thoricalis.
Turpetum minerale.
Sal coralli.
Lac ſulphuris.
Liquor auri.
Crocus Martis.

Poſtremùm his adnumera præparationes antimonii: cujus ſicut in ſecernendis metallis omnibus mira eſt vis; ſic ſimilis & in corruptis humoribus corporis expurgandis obſervatur facultas, Quercetano teſte *in l. ſpagir. præpar. c.* 10. Inter

Antimonii præparationes.

Quercetanus.

cæteras ſtibii formas catharticas calcinamentum ejuſdem *non uno loco medicæ praxeos* commendat Felix Platerus. Ad eruptiones vero ſalſorum humorum, tetraſque ſcabies morboſque diuturnos & pertinaces de medico quodam empirico narrat, qui in decoctis ſparti parilis calcinatum ſtibium admiſcens experimenta mira præſtabat.

Platerus.

Mirificum etiam ad hanc rem ſal angelicæ cum guttis 20. olei fœniculi veſperi luna decreſcente ſumptum & per intervalla temporum repetitum dixit Bern. Penotus *l. 4. medic. chymic. c. proprio*; itemque ſal benedictæ caryophyllatæ *lib. eodem cap. iſto*, ſal pimpinellæ, & ſal plantaginis majoris: præterquam quod & tincturam corallorum & auri idem vir ad hanc rem propoſuit.

B. Penotus.

Ant. Guertæus.

Cum his oleum aut eſſentiam chelidoniæ laudavit Auctor *appendicis ad centurias Mizaldi.* Neque autem credo injuria: propterea quod ſignaturam, ut Chymiſtæ loquuntur, habet ſanguinis. Quo conſilio & eſſentiam rhapontici, ſi paretur, ſimiliter ad hæc valere facile crediderim. Quemadmodum & alia, quæ ſint hujuſmodi. Videlicet extractum hellebori nigri; ſeu quale à Geſthnero *Euonymi l. 2.* ſeu quale à Quercetano apud *Vecherum l. 2. antid. ſpecial. c. de extractis*, ſeu quale à Penoto, ſeu quale à Bovio, ſeu quale à Paracelſo *l. de Helleboro* paratur. Ad hæc eſſentia viperarum à Geſthnero deſcripta *l. 2. Euonymi c. de oleis*, & à Quercetano *in l. de ſpag. medic. præpar.* Turpetum minerale Crollii. Extractum colocynthidos Quercetani *l. de ſpagir. medicam. præp. c. 8.* Floravanti multa, i. e. electuarium Angelicum, pilulæ Aquilinæ, diaromaticon. &c.

§. 17. *De catharticis, quæ conveniunt recentibus plagis.*

Hactenus de catharticis, quæ vitiis vetuſtis & ab interiore cauſa pendentibus convenire varie poſſunt. Reliquum nunc eſt *de his* dicere, *quæ recens obvenêre*, hoc eſt, de vulneribus atque ictibus caſu & fortuna ortis. Has igitur noxas bifariam percurare ſolent medici, vel cholagogis uſu communibus, vel adſtringentibus quibuſdam, quas vulnerarias potiones vocarunt. Utræque an probandæ uſitandæve ſint,

controversum est inter doctos. De catharticis prior sit disputatio.

Ex omnibus autem Guido Cauliacus, licet his usus sit in chronicis ulceribus *tr.* 3. *de.* 1. *c.* 1. fuit primus, qui diceret *purgantia vulneribus aliena esse, ac noxia; utpote quæ calefaciendo aperiant ductus, fluxiones commoveant, & inflammationes suppurationesque inde creent.* Hæc ille fere. Sed non videt, quantum abhorreat hæc sententia ab Hippocrate ac Galeno; cujus loca non pauca de purgatione in vulneribus amplectenda supra recitavimus. Nec advertit eundem Hippocratem adusque veratrum usitasse in malis vulneribus. Verumtamen si calidissima timentur, quæ timeri certè debent, non desunt ea, quæ sunt mediocriter talia. Necessarium autem est aliquid caloris habeant, quo sint idonea bili ducendæ, quæ plurimum vulnera & vulneratos solet infestare. Describit porro H. Fabricius quædam cathartica, quæ sunt vere tutissima. Atque ita de prædicta controversia decretum esto. Plenius hanc rem, & fortasse minutius tractavit C. Magatus *lib. de vuln. generatim. c.* 53.

Guidonis opinio de purgatione corporis in vulneribus.

Depulsio.

Hieron. Fabricius.

Cæsar Magatus.

Cæterum an vulnerariæ potiones approbandæ sint propinandæve, altera nunc lis exoritur. Veteres chirurgi ante Guidonis tempora maxime solennes istas habuerunt. Nec minus eas commendavit Theophrastus Paracelsus *in tract.* 2. *chirurgiæ vulnerum c.* 4. Bern. Gordonius *in l. de morb. prope omnium curatione c.* 26. Heurnius *in comm.* 7. *lib. aphor.* 8. Conr. Gestnerus in *l. de Spermate ceti*, Renerius Solenander *sect.* 4. *cons.* 4. Johannes Riolanus *in chirurg. sect.* 5. *c.* 5. *de principiis curandis vuln. indic.* Gabriel Fallopius *to.* 2. *c. de fistula.* Ad hos addere licet Mauritium Cordæum *in comm.* 7. *lib. de morb. mul.* Hippocrati primum hoc inventum attribuentem. Postremo Josephus Quercetanus *lib. de cur. vulnerum sclop. cap. ult.* his fere rationum fundamentis idem probavit. Primum, quod natura per se ipsam medetur noxis, solumque id exigit unum, ut & extrinsecùs adjuvetur, & externa internis consentiant. Secundo sunt quædam ex natura procreatis, quæ similitudinem ac sympathiam habent occultam ad locos corporis patientes. Hæc itaque vel in alimentum parari apte possunt, ut natura cibi vel potus dulcedine pellecta accommo-

De potionibus vulnerariis disputatio.

modatius incitetur. Horum neceſſitatem illud etiam confirmat, quod iſtis plerumque partibus nequit utile medicamentum adaptari. Itaque cogitur artifex iſtiuſmodi medelas excogitare, quas præter rationem etiam felix eventus comprobavit, ſalubreſque oſtendit. Ad hæc addidit illa Quercetanus *citato loco ſclopetarii:* Potiones iſtæ vulnerariæ, quamvis humores per inferiora non depellant, valent tamen ad vulnera expurganda, quandoquidem ſuperfluos humores & ſanguinem ab omnibus ſordibus expurgant, ac mira qua pollent facultate, & confracta oſſa conſolidant, & læſis ex vulnere nervis medentur: ac naturæ opem ferendo tandem vulnera illa carne replent, & cicatrice, nullo adhibito alio remedio, obducunt. Quum autem ex illarum potionum uſu mirandos ac prope incredibiles effectus præſertim in Germania viderim etiam ad deſperatorum ulcerum curationem, commodiſſimam fore non prætermittendam illarum mentionem exiſtimavi: idque eo magis, quia uſum illarum ſcio antiquitùs probatum fuiſſe, nunc vero medicorum negligentia prope obſoleviſſe. Quin etiam compertum habeo, illas non ſolum medicamentorum ſed & alimentorum loco aſſumi: atque ſymptomatis, omnibuſque incommodis, quibus vulnera obnoxia ſunt, occurrere. *Simplicia* autem, ex quibus parantur, ſunt hæc:

Quercetani judicium de potionibus vulnerariis.

Cyclaminus, quam Arabes arthanitam, ſophiam nonnulli vocant. Conſolida major. Conſolida media. Sabina. Verbena. Ariſtolochia. Serpentaria. Veronica. Perſicaria. Agrimonia. Arthemiſia. Pyrola. Lilium convallium. Sperma ceti. Zedoaria. Cancri Fluviatiles. Galanga. Nux vomica. Vinca pervinca. Aſtaci. Contrajervum. Mumia. Ophiogloſſon. Macis. Betonica. Bolus Armena.

Sylva materierum in potiones venientium.

Alias perplures conſcripſit Ambr. Paræus *l.* 18. *cap.* 28. *in tabella*, quæ eſt:

Ambr. Paræi ſylva materiarum.

Scabioſa. Sanicula. Bugula. Piloſella. Pimpinella. Erythrodanum. Tanacetum. Summitates cannabis. Summitates rubi. Cyclamen. Conſolida major, minorque. Verbena. Serpentaria. Arthemiſia. Vinca pervinca. Centaurium. Ophiogloſſum. Betonica. Carduus benedictus. Flores cardiaci. Ariſtolochia. Veronica. Agrimonium. Capillares. Herba Roberti.

Pes

Pes columbi. Cynoglossum. Caryophyllata. Carpentaria. Osmunda regalis. Horminum. Gentiana. Herniaria. Brassica rubra. Scordium. Nepeta. Pentaphyllata. Cancri fluviatiles. Macis. Bolus Armena.

Contrariam sententiam sequutus est Guido & juniores chirurgici fere omnes, timentes à calida vi horum medicatorum potuum, & à vino mero, cum quo parantur: *namque acuunt, agitantque hæc sanguinem, unde & humorum fluxio atque inflammatio consequi potest.* Hæc quidem Guido: cui & ipse nixus est Fallopius per omnia; nisi quod in ictibus capitis medicatas has potiones prope rejecerit velut à se non expertas. Guidonis sententia. Medicatas potiones vulnerarias in isto capite rejecit Fallopius.

Adversantes has duas factiones hucusque nemo conciliavit: nisi quod Hieronymus Fabricius elapsis initiis & inflammationis suspicione potiones dictas non improbavit. Magis vero iis favit Cæsar Magatus *lib. de vulneribus generatim c. 57.* transferens in consensum Galenum *lib. 5. meth. c. 9.* qui & diaspermaton calidissimum medicamentum in vulneribus thoracis approbavit, & in cæteris omnibus exsiccantia primùm auxilia commendavit. Tantum Cæsar à calidissimis potionibus abstinendum monet. Cujus ego sententiæ libens accedo, id mihi persuadens, permultos esse hoc tempore, qui victi veritate ac medicamenti virtute, huic quidem plurimum deferunt, tamen non audent consuetudini medentium contraire. Ita movemur, trahimur, fascinamur tyrannico medendi usu. Hier. Fabricii sententia. Cæsaris Magati sententia. Galenus. Nostra sententia. Tyrannicus medendi usus, atque præscriptum.

Verumtamen non desunt, qui ubi occurrat, sauciis, aut casum, allisionem, attritionem, distortionem, apospasma, aut aliud quodcunque violentum ex ictu passis, etiam adstringentia contrahentiaque medicamenta præbeant. Sic quibus vulnera, luxata, fractaque ossa, casusque de sublimi loco offensas curant; hæc aut similia pharmaca describunt. Dogmaticorum pharmaca.

Priora quidem serapia ex oxalide, acido citri, de infus. ros. rub. maturarum vel immaturarum, de portulaca, de granatis acidis, de betonica &c. cum aqua oxalidis, portulacæ, betonicæ, melissæ, & similium. Syrupi vulnerarii vulgaris præscripti.

Posterius vero medicamentum in forma purgantis esse solet ejusmodi. ℞ Syr. de 9. infus. ros. rub. & de 5. infus. ros. persic. an ℥iij pulv. Mesuæi ad casum & ictum ʒiß rhabar. recenter Pharmaci formula

ter tusi ℥j cum aqua beton. melissæ, portul. plantag. oxalidis pauca misce.

Alia composita. Addunt & his, quando cacochymia aliqua subsit, diacatholici, vel electuarii de succ. rosʃ. ℥ß vel ℨiij exhibentque in potum. Hæc, vel parum diversa sunt usui pro percussis.

Alia aliorum sunt pharmaca: ut pro patientibus collectiones, abscessus, ulcera; cholagoga, phlegmagoga, melanagoga communis usus; prout bilis, phlegma, melancholia redundaverit. Hæc de communibus formulis purgantium pharmacorum.

Adversio atque observatio. Aëtii enunciatum. Unum nunc est postremo sed non in postremis advertendum; genus hoc remedii plus semel, imo sæpe ac sæpius usitandum, atque inculcandum: *plurimi enim morbi ab acervata pharmacorum vicissitudine delentur, qui alias hominem reliquunt non facile*, sicut ait Aëtius.

§. 18. *De Vomitu.*

Neque non *vomitus* ex usu est medicis curantibus ulcera aut vulnera; novem, ut ego puto, temporibus.

1. Primum est, cum partibus inferioribus afflictatis majorem ex dejectorio noxam cavemus, moniti à Galeno *cap. 6. l. 4. meth.* (Galenus.)

2. Secundum, cum ægrotant partes superiores; ut in exemplo, quod describit Rabbi Moyses *in aphor. ex Gal. collectis* per hæc ipsa verba: *Ex materia humoris adscendentis ad partem superiorem corporis, in capite ulcera generantur; & tunc oportet te purgare ex loco proximo per vomitum, & non per phlebotomiam.* Loquitur porro auctor de tinea, exempli causa, &c. (Rabbi Moses.)

3. Tertium, cum ex peccantis succi proprietate id fit, qui difficile deorsum, facilius vero superne extruditur; siquidem ad superiora repit.

4. Quartum est, cùm nullis afflictis partibus internis vomitum eligimus, solum revulsionis gratia; ut in vitiis partium infra cinctum. Ita dicebat Galenus 4. *meth. c. 2.* conceptis verbis: *At vomitu uti pudibundis laborantibus in diversa revellens auxilium est Et lib. 4. ejusdem operis c. 6. & comm. 2. lib. de fract. particula 27.* veratrum bibendum dictat. Quæ exercitatissima est ejusdem sententia & *toto hoc lib. & 13. meth.* (Galenus.)

Hip-

Hippocrates vero *in lib. de humoribus sect.* 2. *com.* 13. & *lib de ulcer. n.* 5. prædixerat in omni ulcere, cui ignis sacer supervenerit, purgandum corpus esse; quia ulceri maxime prodest: sive id per suprema, sive per inferna fiat. Item tradit cum 3. *de fract. particula* 48. in fracto osse femoris cum ulcere, tum *lib. de artic. tex.* 76. in luxatis digitis pedis cum ulcere. Similiter ad curanda vulnera Celsus *in l.* v. *c.* 26. §. 22. quod est de curatione vulnerum universali: *Sponte*, ait, *vomere, non alienum est; præcipuè his, quibus in consuetudine fuit.* Hippocrates. Celsus

Quintum vomitus utendi tempus est, cum circa stomachum & hujus viciniam sit materia, quæ morbum foveat & conservet, Breviore quippe via vacuari poterit noxa, si sit evacuandi commoditas, è vicinis: ut in præcordiis malè affectis. 5.

Præter has quidem & aliæ oportunitates utendi vomitus esse possunt, sed quæ respiciant accidentia quædam: id est, quod si refractaria sit æger alvo, ad quam dejiciendam opus sit uti valentissimis & ægro discriminosis dejectoriis. Item quod dejectoria omnia non contineat stomachus, sed maturè rejiciat. Vel quod administratorum multorum catharticorum nullus unquam perceptus est fructus, 6. 7. 8.

Nonum, quod ex multis jam exactis crapulis & infarctibus ventris, referta sit ejus tota regio mucosa & lenta pituita. Et licet hæc quidem, cum cruda sit, castigari longa inedia queat & in naturæ potestatem converti; tamen occasio partium morbo liberandarum urget. 9.

Hæc quidem sunt vomitoriæ purgationis tempora. Affectus vero & morbi (circa cheiriatriam loquor,) qui vomitum expetunt, sunt hi: quibus fluxus ventris est, aut ulcus, aut articulorum dolor; vomitione avertendi sunt in his humores, inquit Rondeletius *lib. de medicamentis internis c. de vomitum cientibus*. Quibus addimus nos pathemata omnia ureterum, & vesicæ, canaliumque seminis & urinæ; item cachexiam & mala vulvæ atque uteri, cavæ regionis hepatis, ventris inferioris, intestinorum atque alvi. Affectus & vitia, quibus occurritur per vomitum. Fluxus ventris. Articulorum dolor, Rondeletius. Ureterum, vesicæ & urethræ vitia,

Jam vero vomitoria hæc probatissima censentur, ex plurimis pauca, eorum videlicet, quæ universum corpus purgant.

Vomitoria quædam adnotata. Vomitorium Nicolai, Arnaldi, Fernelii,

Prima sunt pervetusta illa recensita à Nicolao & ab Arnaldo Villanovensi, videlicet vomitorium Andreæ, vomitorium Patriarchæ, vomitorium Scarpellæ.

Deinde è recentioribus est electuarium diasari, descriptum à Joanne Fernelio *lib.* 7. *meth. med.* §. *de purgantibus compositionibus.* Qui idem auctor *in cons.* 7. describit hoc, aliud ex eodem asaro medicamentum. Cape ℈ij. aut ʒj. radicum asari, in hydromelite aut passularum decocto. dissolve cum tantillo cinnam. & syr. violarum, exhibe.

Jo. de Vico.

Johannes vero de Vico in *lib.* 7. *chirurgiæ copiosæ c. de sambuco* scribit hujus radicis corticis subtilissime derasi ex infuso per noctem, vino dilutum, valere ad vomitum provocandum & ventrem a malis humoribus vacuandum. Sed ejusdem radicis itidem derasæ succum fervefactum & spuma purgatum commendat Floravantus *lib.* 4. *Thesauri sanitatis humanæ cap.* 12. ut dosis sit ℥j. succi cum media rhodo mellitis. Conradus Gesnerus expertum se refert decoctum eupatorii aquatici, quod est vulgo gratiola, ex vino ad vomitum & urinam percommodum esse.

Leon. Floravanti. Conr. Tigurini.

Heurnii. Quercetani. Salis vitrioli parandi ratio.

Sed è novissimis & Hermeticis Heurnius & Josephus Quercetanus proposuere lenissimum, quod est sal vitrioli, paratum ad hunc modum. Vitriolum Romanum, vel chalcanthum, dissolve ex aqua depuratum, per residentiam evapora, quod in fundo vasis sidet dabis ad Gr. ij. vel iij. cum saccharo florum anthos vel buglossi ʒj.

Matthiolus.

Communem hominum motum ab utroque veratro ad vomitum exhibendo serio deridet Matthiolus *in quartum Dioscoridis.* Comprobat vanitatem Joannes Baptista Codronchius *in libello de helleboro.* Et nos etiam utrumque sine periculo propinavimus persæpe.

Baptista Codronchius.

De utendis vomitoriis scriptores.

Cæterum sunt de utendis vomiferis cautelæ atque observationes, quas apud pragmaticos omnes legito; Rondeletium inquam, Fernelium, Heurnium, ex antiquis vero Hippocratem *lib.* 3. *de diæta*, & Galenum *l.* 5. *aph.* 1. & Celsum *lib.* 1. *cap.* 3. & Aëtium *cap.* 119. *sermonis* 3. *tetrab. l.* 1. & cæteros Galenistas. Sed inter hæc omnia credo præstantissimum erit opus de vomitu & vomitoriis, quod posteritati parat jam jam Petrus Castellus medicus Romanus, cunctis,

Petrus Castellus medicus Romanus.

quæ

quæ ad hanc rem pertinent, & theorematis & experimentis locupletissimum.

§. 19. *De vacuantibus minoribus ex insensibili ratione.*

Sub proposito modo genere contineri meo judicio possunt ex interne assumptilibus medicamenta, quæ ad annum continuantur, sic dicta per Paulum *l.* 3. *cap.* 77. & *alibi:* proposita quidem ab eo ad finiendos coxendicum labores ut *eo loco*; atque etiam ad remittendas podagras, & arthritidem, ut *lib. eodem cap.* 78. Ad quem usum etiam probata eadem sunt ab Alexandro Tralliano *in l.* XI. *c.* 1. §. *de curatione.* Nos vero & ad diuturna omnia vitia eadem usitare licebit. Quæ recipiunt, describente Paulo, chamædryos pondo, gentianæ deuncem, aristolochiæ rotundæ deuncem, rutæ seminis sicci sextarium. Tusa cretaque per incerniculum dantur quotidie cochlearis mensura jejuno & probe concoctione obita ex duobus aquæ frigidæ cyathis ad annum, donec morbus finiatur. Hoc quidem medicamentum diatessaron est. Eadem promittit medicamen diahepta i. e. ex septem rebus confectum, & quod ad Proclum auctorem refertur.

Medicamenta, quæ ad annum assumuntur.

Trallianus.

Paulus.

Sed ex exterioribus adjumentis huc referri possunt repellentia, digerentia, fasciæ dictæ expulsivæ, cucurbitulæ, frictiones; vincula: de quibus omnibus uno hoc capite comprehensis dicam. Sunt autem hæc singula revulsoria, quæ in ulceribus maxime recentibus & fluxione tentatis non paucæ opis habentur.

§. 20. *De Ligaturis.*

Privatim autem ex omnibus humoribus ubi sanguinis est perfusio, vel ex biliosa fluxione inflammatio, huic quidem ex adverso subvenient *injecta vincula.* Quæ quo pressius adacta fuerint, eo magis opus persolvent. Cavendum autem, ex valentissima partis adstrictione ne in gangrænæ affectum trahatur. Qua providentia monent docti viri, ut lignei quasi cuneoli pluribus locis crassitudine digiti sint interponendi; atque ita demum vinciendum. Ex eadem vero particula modice humores arcebunt repellentia medicamenta. Galenus

Vinculorum usus.

Cautio.

Lignei cuneoli interponendi vinculis.

Repellentia medicamenta. Vinum nigrum austerum. Ratio administrandæ perfusionis ex vino.

autem *lib. 6. simpl. cap. de androsæmo*, utebatur in gladiatorum vulneribus perfusione vini nigri austeri. Quod cum valeat quidem ad glutinandum, multo maxime præstat ad reprimendum. Rationem autem administrandi ponit 3. *de fract. com.* 21. De repellentibus hæc brevi. De discutientibus sive digerentibus esset hic pariter dicendum; sed suus erit, cum de generibus medicamentorum externorum agemus, commodior is locus.

§. 21. *De Frictionibus.*

Frictionum usus. Tineæ capitis. Provocando capillorum ortui. Phlegmonis & gangrænis antevertendis.

Frictiones, quæ communiter pluribus in casibus usitatæ sunt, peculiariter tamen in chirurgiæ commoda accipiuntur, cum tineæ species aliqua curatur, sive quidem ad hujus differentias discernendas ac dignoscendas, sive ad gignendos provocandosque capillos. Ad hæc, & multo magis, in vindicandis antevertendisque ex multo humorum confluxu phlegmonis & gangrænis utiles comperiuntur. Administrantur autem commode linteis asperioribus, & acri aceto tinctis, quod sal, piper, pyrethrum, euphorbium, sinapi trita recipiat.

§. 22. *De Cucurbitulis.*

Cucurbitulæ. Lippitudini. Ulceribus phlegmonisque gutturis. Anginæ. Uteri procidentiæ. Capitis molestiis. Avertendis defluxibus Hæmorrhagiæ narium. Mensibus immodicis.

Ad hunc usum & *cucurbitulæ* similiter probantur, non minori eventu quam istæ. Ut in eruptionibus humorum acribus, quæ in laxis debilibusque corporis partibus fieri solitæ sunt: item in lippitudine, docente Galeno *lib.* 13. *meth. c.* 19. Et in ulceribus phlegmonisque gutturis; ut imitemur naturam critice operantem, cujus providentia tumorem excitatum in cervice sub angina bonum dicebat Hippocrates *lib.* 6. *aphorism.* 37. *& lib. de passionibus.* Et in uteri procidentia, ut *lib. de natura humana.* Natibus has affigit Jacobus Carpensis, cum caput laborat. In fluxionibus alioqui vehementibus efficacissimæ atque utilissimæ sunt. Exemplis id Galenus nos docuit, qui in *lib. de humo. com.* 1. *tex.* 13. in hæmorrhagia naris dexteræ cucurbitulas affigit regioni hepatis; in profluvio vero mensium imponit mammis *in dicti* 13. *meth. cap.* 19.

Commodæ autem & usu sentiuntur ipsæ, quando locis quibuslibet femorum & utrique lateri, sicut accidit, possunt ad-

adhiberi; ſic ut ex affecto latere retrahant fluentes humores. Sed & alteri quod non patitur, aliud etiam commodum præbent hæ, quod numero, quo magis libet & neceſſitas exigit, ſecus quam de venarum electione eſt, adminiſtrari poſſunt.

Retrahentis in contrarium humoribus. Commoditas utendarum cucurbitularum.

Aliud denique commodum eſt, quod cum vi vacui ac doloris modo attrahere natura poſſint: interdum quoque vel minui iſtarum poteſt actio, revulſioque, ex impoſiti quoque ignis modo. Nam quo copioſiori flamma parabuntur, validius ipſæ attrahent: quo vero minore minus. Quam flammam rurſus majorem minoremve, majores minoreſve, more cucurbitulæ admittent atque concludent.

Major minorvè cucurbitularum attractio.

Sunt autem de *revellentibus* communes aliquod regulæ, quas nolim hoc loco prætermitti. Videlicet, ut imponantur, cum inflammatio inchoata eſt. Neque ſolum ad oppoſita loca ſtatuantur, ſed ſecundum rectitudinem viciſſim omnia poterunt & alternatim poni, prout occaſio rerum petat. Tamdiu vero in his perſiſtere debebit utens medicus, donec fluxio, ad quam deſtinantur tollendam, requieverit; & donec vires poterunt perferre: nam nulli dubium eſt, doloris acerbitate plurimum fatigari virtutes.

Obſervationes. 1. 2. 3.

His ſi plura deſideres, eſt tibi peramplus locus horum audiendorum *in Pyrotechnia noſtra chirurgica*, qua de toto hoc argumento ſcriptum eſt fuſiſſime.

§. 23. *De Faſciis.*

Ex his omnibus auxilium mere chirurgicum ſunt *faſciæ* & *vincula*, dictæ vulgo *expulſivæ* ſive *repulſivæ* Hollerio *lib. de materia cap.* 1. Quibus mire confiſus fuit Hippocrates, cum ex fluxu humorum imminens ulceribus maximum veritus eſt periculum: Itaque multiplicibus iſtarum advolutionibus & voluminibus uſus eſt. *l.* 2. *de offic. medic. particula* 24. 25. 26. & *lib. de fract.* 25. 26. 27. Quæ loca cum interprete etiam Galeno percurre: nobis enim in multis occupatis ſatis fuit locos indicaſſe.

Hollerius Hippocrates

§. 24. *De reliquis rerum non naturalium observationibus.*

Morbi omnes & vitia, aut exceſſus quidem ſunt qualitatum, aut non ſunt ſine illo. Quare perpetuum eſt, quod ſuis contrariis oppugnentur. Itaque hi, qui ſub procurationem chiriatri cadunt, ſi quæſieris, quas obſervationes circa non naturales vocatos rerum uſus iidem petant: promptum eſt reſpondere, contrarias. Dictum eſt, quæ circa victus inanitiones & plenitudinem ſint chirurgicæ curæ vitiis medelæ. Reliquæ ſunt nunc de ſomno vigiliaque, motu & quiete & animi pathematis obſervationes. Quæ, ſicut præfatus modo fueram, calidi frigidique contrariis applicationibus abſolvuntur. Itaque ubi caloris eſt exceſſus, aut inflammatio timetur, & acris fluxio; ſubinde illa, quæ neutra erant ſub humectantium remittentiumque ordine, temperabis. Ubi vero frigidam ſpeciem referent decumbentium noxæ, memineris & ea, quæ calidioris ſunt facultatis, opponere. Temperanda autem ut hæc ſint, & in uſum convertenda; ex primis medicinæ rudimentis didiciſti. Nam neque aliter, & qui de univerſa re medica ſcribunt, & qui de chirurgica, doctrinam hanc explicant, quam ſub hac forma. Galenus vero *lib.* 1. *de comp. med. per loca* §. *de dolore capitis ex plaga*, brevibus multa concluſit, cum ex Apollonii ſenſu ſcripſit hæc: Ad hæc & quies, & corporis tranquillitas, ſubtractio cibi, evacuatio, fuga eorum, quæ offendere poſſunt, qualia ſunt ſal, balneum, vini potus, clamor, contentio; & ex his, quæ alimenti loco exhibentur acida, & acria, & ſalſa.

Contrarii ad vitia rerum non naturalium uſus.

Somni vigiliaque motus & quietis & animi pathematum moderatione vitiis ſunto contrariæ. Recurrendum in his ad primæ phyſiologiæ rudimenta.

Galeni de his pronunciatio.

Ita porro brevi cunctorum, quæ neceſſario occurrunt, adminiſtratio recta concipitur.

Diæto-chirurgici Finis σὺν Θεῷ.

PENULA

PENULA SALUBRIUM
ALIMENTORUM SIMPLICIUM ET COMPOSITORUM.
TRACTATULUS BREVIS
MARCI AURELII SEVERINI.

Syllepsis alimentorum generalis.


limenta omnia vel animata ſunt, vel inanima.

Animatorum partes vel ſuperabundantes, vel ſubſtantiales.

Superabundantes vel formigeniæ, vel humiditates.

Formigeniæ, ut ova in bipedibus; aut proportionatæ, ut lactumen thynnorum & aliquorum piſcium.

Humiditates, ut lac, ſerum, & ſanguis.

At hæc vel artem paſſa, h. e. ſale & garo condita, aut artem non paſſa.

Subſtantialium vero vel membra, vel pendula viſcera.

Membra aut extrema, aut alia.

Inanima, vel arte parata, vel nativa vel promiſcua.

Arte parata primæ menſæ, ut ſapores vulgares, & acetaria: ſecundæ menſæ, ut pultes triticeæ: tertiæ menſæ, ut fructus, bellaria.

Nativa, ut fructus.

Animatorum.

Promiſcua, ut lac cum melle.

Ova cum agreſtæ ſucco confracta atque ad ignem aheno excepta.

Ovà cum multo lacte, lattario la florent. Vid. *de curatione memb. l. 9. c. 5. pag. 500.*

Ova

Ova butyro frixa.

Ova agrestæ ſucco elixa.

Butyri multiformis adminiſtratio pro ferculis in curandis affectibus, maxime thoracis.

Oleum item ſi adminiſtrari debeat, (quod in febribus vetatur,) aqua diluendum. cujus rei methodum vide apud Stephanum.

Teſtes gallinacei. Hepata gallinarum. Ventriculi. Turdi. Perdices. Phaſiani. Capigallinæ. Pipiones. Ficedulæ. Aves montanæ. Sic aut aliter nutriti. Animellæ medulla. Hœdi lactentes. Cuniculi. Attagines. Merulæ. Turtures. Columbæ, Starnæ. Arnaldi modo præparatæ in regimine Salernitano.

Pulli conditura ex Guainerio *cap.* 98. Vide apud ipſum & alia *l. de febribus differentia* 3. *cap.* 11. & *in Antidotario cap. ult. de reſtaurativis.*

Ex aquaticis parabilium animatorum.

Cochleæ. Triglæ. Palatina. Torpedo. Erycil.
Teſtudines. Locuſtæ.

Ex plantis.

Succus granatorum acidorum in condituris.

Succus limonum, agreſtæ, citri, acetoſellæ, ex Guainerio.

Succus ſerpentariæ cum ſaccharo.

Radices in ferculis, ut fœniculi, borraginis, ſchorſoneræ, bugloſſæ.

Sennæ in pupatilla, decoctio in jurulentis.

Item prunorum Damaſcenorum, & fit ventris citativum.

Cappares conditi. Acetum paſſum, liquiriticum, ſive dulciatum.

Amylum cum lacte amygdalino. Melon Indus, ſive anguria.

Cucurbita cum lacte amygdalino. Citrulli medulla & pulpa.

Vice amygdalarum in cibo ſemen cucurbitæ; præcipue verò cum minus nutrire & magis refrigerare opus eſt.

Item pinearum fructus. Item ſemina melonum.

Similago cum amygdalino lacte. Oriza in aqua ciſternæ.

Jus cicerum. Paſta regia.

Cappares oleo amygdalino vel violaceo & vino albo defrixi.

Bor-

Borrago cum oleo amygdalino. Thalli cucurbitarum tenerrimi cum lacte amygdalino.

Lactuca. Endivia. Borrago. Buglossum. Atriplex. Beta. Turundæ. Cucurbita farina tritici obducta, oleo amygdalino vel butyro frixa.

Cibus Gordonii. Cibi Arnaldi *libro de regimine in acutis.*

Ex leguminibus, & seminibus.

Lentes. Cicera. Pisa sine cortice.

Coriandri bene incoquuntur cum aliis ad odoramen. Aver,

Dulciaria { Nephelæ. Tragemata.
Sisamellum. Vide *Pandect.* in *S.*
Kisch. i. e. simila trochiscata. Sylvat.

Jurinacea, sive pultes.

Panis sit recens, non calidus. Avenz. *in principio.* Patellaria.

Pultes Gradii. Vide apud eum *c. de phthisi in cura per diætam pag.* 173. *col. prima in F.*

Pastilli ex polline similæ & medullæ panis. Pastilli ex orizis.

Pineatum amygdalatum. Arnal. *c. de quartana,* & *de modo præparandi,* & *de nutrientibus.*

Ex Fructibus.

Lazarolum. Fraga. Pira. Pomum apium. Amarenæ.

Amygdalæ nuces recentes. Pruna Damascena. Avellanæ assæ.

Fructus pineæ. Pruna rotunda & præparva, quæ coquimella & corella & cornella Sylvatico.

Mespila. Sorba. Cydonia. Granata. Zizipha. Cornus.

Fistica viridia. Dactyli. Citrangulum. Citrium. Limones.

Uvæ. Ficus tenuissimi corticis.

Aurantiorum medii acoris caro cum saccharo.

Acetaria.

Lactuca. Scariola. Cauliculi cucurbitæ. Pimpinella. Melissa.

Marathrum sive fœniculus. Flores buglossi, borraginis, cichorii.

Cauliculi capparorum. Cappares ipsæ. Agresta condita. Olivæ.

Salſamenta. Vinum omphacites i. e. verzuto.

Bellaria.

Coriandri, aniſi ſemina condita. Thyrſi lactucæ, malvæ, conditi.

Pulpa cucurbitæ condita. Cydoniatum. Pira condita.

Amygdalæ conditæ. Pinearum fructus.

Cinnamomum ſaccharo exceptum, & obductum.

Radices borraginis, bugloſſi, ſcorzonariæ. Manus Chriſti.

Cupediæ amygdalinæ. Cupediæ ex ficubus caſtaneis & nucibus intritis, cum melle pinſis, & leviter decoctis.

Vid. Bertal. *in appar. med. c. de conditis.*

Potiones.

Vina amarenis præparata. Vina ſorbitica. Vernacia. Maſſica. Protopa. Præca. Paucificerum. Aſperinum. Vinum paſſum. vid. Sylvat.

Vinum Hippocraticum facile parare. Heurn. *pract. meth. c. de infuſis.*

Vinorum hæ duæ formulæ ex veteri opiſthographo.

Abſynthites vinum omni tempore parare. Euonymus *par.* 1. *pag.* 196.

Vinum abſynthites more Germanico. Sumuntur ſubtiliſſimæ ſcobes recentis quercus vel fagi, & in vaſis vinarii fundum immittuntur: ſuper quibus abſynthium ponitur: dein vas vino impletur: nam per ſe bulliet: & poſt quintum vel ſextum diem bibitur: remanentibus in fundo ſcobibus & abſynthio, quæ quartam fere partem vaſis occupent.

Vinum ceraſiorum acidorum fit, præmiſſis primo ſcobibus fagi vel quercus in cadum, dein ceraſiis cum nucleis ſimul contuſis, & tertio vinum ipſum infundendo &c.

Aquæ deſtillatæ.

Scorzonariæ. Meliſſæ. Borraginis. Bugloſſi. Cichorii. Endiviæ. Hordei. Roſarum.

Decocta.

Aqua pectoralis. Coriandri. Cinnamomi. Aſplenii. Graminis. Ligni ſancti. Sarzæ parillæ. Chynæ. Mulſa. Aqua cucur-

curbitina Guainerii *c. de siti:* Heurn. *l. 2. pract. c. 16. fine.*

Diætarii varia apparamenta.

Ratio parandi cremoris ptisanæ.

℞. hordei recentis diligenter nudati à cortice ℔j. decoque ex hordei aqua sufficienti per diem naturalem, deinde cola per manicam Hippocratis, & quod colatum est cum sacchari albi, quod satis est, misce & sub dio repone.

De diæta febricitantium multa habet Gentilis in *consilio de febribus.*

Aliud.

Cremor alicæ, vel hordei farina cum aqua coquitur, & adduntur granatorum, limonum, cydoniorum succi, aut omphacii, aut acidæ rei similis. Valet phreniticis, levibus humoribus densandis & interne compingendis. Jac. Sylvius *in curandorum morborum methodo c. de phrenitide.*

Ratio parandæ pultis ex hordeo decorticato. Martii panis etiam. Matthæus de Gradi. *cons.* 8. *fol.* 8. *col.* 1. *M.*

Hordeati formula. Heurn. *pract. meth. c. de emulsi pag. Batavensi.* 25.

Hordeatum Romano more.

Romæ sic conficitur hordeatum. Accipitur hordeum bene mundatum à cortice, contunditur, coquitur exacte ex aqua dulci, per manicam transmittitur, & addito saccharo q. s. esui est.

Idem & aliud ex Floravanto *l.* 5. *secret. cap.* 82. *pag.* 179.

Aliter ex aliis.

Rec. hordeum mundum media coctura remollitum, teratur, & cum lacte amygdalarum dulcium sufficienti coquatur iterum exacte, & exprimatur manica.

Cremor hordeati.

℞. hordei decorticati ℔ß. infundatur in aq. capillor. vener. sufficienti per diem naturalem, bulliat, & extrahatur mucilago. Fiat syrupus cum saccharo s. a.

Pistum appetititium.

℞. Pulpam pectoris gallinæ unius, minutim incide, adde aquæ rosaceæ, succi citrei, vel limonis, & sacchari albi q. s. cum luteo ovi uno decoque lento igne prunarum, leviter agitando, & spissa. Pistum ex carne vulneratis parare docet Floravantus *l.* 5. *secret. c.* 81.

Pistum non ita fastidiens:

Rec. Pulpam pectoris gallinæ unius cum amygdalis mundatis à cortice num. XV. pista, affundendo per intervalla aquæ rosarum rubrarum quod satis est, elixa parum, & da.

Parabile pro imbecillis edulium.

Rec. Luteos ovorum tres, cum aqua rosacea pauca agita, adde vini albi pauciferi. succi citrei, & sacchari albi q. s. & cannellæ parum. decoque igne lento prunarum, agitando usque ad spissitudinem.

Idem fere describit Floravantus *l.* 5. *secret. c.* 85.

Panem minutum, vulgo grattatum, varie condire docet Floravantus *l.* 5. *secret. c.* 84.

Cibum maxime refrigerativum parare docet Floravantus *l.* 5. *secret. c.* 87.

Panis lotus more Romano.

Panem albissimum in tenuissimas taleolas divide, has in aqua fontana infunde per diem naturalem, panno exsuge aquam, saccharum singulis ordine inde & vernacium vinum insperge.

Muttacciolos ægris parare docet Heurnius *meth. prax. c. de pasta regia.*

Jusculum vires apprime reficiens parare docet Floravantus *l.* 5. *secret. c.* 83.

Jusculum herbarum ægris parare docet Floravantus *l.* 5. *secret. c.* 88.

Jusculum è capone vires debilium apprime reficiens parare docet Floravantus *l.* 2. *phys. c.* 6. *pag.* 202.

Ratio

Ratio parandi juris consumpti pulli.

Pullum in quantitate sufficienti aquæ fontanæ decoque, postquam exsiccata est aqua, in olla minori recoque: & rursus in minori, tertio & quarto, donec percocta fuerit caro. Tucca *l. de febr. c. de hectica.*

Capi congelatum. Heurnius *pract. meth. l. 2. c. 5.*

Ratio parandi lactis capræ & carnes pullorum testudinumque nemoralium pro hecticis & id genus.

Farinam hordei cum aqua hordei elixa, capris testudinibus & pullis da. Ex D. Portia Centuriona, Matrona prudentissima. Cancros ægris Pontificio more parare docet Rondeletius *l. pract. meth. pag.* 182. *c. de convulsione in fine.*

Fructus ægris ut coquendi sint, tradit Heurnius *pract. med.* l. 2. *cap.* 18. §. quæ venarum tensionem laxant.

Conservas præparare, florum decore & colore inexcusso, docet Heurnius *pract. meth. c. eo.*

Ad pectus leniendum conserva ex passularum pulpa. Bertal. *in appar. med. c. de ecleg. p.* 889.

Hordeatum. Rosa Anglica *p.* 22. *B. C.* 2. *M.*

Amylum cum amygdalarum succo paratum more Parthenopæo.

Plurima describit hujus generis Quercetanus *l. Diætetico in f.*

Ex Jacobo Fontano L. 3. methodi medendi Partis primæ F.

Panis lotus.

E*lotum panem* ita conficiunt. Panis recentis laminæ, crustis mundatæ conjiciuntur in discum, calida aqua imbuendæ, deinde conteruntur in polentam, quæ servatur, & tempore suo miscetur cum aqua cocta. Quam dum magis nutrientem conficere cupiunt, adjungunt amygdalas contritas leviter, sine expressione percolant, *aquamque albam* vocant. Cibus hic convenit maxime acuto morbo cum febre laborantibus.

Cremor ptisanæ miscetur sive hordeatum cum lacte amygdalarum & panis eloti tertia parte saccharo condita. Coquitur.

tur cum juſculo capi aut pulli, alterato cum herbis convenientibus. Si ſomnus ſit conciliandus, grana papaveris albi nodulo incluſa certa quantitate incoqui poſſunt. Et ad majorem nutritionem, addi poteſt pulpa caponis minutim inciſa, contuſa, aut percolata; vel perdicis.

Panata noſtris ægris grata eſt; cæterùm perperam à pluribus paratur. Ea autem fit ex pane raſpato, aut intrito, aut ex pane loto, aut toſto, uti diverſus eſt ſcopus. Elotus lubricat ventrem, toſtus ſiſtit, raſpatus medio ſe habet modo. Mulieres pleræque juſculo percolato panem addunt, coquuntque ad viſciditatem, duabus aut tribus horis. Diuturna coctura hac quod dulce eſt in juſculo evaneſcit, fit ſubſtantia viſcida, obſtructionibus gignendis accommodata. Parum ergo nutrit, & obſtruit. Quare parum coquatur oportet. Panis namque coctus eſt, & juſculum coctum. Perfecta mixtura ergo & ebullitione eſt opus, & non coctione perfectiori.

Peccatur etiam in carnibus coquendis. Coctio ſive elixatio fit, quo aqua ex carnibus puriorem ſubſtantiam extrahat caloris vi. Poſtquam extraxit, ſi diutius coquatur, aduritur & & diſſipatur. Terminus coctionis eſt, cum carnes incipiunt ſaporem amittere; quem, ut comedantur, habere debent.

Piſtum paratur ejuſmodi. Accipitur quantitas certa carnis pectoris capi, contunditur in mortario, addendo ſacchari partem mediam, deinde coquitur cum juſculo capi, & carnium vervecis, modo orizæ & hordeati. deinde præbentur.

Deſtillata comparantur loco potus in his, qui extreme debiles ſunt, nec quicquam aliud haurire aut ſumere poſſunt. Accipiuntur carnes vitulinæ, ovillæ, capi, perdicis, pullorum gallinarum, vituli pedes in fruſta conciſi, folia auri puriſſimi; quibus miſceantur ſuperiora. Adde hordei excorticati, roſarum rubrarum omphacio infuſarum ℥ij. cinnamomi electi ʒij. Diſponantur per torulas in alembico, qui aſpergatur manu Chriſti perlata, aut aliquo pulvere aromatico. Alia multa poſſunt admiſceri, ad affectus corporis accommodata. Tegatur alembicus ſuo capitello, bene obturato luto ſapientiæ, confecto ex farina volatili, ovi albumine, & pauco maſticæ. Fiat diſtillatio. Servetur in uſum.

Aliud deſtillatum. Superiora omnia eodem modo condita con-

concisa minutim conjiciantur in phialam lati oris, trajecta acu, cum filo serico duplicato. Obturanda phiala linteo madefacto, albumine ovi, in quo sit mixta farina hordeacea; ita tamen, ut filum, quo carnes invicem connectuntur, extra promineat. Phiala ponatur in lebete aqua pleno, cui lentus ignis sit suppositus, quatuor horarum spatio, usque dum bona pars carnium abierit in succum.

Exprimitur succus carnium vervecis, caponum, perdicum, aut aliorum animalium tostorum. Torrentur autem igne satis vehementi, veru agitato celeriter. Vehementia namque ignis pars exterior aduritur, adustione contrahitur, nec sinit succum elabi. Celeritas conversionis impedit etiam effluxum: ex quo sequitur succulentiores esse carnes. Coctæ prælo exprimuntur. Et quia penitiores partes succi non sunt perfecte coctæ, oportet expressum coquere in vase aliquo terreo aut argenteo, & exhibere pauca quantitate cum jusculis.

Consummatum fit in vase oblongo obturato, cooperto & lutato cum iisdem, ex quibus fit destillatum: quousque revertatur ad parvam quantitatem, quod mirificum est. Lutetiæ *Pot pourry* vocatur.

Gelatina componitur ex carnibus jam dictis, addendo pedes agninos, arietinos, vitulinos. Coletur autem jusculum manica Hippocratis, adjuncto modico cinnamomo, & ovi albumine: ad colorem, aliqui succini pulverem adjiciunt, & ad robur, tantillum vini albi.

Gelatina viscida esse debet. Ergo carnes coqui debent ad visciditatem jusculi. Adduntur autem pedes & nervosæ partes animalium, ut viscida sit magis. Oportet verò, quo magis frigescat, hyeme exponere aëri, æstate recondere in hypogæis, seu locis subterraneis.

PERORATIO.

De apparatu, mixtura, coctura, & universis apparamentis esculentorum & potulentorum est tibi Vidius *in operis de Ratione victus l.* 3. *circa finem*: & multo plenius Savanarola in *tract. III. à cap. VII. adusque tract. IV.* fere passim. Plenissime vero inter omnes hanc rem persequutus est Baptolomæus Scappius, coquus secretus Papæ Pii V. *in operis Culinarii libro 6.* qui totus est de victu potuque convalescentium.

PHARMA-

PHARMACO-
CHIRURGICUM,

AUTHORE

MARCO AURELIO SEVERINO

CARTHIGENA THARSIENSI,

MEDICO PHILOSOPHO,

Regio in auditorio Neapolitano Anatomicæ & Chirurgicæ rei Primo Professore.

Series capitum omnium libri Pharmacochirurgici.

PHARMACOCHIRURGICUS, SIVE DE MEDICAMENTIS EXTERNIS LIBER.

De medicamentorum in chirurgia necessitate, deque ipsorum inquirenda virtute Severini Præfatio.

Dicturo jam mihi de *medicamentis externis* illud unum imprimis occurrit expediendum, ac faciendum, ut institutum videar retinere. Quod multi me credant deseruisse propterea, quod dixeram aliàs in hoc opere ad rem chirurgicam, quatenus ipsa talis est, non pertinere medicamenta: quandoquidem operarum est sua cura propria. Quod si verum est, quid facit, ut de chirurgica re conscribentes, medicamenta etiam attingamus? igitur quæ ratio facti fuerit, dicam. Est autem illa triplex. Prima, quod officia quidem & partes facultatesve secrevi, at usum instrumentorum omnium professoribus non abstuli. Quinimo, id quod tantopere curavi in universo physicochirurgici opere, illud unum ac primum fuit, ut promiscua & communia medentium essent opera. Quapropter si chirurgico nos aliquando medicamentorum suppetias attribuimus, id non factum abs re est. Sed tradita jam diætæ ratione, maxime secundùm priorem doctrinam efficitur, si de altero medendi instrumento, quæ sunt medicamenta, etiam liber conscribatur. Altera ratio est, quod nos quidem opus nostrum haud de *chirurgia* simpliciter inscripsimus, sed de *efficaci quadam*, cui necessario serviunt medicamenta. De quibus interea non omnibus, & promiscue; sed quæ ad externæ duntaxat medicinæ sunt usum, agimus. Quamobrem factum à nobis est, puto non imprudenter, ut *chiriatri* nomen foret nostris potius, quam *chirurgici*. Tertia denique causa est, quam enimvero respicere necessarium fuit, ut si quando difficile videretur pro-

Contra nos objectio.

Depulsio I.

Institutum nostrum.

Ratio II.

Chiriatri nos officia descripsimus, non chirurgi simpliciter.

Tertia facti causa.

Cum veteri tradendi ratione nostra consentit, cum nova sit. Absolutio traditionis nostræ. Necessaria nostro operi medicamentorum pertractatio. Necessarius est chiriatro medicamentorum usus. Inseparabilis à chirurgica pharmacia.

sitentibus, ut communem disciplinæ viam, quæ retinetur hodie, relinquerent; ab hac & nostra traditio non discreparet. Quippe mirum est, quî utraque ratione constet hujusmodi nostra methodus: sive quidem id, quod nos contendimus, servetur; sive quod commune hominum placitum exigit in præsentia. Sed enim per hoc nostrum scribendi genus singularis est commoditas. Nam cùm in communi doctrina Vidus Vidius, vir judicii non vulgaris, reprehenderit confundi genera; per hanc quippe nostram & tractari res simul, & secerni possunt. Et rursus cùm in communi illa via medicamenta duplicato tradantur, & in exponendis morborum curationibus, & in antidotariis; quæ subjunguntur postmodum, in hoc nostro opere semel & integre perscribuntur.

Has ego causas satis esse arbitror, ut non oblique neque importune de medicamentis hoc loco meditatus fuerim. Quas ob causas cum instituta hæc recte satis appareant, præfabor de ipsis protinus ad hunc modum.

Commoda, quæ ex pharmaciæ usu chiriatro obveniunt. Dignitas & prærogativa medicamentorum. Sensus verbi Herophilei. Epistola ad Callistum. Mortales primitus inexperti chirurgiæ & timidi. Industria posteriorum hominum in medicamentis.

Chirurgo, qui qualem nos instituimus, perfectus in medendo velit esse; commodus & pernecessarius est usus rectus medicamentorum. Nempe constat, ipsum per hæc sæpius, quam per manum, operari. Nec potest idem sine illorum interventu, vel chirurgicas explere operas, vel ægrotantium attingere valetudinem. Est enim ferme inseparabilis à chirurgica, pharmacia. Qua si sciat uti, ferro aut igne, odiosis populo curationibus, non semel licebit parcere: non sine & suimet incremento, qui præstantis viri laudem inde referet, & infirmorum levamento, qui sic effugient dolorum acerbitates. Quod ipsum quidem usu venire non est difficile: siquidem tantæ virtutis sunt nonnulla medicamenta, ut ab Herophilo *manus Dei* vocari meruerint. Et hoc quidem ea ratione, sicut interpretatus est C. Celsus: nam, *quæ tactus divinus efficere potest, eadem medicamentis usu comprobatis non denegantur.* Atqui *priscis*, ut perhibet idem Celsus, *multiplicibus herbis & radicibus corporis vitia discutere, mos fuit. Enimvero timida per id tempus humana gens difficile se ferro aut igni committebat.* Verum succedentes alii, qui magis usu chirurgico valuere, sedulam curam, exactumque studium posuere, ut difficili cuilibet noxæ corporis accommodata remedia, tanquam

quam in loculis & thesauris reposita, conservarent, præparantes conficientesque aliqua sibi domi secreta; sicuti refert Fernelius. Ut autem scriptum reliquit Celsus, existimabat Asclepiades, *infimæ sortis esse medicum, qui plura ad unumquodque genus vitii medicamenta composita non haberet.*

Meth. comp. medic. præfatione. *Citato loco.* Asclepiadis enuntiatum.

Sunt enim hæc tam late patentia, ut dixerit Galenus 6. *meth. c. 7. non esse tam magnum aliquod, quod egregium medicamentum agere non queat, si nactum hominem sit, qui feliciter uti novit.* Non igitur absurde decreverunt Chironi Centauro veteres, & chirurgiæ dexteritatem & medicamentorum peritiam. Et Homerus *Iliad.* 4. lenia inspersit pharmaca, quæ principi ejus benevolus donaverat Chiron.

Præstantia medicamenti cujuspiam oportune exerciti. Chironi duplex & chirurgiæ & medicamentorum peritia.

Adeo permagni usus & necessaria videtur res pharmaceutica nostris professoribus; chirurgicis inquam. Quos licet equidem faciam suo proprio munere negotiantes ex manu; tamen subsidio medicamentorum haud posse carere statuo; siquidem dictas suas omnes operas debeant complere. Nam qua demum ratione detergeant, expurgent, obducant apostemata, quæ semel aperuere? Ubi vero superfluum quid abscidérint, quo pacto partem relinquant sine suo necessario lenimento? Profundos vero sinus ut complebunt post amplrata ulcera? Ad hæc fistulis & vetustis ulceribus, quæ cuniculosa simul & tortuosa sunt, quî possint sine emmotis, & pastillis, sine liquidis & injectis mederi? Sed gangrænas postquam crebro scarificatu pertuderint, curent sine cataplasmatum apparatu? Ossa vero, ut de his dicam, quo pacto e luxationibus restituta tuebuntur, aut conservabunt sine opportuno emplastrorum auxilio? Similiter & fracta, quæ cum ulcere conjuncta tibi offeruntur, dic si liceat sine concoquentibus & ejus generis aliis procurare? Denique factas ab igne crustas quis unquam citra resolventia resolvat? Profecto id est, quod ait *alicubi* Cornelius; *adustum atque excisum sine ea curatione, quæ manu adhibetur, impleri non potest.* Verumenimvero non ab exactis tantum operis auxilio medicamentorum opus habet chirurgicus; verum etiam ante præparando, atque ordinando. Sicut cum instituit reducere suum in locum intestina, vel omentum extra vulneratum ventrem prolapsa, laxantibus ac digerentibus utetur. Sic & remittere volens a-

Usus medicaminum necessarii chirurgo. Ad abscessus. Ad secturas. Ad profundos sinus. Ad fistulas. Ad gangrænas. Ad luxata. Ad fracta. Ad usturas. Ad prolapsas corporis partes

Ad synthesin & ad diæresin universam.

num aut vulvam, has adstringente pulvere resperget prius. Ad extremum, si dividit & discindit, si restituit unitatem, (quæ duæ sunt præcipuæ maximeque generales operæ,) perpetuo connexis medicamentis instruet se chirurgus. Ita sane apparet, quam unice, quam accommodate serviant externa medicamenta chirurgiæ.

Triplex usus generalis medicamentorum necessarius chirurgis.

De his igitur tradere jam nos instituimus: sive trahantur eadem ad complementum operarum jam inceptarum, sive conducant ad præparatum faciendarum; sive si non attineant quidem ad operam chirurgi propriam, verumtamen ad medicum, communiter dictum referantur. Sed dum dirigimus atque ordinamus materiam hanc medicinalem ad usus necessarios chirurgiæ, scire licet conari nos, & perquirere *chirurgiam efficacem*, hoc est, quæ scopum attingit, & voto potitur, quantum homini licet, & est possibile; sicut requisivit in chirurgia Guido. Quocirca semper, aut plurimum sequemur medicamenta, quæ sive propria facultate, sive recto eorundem usu, atque administratu sint insigniter præpotentia. Provincia mehercules perdifficilis, ac nova; digna profecto, quam amplexentur & professores omnes. Quam rem quidem si non venabimur sæpe, neque comprehendemus ex voto; ne continuo sit promptus aliquis ad arguendum: verum rei novitas & difficultas nos tueatur.

Capitulo singulari.

Semper nobis efficacia medicamenta quæsita.

Quoniam autem ex hoc genere deligenda atque usitanda volumus ea, quæ victricia, virtutisque prope generosæ futura sint ad graviora vitia propellenda, quæ solent alioquin à plurima parte medentium aut non pertentari, aut tutius, ut ipsi dicunt, (segnius vere) tractari: profecto in hoc novo placito confirmandi sunt, quia à talium administratu metuunt, prius quàm ad eadem offendant. Dico igitur injuria valentium pharmacorum abscessisse nobis usum, inefficacia vero & levia mansisse. Quamobrem ista sic ignaviter agitantibus medicis, non socordes Chymici deduxerunt è metallis quædam, quæ felicius & callos ulcerum exterunt; & fungos late gliscentes comprimunt; & proluviem inexhauste manantem exsiccant; & vitium proserpendi revellunt; & infarctum humoris intime defixi refigunt; & cava deficientium explent; & præscriptas (ut cum legulejis hoc dicam) fistulas & cum homi-

Confirmandi ad efficaces medelas amplexandas nostri professores.

Felicitas & energia chymicæ medicinæ.

Medicaminum chymicorum virtutes.

homine conveteratas injectu pauco demoliuntur.

Et hæc quidem in ulceribus. Tumores vero, ſcirrhos, & nodos penetrant; & abſcedentes abſorbent; vel, ſi malint, molliter aperiunt, & ſinus repurgant. Sed plagas citiſſime conglutinant, & concludunt, ſine fibulis, ſine ſuturis, ſine emmotis, ſine ſaniei proventu. Ad hæc ſanguinem undelibet profluentem injectis quaſi vinculis continent; extrahunt mirifice infixa; ambuſtis empyreuma exprimunt; & venenatis ictibus, ſic occurrunt, ut nullos fuiſſe jam exiſtimes. Neque refero disjectos dolores ab artubus; excuſſos languores; reſolutas contracturas; ſedatas inflammatorias convulſiones; retractos ſtupores; & ſiderationes partium. Neque etiam alia dico plurimùm admiranda, quibus claruere Paracelſus, Quercetanus, Crollius, Rulandus, Libavius, Mullerus, Hartmannus, Phædron, atque alii factionis hujuſce viri. Quibus cum in interna medendi facultate multi paucam habeant fidem, in externa certe maximam habere debent. Paracelſus. Quercetanus. Crollius. Rulandus. Libavius. Mullerus. Hartmanus Phædron.

Hæc igitur cum efficiant ſubtiliſſimis ſuis extractis chymici, quod non eadem præſtent dogmatici medici ſuis foſſilium præparamentis, aut herbarum radicumque ſuccis? Nolo equidem res Hermeticorum improbare; (erit enim cùm hæc aperte approbabimus. Utraque profecto via placet.) ſed modo pro his dicam, qui peritiam iſtarum rerum non attigêre, neque attingere nimium curant. An non in naturæ theſauris, & in remediorum ſylva vernacula, ſive ex ipſa terræ facie ſint petita, ſive ex ejuſdem latebris eruta, probatiſſimæ ſuæ ſunt & amplæ medelæ? Etenim lata & multiplex ſubſtantia, figura, qualitatibus, affectionibus, viribus, in aëre, terris, & aqua, viventibus denique omnibus, & non viventibus, medicinalis eſt materia. Porro neceſſum eſt, cum ad valentium & integrorum hominum uſum procreata ſint omnia ab uno rerum opifice, qui Deus eſt Optimus Maximus; ad illorum quoque commoditatem, cùm male habent, ſint eadem inſervitura. Iniqua profecto fuiſſet lex in miſeram mortalitatem lata, & injuſta nimium Pandoræ legatio ad Epimetheum, ſi teterrimis morbis in terras effuſis, remedia ad occurrendum paria non fuiſſent ab eo tempore conſtituta. Itaque cùm non inficiemur, quæ nuper de ſecretis chymicis ſunt

In ſocordes Dogmaticos. Pro pharmaceutica communi via & præparatione.

Cunctis in rebus medicinalis eſt materia. Ratio. I.

Ratio. II. Pandoræ legatio.

Non inſtrenua communis pharmaceutica medendi ratio.

ſunt producta: non deſunt etiam valde præclara & magna, quæ geſta ſunt à noſtris ex Hippocratæo ritu ſuis non ardue parabilibus medicamentis ſine chymica. Innumera quidem, ex virtute abdita, & ſympathiæ antipathiæque viribus admirandas inducentia curationes, prætereo. Quorum & Lullius, & Paracelſus, & Porta noſter, & Crollius, & Vecherius memorandas hiſtorias texuêre. Certum enim exploratumque eſt, *magiæ ſcientia* i. e. componendarum virtutum agentium cum patientibus materiis, cum congrua quadam atque apta rerum coitione, fieri tot & tanta, quot & quanta partim admiratur, partim non credit poſteritas, audiens de Zoroaſtro, de Hermete, de Pythagora, de Apollonio, de Apulejo, de Alberto, &, ut recentiores non taceam, de Petro Apono, de Cicco Aſculenſi, de Sueſſano, de Cardano, deque aliis compluribus. Pauca recenſebo de alterius generis admirandis ſanationibus, ſed maxima parte per medicamenta externa. Nam de internis amplus eſt locus in opere obſervationum Foreſti, & apud Cardanum *in lib. ſecretorum*, & in aliis. Repetam aliqua primum ex Poëtis, deinde ex aliis. Homerus igitur, qui rerum omnium notitiam attigiſſe viſus eſt, proinde *fons ingeniorum* dictus eſt à Plinio, *lib.* XI. *iliad.* radicem Patroclo vulnus Eurypyli medicanti detulit ὀδυνίφατον, tu ipſe inquit ἥ οἱ ἅπάσας

Magica per ſympathiam atque antipathiam curandi ratio mirabilis. Bapt. Porta. Vecherius. Zoroaſter. Hermes. Pythagoras. Apollonius. Apulejus. Albertus. Petrus Aponenſis. Ciccus Aſculanus. Sueſſanus. Cardanus. Foreſtus. Ex Poëtis testimonia. Ex Homero. Plinius. Veritas Homerici pronuntiati.

Ἔξ ὀδύνας. τὸ μὲν ἕλκος ἐτέρσετο, παύσατο δ' αἷμα,

i. e. *Mitigatoriam, quæ cunctos ei ſedavit dolores; vulnus autem ſiccatum eſt, ceſſavit autem ſanguis.* Sed *Iliad.* IV. Pæon inſperſo pharmaco Marti vulnus conglutinat non tardius, quam injecto coagulo lac. Quam rem ut ne credas poëtice ampliatam, ſcire licet balſami liquore & vulnera citiſſime ſanari, & (quæ nota deligendi ipſius eſt una) lac coagulari. Quo fortaſſe, vel ſimili medicamento Podalirius apud Q. Calabrum cogitatione citius ulcus decennale Philocteti ſanavit. Sed cum Poëtis poëtari, hoc eſt multa confingere ne videamur, Hiſtoricos capiamus, è quibus tamen permultis memorabo pauciſſimos. Melampus igitur Amythaonis filius melampodio filias Prœti regis Argivorum inſania liberavit. Herodotus *in Euterpe*, & Plinius *lib.* 25.

Balſami legitimi nota. Q. Calaber. Ex Hiſtoricis teſtimonia. Herodotus.

Democedes Calaber.

Democedes Calaber apud eundem Herodotum Dario regi medi-

Vernula Periclis apud Plinium.

Tobiæ cæcitas mire ſublata.

Galenus de centaurii virtutibus.

medicamentis pedem ſanavit, quem chirurgia varie tentata Ægyptii medici ſeptem integras noctes tortum male perdiderant. Pericles Minervæ monitu Vernulam ſibi charum, de ſublimi templi faſtigio lapſum, parthenio herba ſanavit. Plin. *l.* 22. *cap.* XVII. Tobiæ patri viſum amiſſum filius felle piſcis reſtituit, uti ſcriptum eſt in ſacra hiſtoria. Sed ad medicos propius veniam. Galenus igitur *in libello de virtutibus centaurii*, quot & quantas virtutes huic ſtirpi dicit ineſſe? Quot quantaſve betonicæ vel Antonius Muſa, vel Apulejus? Vel quas panacæ omnes antiqui? Sed quale viſcum Druidis fuiſſe legitur; aut qualis ſcilla Pythagoræ, Muſæo polion, caſtoreum Archigeni, lyſimachia Eraſiſtrato, Homero moly, malva & aſphodelus Heſiodo, arthemis Aſclepiadi, euphorbium Jubæ &c.? quæ Raviſius Textor recenſet. Non minor autem herba tabaci eſt Indis, & ſubinde omnis Europæ populis. Quid dicam etiam glutinaneium aliquot divinas virtutes, myriophylli, ſideritidum, iſchæmi, lonchitidis, iſatidis, iſchneumonis, ſymphyti, morochti, zambanæ? Quid ex extrahentibus dictamnum, ariſtolochiam, gladiolum, narciſſi radices? Sed *ſimplicium* admirandorum (adverti) prius accurrit enarrandi tædium, quam ſufficiens ipſorum aliqua enarratio.

Herbarum virtutes à certis quibuſdam viris claris commendatæ.

Compoſitionum quarundam admirabilium enumeratio.

Diis attributæ compoſitiones quo hominum conſilio.

E *compoſitis* vero relinquamne polychreſta, & panchreſta, antidotos iſotheas, ſoteras, θεοῦ χεῖρας, theodoretas, iſochryſas, ἰσοφώτους, lyſiponias, emplaſtra, ἀκέσεις, aniceta & invicta, collyrios iſotheas, & lynceas, ἀχαρίστους, ciphi, ſales theriacos, & ſexcenta hujuſmodi? Nam quis enumeret omnia? Sufficiat ad horum divinitatem demonſtrandam, Diis inventoribus attributas quam plurimas, totidemque vel brutis animantibus innotuiſſe earundem virtutes, puta mercurialem Mercurio, laurum Apollini, eſculum Iovi, heraclion ſiderion Herculi, arthemin Dianæ, aſclepiam Æſculapio, centaurium Chironi, lilia Pani, vitem Baccho. Sed quis enumeret ſingula? Igitur cum tot & talia ex communi ratione medendi referantur miracula; quid non hodierna die talia celebrentur atque viſantur? Quinimo credendum, etiam majora illis fieri poſſe, ſi cunctus hominum conatus nulla parte deſideretur. Et, quo minus hoc fiat, nulli dubium eſt id evenire propter ignaviam & ſocordiam profiten-

Animadverſio in ſocordiam noſtrorum hominum.

tium, qui beneficiis artis & gloriæ benefaciendi renuntiavêre. Qua ipsa re quid turpius, quid homine dedecentius, quid denique detestabilius in commissa hominum salute, somnus ut obrepat aliquando nobis? Sed in perscrutandis assidue medicamentis præstantibus, & in exercendis his, quæ sunt ejusmodi, jam inventa gnavos, diligentes, alacres pudeat non esse. Sed vetus, inquies, communis tenenda via est, & nihil periclitandum, vel in alterius valetudine, vel in nostra medicorum fama audio.

Tergiversatio quorundam.

Sed sunt hæ voces hominis vel exercitationi vel disciplinæ suæ diffidentis; non generosi, neque perdocti. Quamobrem hunc admonuerim sancte, si talis non sit, qui ad hæc valeat, dum quærit esse; credat his, qui periculum fecêre, credat magistris celebrioribus artis & auctoribus. Horum enim non deest aliquis numerus, qui res istas, & vanum medendi timorem arguêre. Nam quis est hodie, qui ab helleboro non reformidet magis, quam à rabido cane, vel angue? Sed præterquam quòd in usu frequenti sic erat veteribus, ut etiam in recentibus plagis usurparetur ab Hippocrate, & *in l. de hum. sect. 2. com.* 13. & *comm.* 3. *l. de fract. part.* 48. & *l. de artic. part.* 36. atque *alibi*; clarissime monstravit Baptista Codronchius *in l. de helleboro*, nec non Matthiolus *in comm.* 4. *ad Diosc.* levissimos esse medicos, qui stirpem hanc tantopere refugiant. Hydrargyrum interne dare quis non exhorrescit; At nihilominus Ægineta colicis & volvulosis cinerem factum tuto exhibet. Neque non Antonius Musa Brassavolus *in examine simplicium* testatus est, se crudum illud infantibus adhuc lactantibus, nedum pueris & ætate majuscula, innocenter exhibuisse, restituisseque eos ita ex proxima morte, ad quam lumbrici & ex his tormina ipsos perduxerant.

Exprobratio faventium inertiæ.

Ab exosis quibusdam medicamentis confirmatio.

Vanum esse timorem ab helleboro.

Bapt. Codronchius.

Andr. Matthiolus.

Hydrargyrum tuto per os exhibitum.

Paulus.

Brassavolus.

Sed simili quo Paulus usu præcipitatum hydrargyrum confidenter exhibent colicis, & Hieronymus Montuus & Petrus à Tussignano, viri quidem in medicina absolutissimi. Scammonium autem & colocynthidem an non verentur nostri plurimis in morbis dare propterea, quod calidissima sunt & acerrima? Sed utrisque tamen ad inflammationem linguæ se scribit usum Galenus *in lib.* 14. *meth. c.* 8. ut ad herpetem ambulantem diagridium propinavit mulieri Romanæ *in l. eod. cap.* 17. Ejusmodi autem frigidæ cautelæ similis & illa est, qua

Hier. Montuus. Petrus à Tussignano.

De scammonio & colocynthide.

Galenus.

qua calidiuſcula quædam capiti nolunt adhibenda; cum *in 6. meth.* fimum columbinum imponat Galenus, *& lib. 2. de comp. medicam. ſecund. loc.* thapſiam, & ſtercus columbinum, & euphorbium imponat ad hemicraniam.

Sed quid veterum audentiam, ut iſti dicunt, ad noſtrorum timorem comparo atque compono? Complexus hanc rem ſcite mihi videtur Ugo Solerius Sanionenſis *in epiſtola quadam ad Hieronymum Montuum operibus Aëtii præfixa*; in qua oſtendit diminutam eſſe medicinæ majeſtatem ex eo tempore, quo Arabes Græcorum medicamenta præpotentia mehercules ac magna in mitiorem delicatioremque formam immutavere. Quam eandem querimoniam uti video perſequutus eſt Joannes Gorræus *in l. defin. med. in explanatu Sinapiſmi* per hæc: *Sed cur ætate noſtra remedii tam excellentis uſum medici reſpuant, nihil poſſum excuſare, niſi vel vilitatem ejus, quum minimo ære comparetur, non profuturum alioqui, niſi pluris venierit; vel ejuſdem acrimoniam velint cauſari, quod ſævitiæ morborum lenioribus putent occurrendum, ut renitenti ſæpius ægrotantium voluptati ſubſcribant, cum quibus melius eſſet actum, ſi genus hoc medicamenti revocaretur in uſum, eſt enim efficaciſſimum &c.* A Gorræo non diſſentit Hieronymus Mercurialis *l. 3. de comp. med. c. 22.* qui ſcripſit: *Cur tempore noſtro ſinapiſmi deſierint, ignoro; niſi quod res noſtræ quotidie labantur in deterius.* In quam ſententiam & Johannes Heurnius *lib. primo meth. ad prax. cap. de Sinapiſmis* ait: *Merum eſt hoc ævo præſtantis hujus remedii ſilentium; quod minore comparetur, non profuturum, niſi pluris venierit, quod ferrea hæc ſecula auro tantum miteſcant, vel quod ſævitiæ malorum levioribus abblandire placeat; differentibus magis occidionem, quam prohibentibus, ut voluptati ſubſcribamus.* Similem in ſua gente culpam animadvertit Conradus Tigurinus *in l. de chirurgiæ præſtantia*, cùm ait: *Atque apud nos Germanos alia multa egregia remedia vel recepta non ſunt vel deſerta, ſive ob medicorum imperitiam, ſive ob mollitiem hominum, qui ſcilicet longiore morbo potius diu confici, quam ſemel vel breviſſimo tempore dolere fortiter & liberari malunt.* Quam quidem hominum ſententiam veriſſimam noſtro tempore cognoſcimus, medicinæ loco ſucceſſiſſe videntes impudentem adulationem atque obſequium. Quod genus ſtu-

Ugo Solerius.

Jo. Gorræus.

Hiero. Mercurialis.

Joh. Heurnius.

Conradus Tigurinus.

Adulatio noſtra tempeſtate in medicina dominatur.

ſtudia cum nocentiſſima ſint & veneno paria, tamen ex officii laude ſunt quæſitiſſima.

Sed utroſque miſeros: quorum alteri ampliandæ facultatis amore fiunt ſicarii, alteri voluptatis allectu necem ultro coëmunt ſibi, non videntes ſatius eſſe multo medicamentorum ſævitiam tolerare, quam propter negligentiam in diſcrimen adduci, ſicut ait *alicubi* Dioſcorides; ac neque videntes, minime opus eſſe diu multumque laboribus defatigari, cùm ex maximo auxilio maximam medelam aſſequi liceat. Ad extremum ſanitatis atque integritatis fructus, præſertim implicitus, curationem felicem haud ita ſemper habere poteſt, ut moleſtiarum ſit expers. Quas ob cauſas ægrotantes hortor, ut præ luce præque ſpe valetudinis exoptatæ patiantur fortiter aliquam à medendo doloris acerbitatem. Non poteſt quippe gravis & magnus morbus levibus & parvis remediis expugnari: quinimo valentiora viribus ſint hæc oportet, quatenus operentur & ſuperent. Fuit autem hæc ſententia Pauli Æginetæ *l.* 4. *principio*, & prioris Aretæi; qui profeſſi ſunt *elephantiaſin immanem morbum propterea curabilem non eſſe, quod unum aliquod medicamentum non exſtet eo majus.*

Dioſcorides.

Sanitatis fructus citra moleſtiam haud obtinendus.

Ad ægrotantes exhortatio.

Hoc ad ægros eſto monitum. *E contra velint medici nulli verecundiæ*, ſicut Celſus loquitur, *parcere*, *nullum declinare laborem*, *quo parem aut præpotentem vitio medelam adminiſtrent.* Quippe hominem ex orco, ex inſuperabili languore & imbecillitate, ex doloribus, ex perpetuo humi conſtratu, ex ſupremis denique periculis ſervaſſe ac liberaſſe, Deo proxima virtus habetur.

Ad medicos.

Celſus.

Operæ pretium univerſæ induſtriæ medicæ.

CAPUT I.

De univerſis, quæ in totum hunc Pharmacochirurgici librum conjectæ ſunt, tractationibus; earum ordine, connexu, ac neceſſitate.

Medicamentorum quidem, ſicut ego ſentio, profeſſori tenenda ſunt *ea*, quæ tum ad *formam* tum ad *materiam*, *ſubſtantiamque* pertinent, tum denique *uſus*: nam tot earundem etiam præter effectricem unam, quæ in contemplationem minime venit, ſunt cauſæ. Et hæc quidem *ſimplicium* iſtorum conſidera-

De medicamentis, quæ Profeſſori ſcienda.

deratio eſt. Cæterum & ſua *componendorum* eſt ſcientia; quæ privatam quoque tractationem deſiderat. Quorum quidem compoſitorum & tradi genera multa poſſunt ſecundum vitia affectuumque qualitatem nuncupata, & quæ ad locos ſpectant corporis, quos à capite ad pedes facere conſuevimus. Compoſitorum medicamentorum genera.

Porro nos hæc ſingula tradere inſtituimus, rem omnem non tam perfecturi noſtra fiducia, quam indicaturi. Nimirum argumenta ſunt hæc, quorum unumquodque juſtum ſuum laborem habet, eſtque expeditu perquam difficile. Quid igitur ſi omnia? Quod autem ad *ordinem* exſequendi pertinet, materialem rerum noſtrarum notitiam *primo loco* dabimus, ſequentes Dioſcoridem & ejus interpretem Matthiolum in plurimis. Quod ad *formas* vero *medicaminum*, *facultates* inquam, *ſecunda libri parte* deſcribemus. Sed neque univerſam tamen, aut *rem plantariam:* nam quæ major intempeſtivitas his tractationis anguſtiis? Satis erit noſtro profeſſori, ſi *rem foſſilium*, quæ maximo præcipuoque ſunt uſui, doceamus. Ab his *uſus* partim & *in hoc* & *præcedenti libello* demonſtravimus, partim etiam privatim *humidorum partiumque*, *quæ ex animantibus capiuntur*, *uſus* ſumus expoſituri. Ita materiarum, facultatum & uſuum triplex diſciplina conſumetur. Quibus peractis *de ratione componendi medicamenta* breviſſime pertractabimus. Atque horum exempla tum in medium exponemus plurima, cum ad affectuum genera & qualitates, atque etiam ad partes unaſquaſque corporis accommodabimus. His per nos productis paucis rerum explicationibus, credo ſatisfactum iri toti operi pharmaceutico, quod chirurgicis ſit neceſſarium. Ordo tractationis, ac res tractandæ.

CAPUT II.

Diviſio & methodus medicamentorum externorum.

De *medicamentis externis* hoc quidem loco dicturi nos ſumus ſecundum ſua genera magis communia; quandoquidem de ſingularibus & privatis, i. e. quæ ad certas particulas corporis pertinent, & peculiaris ſuus alius erit locus. Nos igitur, quam primum facturi ſumus, dabimus operam, ut methodus inveniatur, per quam cuncta genera referantur ſub Id quod primo faciendum eſt nobis.

 unam

unam normam certo numero comprehenſa. Conſtat igitur apud omnes, tot eſſe numero facultates medicaminum externorum, quot ſunt ad unguem genera vitiorum corporis, quæ per illa propulſantur. Quo fit, ut debeant eſſe contraria; ſicut adnotavit Fernelius *in lib. 6. methodi* ſcribens hæc: *Ex medicamentis alia calidis affectibus fluxionibuſque ſuccurrunt: talia ſunt refrigerans, repellens, emplaſticum, anodynum, narcoticum. Alia tumoribus affectibuſque frigidis opponuntur: ut rarefaciens, emolliens, attenuans, abſumens; attrahens, reſolvens. Præter hæc, quæ cuti nonnihil incommodant, id eſt, eandem perrumpunt atque exulcerant: qualia ſunt veſicas excitans, corrodens, corrumpens, eſcharoticum, & cauſticum, lenitivum, & ſi quæ ſunt alia.* De quibus quidem ſingulis dicemus, hoc ordine, ut primo de his, quæ ad tumores magis pertinere videntur, agatur: ſecundo de his, quæ magis ad ulcera, & ad vetuſta vitia ſunt accommodata. tertio quæ ad recentes plagas ſunt uſitata. quarto quæ ad multa communiter ſunt utilia. A primis exordiamur.

Medicamentorum externorum tot ſunt facultates generales, quot generalia corporis ſunt vitia. Fernelius.

Facultatum enumeratio.

Ordo tractandarum facultatum.

CAPUT III.

De Refrigerantibus.

Ipſa natura dictat, & hujus auditor Hippocrates, *ſingula corporis vitia contrariis ſuis remediis eſſe procuranda.* Quæ res, ut in omnibus quidem ſit vera, in morbis ſimilaribus, quibus humor non eſt implexus, extimum præſertim habitum corporis occupantibus, eſt permanifeſta, id eſt, morbis calidis frigida medicamenta adverſari, frigidis vero calida, & ita deinceps ſecundùm alias qualitates. Quare & facultatis ſuæ vi calefacientia vel refrigerantia nominantur.

Hippocrates.

Uſitantur vero *refrigerantia* plurimùm in ſimplicibus inflammationibus & interdum etiam in eryſipelatis; nonnunquam in herpetis, & igne ſacro vocato: adhuc in carbunculis, & præfervidis hujuſmodi tumoribus, quibus venæſectio, purgatio, nec non decocta, atque alia intrinſecus exhibita parum profuerunt: quemadmodum hoſtis quidam, qui longe non repulſus, armis propioribus poſtea vincitur.

Uſus refrigerantium, & in quibus.

Hoc porro remediorum genus cùm uſus ſit perampli; quippe

pe calidis occurrit usu frequentissimis affectibus: nihilominus sic timide sic parce per nostros medicos & chirurgos retinetur, ut neque erysipelatis ullo tempore adhibeant. Itaque sæpe proserpentibus vitiis vel tarde vel difficulter vel non sine discrimine succurritur. Deceptis mehercules à doctrina quapiam Galeni, qui dixit *usu multo refrigerantium validorum, & phlegmonas, & erysipelata transire in scirrhos*. Sunt autem *ejusdem loci* & *capitis primi libri de tumor. præt. nat.* & *cap. noni libri 7. de componendis med. secund. genera*, atque alii quidam. Per quam suam opinionem atque observationem digredi nesciunt isti homines, vel ab oleo rosaceo, vel ab unguento rosato, vel ab oleo amygd. dulcium, aut violarum.

Nostri chirurgi taxantur.

Galenus.

Est porro videndum, in quam sententiam ibi locorum loquutus fuerit Galenus; quamve ob causam ante dictæ inflammationes evadant in scirrhos. Dico igitur reddi scirrhos propterea, quod succi, ex quibus illæ phlegmonæ fiunt, crassi sunt & viscidi. Quod declarat idem Galenus *in iisdem ipsis locis citatis*.

Discussi duo Galeni loci.

Quocirca nil ullo alias impediente, cùm humores tenues sunt & ignei, debet medicus sine trepidatione & audenter, strenua, vel ut dicam rectius, efficacia refrigerantia sumere, quo sit par modus castigandi mali, quinimo potior. Neque enim fallitur Paulus Ægineta referens ad Aretæum, qui ait *in cap. primo l. 4.* μείζονα τῶν νόσων χρῆναι τὴν τῶν βοηθημάτων ὑπάρχειν δύναμιν, καὶ διὰ τοῦτο οὐ τυγχάνειν ἰάσεως τὸν ἐλέφαντα, i. e. *auxiliorum vim morbis fortiorem esse oportere; eoque elephantiam nunquam curari, ut qua nulla potentior medicina reperiatur.* Si magnæ igitur sunt inflammationes; & succi, qui has proferunt, præfervidi atque ignei: certè majores atque efficaciores debent esse medelæ, atque adeo tales quæ sint, ut aqua igni, hoc est, ut fervorem extinguant. Neque faciendum est, ut illi consuevere, qui per olea, ab ipsis refrigerantia credita, potius incrementum aut pabulum præbent fervori; non aliter sane, quam faber ferrarius, qui quo magis retorreant prunæ, pauculas aquæ stillas inspergit. Haud ita quidem consuevere veteres Græci, qui ad hujusmodi restinguendos affectus frigidissima simplicia compositaque medicamenta deligebant.

P. Ægineta. Aretæus.

Par medicamentorum modus fit vitio.

Simile.

Illud

Hippocrates de incommodis frigoris.

Illud tamen haud dissimulabo, Hippocratem *in l. 5. aph. 17. & 20.* produxisse multa frigoris incommoda, aliàs deducta à natura frigoris propria, aliàs etiam à natura partium, quibus peculiariter frigus nocet. Hæc quidem vera sunt & omni luce clariora; tamen egit Hippocrates de frigore immodico usurpato: Nempe sicut nocet excedens calor, ita & exsuperans frigus. Atque hoc, *quia dissolvitur*, ut ait Galenus, *substantia partis, quæ substantia est proprium temperamentum ipsarum consistens in primis quatuor qualitatibus concurrentibus & mistis ad temperamenti compositionem.*

Sensus Hippocratis.

Galenus. Dissolvitur partis substantia nimio frigore adhibito.

Ad illud igitur, quod non negligere neque omittere debemus, sunt cautiones quædam propositæ nobis ac fere commemoratæ ab eodem Hippocrate noxarum à nimio frigoris usu vitandarum, quæ sunt: distentiones, tetani, nigrores, rigores febriles, itemque cutem nimium contrahere, humorem concrassare, dolorem augere, sic ut à fluxione vel majus incendium excitetur, vel scirrhus procreetur. Sed considerare meminerimus & temperamentum, & situm, & figuram, & sensus modum, & robur partis, & copiam humoris, & qualitatem, & vias per quas idem potest transcurrere: in summa difficultates omnes, & rationes partis utriusque, quæ potest & mittere & recipere. His sic expensis & quasi consultis, ita demum possumus, non aliter, *refrigerantia* gravius adhibere.

Res, quæ inspiciendæ sunt acutius prius, quam refrigerantia nimium adhibeamus.

Quorum *refrigerantium*, ut ad usum delectumque ipsorum jam descendamus, memorabimus ea, tum quæ ab antiquis proponuntur, tum quæ à recentiori hominum officina & ex nostro excogitatu proficiscuntur. In primis igitur Dioscorides, qui medicæ materiæ princeps est auctor, ex simplicibus omnibus pharmacis ad hunc usum probatis maxime commendat seminis psyllii spissamentum, lenticulam palustrem, arnoglossum, portulacam, cicutam, cotyledonem, solanum, lichenem. Sed Cornelius Celsus approbasse videtur lenticulam, & solanum. Quæ omnes herbæ aut leviter tunsæ sunt imponendæ, aut succus earum. Sed sic quoniam facile resiccantur, utendum voluit Galenus *in 14. meth. in c. 3.* cerato liquido: quod fit ex quaternis portionibus olei rosacei, (quod paratum ex immaturis olivis, erit præstantius,) una

A Dioscoride producta medicamenta.

Corn. Celsi medicamenta.

Galeni ceratum liquidum.

una parte ceræ, & minima aceti tenuis & pellucidi, quibus omnibus affunduntur tot aquæ ſtillæ, quot poſſunt admitti, dum piſtillo maſſa teritur in mortario, duciturque donec exactè ſubacta videatur.

Hæc aut ſimilia veterum ſunt *refrigerantia*. Sed Fernelius, præclariſſimus vir è junioribus, *l. 6. c. primo*, eximie commendavit *aeizoon*, ſempervivum. Cui medicamento addidit Joannes è Vico ſpumam ovi agitati: *quod extinguit*, dicit ipſe, *potenter ſuppurationes cholericas, non ſine confirmatione partium*. Fernelio præſtans ſempervivum. Jo. è Vico.

Aliis mire perplacet caphura: quam credo equidem valere magis penetratione atque inſinuatione, cum admirabili quodam humoris diſcuſſu: namque aſſerere refrigerantem caphuram, quæ pinguis alioquin eſt ſubſtantiæ, haud videtur viro philoſopho dignum. Poſt hos Fallopius *in l. de tumor. p. n. c.* propoſuit oleum amygdalarum dulcium (quod neque etiam tacuit Dioſcorides) ſed crebra lotura præparatum. Rationem lavandi tradidit Guido *tr. 7. doct. prima, c. 4.* Quæ quidem lotura ſic ab oleo demit omnem acrimoniam, & pinguitudinem, ut referat Fallopius *in l. de vuln. oculorum*, ubi de curatione, ex centenis partibus olei non loti reſtare quinquagenas jam loti. Hæc illi. Caphura ut calidis affectibus benefaciat. Fallopius. Olei lavandi ratio.

Præter quæ exhibebimus nos noviora. Quorum unum eſt admodum paratu facile, aqua quæ à nive Martii diſſoluta in vaſe vitreo deſtillat, autore Joanne Cratone *in conſ. Scholz.* 61. Secundum eſt aqua multo Mercurii diverberatu & conquaſſatu infecta; quam ego phlegmonis oculorum mire facientem comperi. Tertium lamina videlicet plumbea tenuiſſima adaptata & loco impoſita, ſive ſimpliciter; quod Avicenna ad hemicraniam repellens fecit: ſive leviter delinita oleoſo ſucco expreſſo per vim è ſeminibus cucurbitæ diluto ſæpius aqua pura; quali quidem ad cephalæam calidam ſed vehementer amplam utitur Jacobus Fontanus *l. 1 prac.* Vel rectius ipſum plumbum in tenuiſſimas bracteolas tuſum, ut vulgo fit ex argento atque auro, ducetur in mortario cum eodem oleo ſimiliter loto, donec fiat exactum linimentum. In repellendi uſum propoſuit illud rei Platerus *Tom. 2. prax. pag.* 806. Erit utrumque remedium certe leniſſimum, & mul- Succus plumbi. Platerus.

Materia Cerussæ plumbum.

ta cum ratione, nisi fallor, excogitatum. Si quidem cerussæ, quæ tantopere à veteribus ad efrigerandum est approbata, materia est metallum plumbi. Imo multo plus quam cerussa perfectum credo plumbum. Huic medicamento non dissimile Aëtius proponit *l. tetr. serm.* 4. *c.* 16. quod vocat succum plumbi paratum ad hunc modum. In mortarium plumbeum succum aliquem refrigerantem injicito, & cum pistillo plumbeo in sole donec crassior fiat terito. Sit autem succus ipse plantaginis, aut oxylapathi, aut sanguinariæ, aut uvæ acerbæ, aut aliarum consimilium herbarum, quæ & ipsæ commodæ sunt in principiis inflammationum. Ad phlegmonas ulcerum utendum præcipit Galenus *l.* 9. *simpl.*

Aëtii succus plumbi.

Aqua è spermate ranarum.

Præstantius, licet non æque parabile, medicamentum erit aqua exstillata è spermate ranarum; quibus stata venere coëuntibus in Martii æquinoctio, larga ejus copia super aquas stagnorum innatat. Hujus aquæ usus tam est amplus atque proficuus, ut etiam ad ambusta commendata sit ab Hermeticis, sed à nullo nostrorum adhuc recepta, nec sine injuria tam nobilis ac singularis medicamenti. Cui quidem perplura debebunt concedere: siquidem proficiscitur è materia animali, quæ & à temperamento hominis non discrepet, & refrigerii sit particeps. Efficacius autem idem medicamentum erit addito phlegmate, quod vocant, vitrioli portio, videlicet prima quæ venit exstillatione fossilis. Sed Josephus Quercetanus *in diætetico l.* 3. *c.* 7. tradidit *exstillatam hanc aquam incomparabile remedium esse extinguendis inflammationibus oculorum aliarumque partium, gangrænis & erysipelis sedandis; impetigines faciei delere, hæmorrhagiam sistere* &c. Sed ad ambusta idem vir *in Sclopetario* pleraque hoc genus valentia conscripsit; quæ lege.

Approbatam etiam legimus aquam florum papaveris rubri; cui addita sit caphuræ tritura. Atque laudatur etiam succus è semine papaveris extractus: aut si eadem semina macerata fuerunt prius in lacte vaccino, ut dicit Arantius, pro oculorum inflammatione. E ceratis optimum erit id, quod ℞ succi sperniolæ, succi solani, succi herbæ paris sive vulpinæ an. ℥j. ol. lith. chymico modo parati ℥v. agitentur omnia simul in mortario plumbeo, donec formam linimenti recipiat.

I. C. Arantius.

Pa-

Paratur autem oleum lithargyrii, quemadmodum aliud plumbi, cum aceto ſcilicet deſtillato, quod deinde diffluit in oleum. Ad hæc memorat dorychnium Oribaſius, oleum papaveris, aquam calcis plurimum lotæ, & ex ipſa ceratum, lactis cremorem, laridum ſuillum ad flammam liquatum & aqua roſacea exceptum.

Commendatum etiam ab aliquibus eſt fervidis podagricorum doloribus oleum ſive oleoſus ſuccus, qui ex alterci ſemine candido elicitur. Pro inflammatione vero univerſa nymphæatum oleum reprimendis omnibus inflammationibus laudat Sylvius *in practicis*. Cerelæum quoddam commendavit Michaël Gavaſſetius *in l. de cauter. c.* 23. imitatus, credo facilè, Galenum in eo, quod deſcripſit 14. *meth. c.* 3. ſicut & ante hunc Avenzoar *l.* 2. *tr.* 64. quod paratur ita. Cera cum oleo miſta in duplici vaſe liquetur: hoc autem poſtquàm fuerit refrigeratum, in mortario tantiſper agitabis aquam inſtillando, dum cum ea portione, quam ſuſcipere poteſt, optime commiſceatur. Quod ſi frigidius deſiderabis; præterquam quod aqua, quæ huic admiſcetur, debet eſſe frigidiſſima: cum modice coiverit, totum vas, in quo continetur, in aquam frigidiſſimam conjicies. Cerelæum Gavaſſeti.

Cum hac quoque commemorare non dubitabo compoſitionem noſtram, quæ eſt è lithargyrii triti & per linteum creti parte una, mucilaginis pſyllii, aut cydoniorum, ſeminis & ſucci ſambuci an. partibus duabus, olei ſeminis lini partibus tribus, ſine cera fiat ex arte ceratum, quemadmodum ſupra docuimus, ſuccum inſtillando paulatim, & coquendo ad juſtam conſiſtentiam. Confectum medicamentum ubi bene deferbuerit, evidenti tactus experimento refrigerantiſſimum ſenſeris, nedum qualitatis latentis expectata, dum ſe proferat explicetque, virtute. Compoſitio noſtra refrigerans.

Sed caſus quidem non nullius incommodi ſeſe offert aliquando, haud facilis diſcuſſu: cui ſubinde occurrere oportet. Ex refrigerantibus nimiopere applicitis, ſive intenſioribus quidem his, ſive longo & crebro uſu nocentibus; advenit ſæpe nigror aut livor parti, initium aliquando gangrænæ. Hæc igitur pericula quo prævertantur; videndum eſt ante, ad quem uſque terminum locus eſt ad refrigerationem immu- Difficultas, & periculum ex refrigerantium uſu immodico.

mutandus, quantumque remedio insistere, vel illud retrahere medicus debet. Decernunt igitur auctores boni, nec non Galenus *in* 14. *meth. med. c.* 3. cum ex ægrotantis sensu, vel medici, vel a morante resiccatione medicamenti impositi, vel à flammei coloris in opacum mutatione cognoscetur deferbuisse calorem, qui pene excoquebat, & restinctum esse: quod tunc debeamus consistere. Alia observantia est & cau-

Rationes cognoscendæ restinctæ flammæ.

1. tio, ne quodcunque refrigerans actu tale adhibeamus, sed
2. calore solis aut ignis tepefactum; licet contradicere videatur Galenus *in* 1. *de comp. med. per gen. c.* 4. sed distinguenda sunt tempora, ut supra fecimus. Aliud quoque præcipit Heurnius *l. pr. meth. ad praxin*, *de unguentis pag.* 78. dum ad
3. expugnandum æstum membris admoventur unguenta frigida, ne eo usque super ægrum corpus maneant, dum manifeste incaleant; sed subinde mutari debent. Hac provisione aliquid sinistri nunquam dolebimus. Quod si forte nigror ad-
4. venerit, debet huic homo mature occurrere: sive is ipse fuerit, cujus medicatio fefellerit; sive alterius cujuspiam erratum castiget. Id fiet per discutientia quædam medicamenta: de quibus ipsis *suo loco* differemus.

Interea ponemus hic calorificum membri infrigidati, quod descriptum nobis inventione sua reliquit Joannes Langius *in l.* 3. *epist. medic. qui est de secretis remediis.* ℞. terebinth. cum vino sublimato lotæ ℥iij. coloph. gummi elemi, bdellii, singulorum ℥ij. ß. castor. ℈v. croci ʒij. ℈ß. myrrhæ rubræ ʒiß. pinguedinis capon. ℥j. styracis liquidæ ʒv. olei hyperic. ʒiß. euphorb. ʒß. ceræ ℥viiß. fiat empl.

Perfecte jam lividi loci remedium.

Jo. Langii medicamentum ad ineuntem gangrænam.

CAPUT IV.

De Repellentibus.

Affinia refrigerantibus sunt *repellentia*: nisi dicamus etiam esse eadem communibus refrigerandi qualitatibus. Verum enimvero distant usu: siquidem refrigerantia medicis usui sunt ad retundendam ingentem vim caloris & hanc in frigidum immutandam; *repellentia* vero, eadem quæ gaudent & valent frigoris vi, sunt solum ad cohibendum remittendumque

Quo differant à refrigerantibus repellentia.

Repellentia quidem non ad

que calidum in profundum, unde movetur noxius influens humor. Quemadmodum in ludo pilæ palmariæ, pulsa hæc ab uno lusore, ab altero repellitur, atque eo unde fuit propulsa remittitur. Ea propter à Græcis vocata sunt ἀποκρουστικὰ, quasi dicas *repercutientia.* refrigerandum, sed ad refrigeratione repellendum adhibentur.

Sed hæc quæ ipsa sint aut cujus naturæ medicamenta, non omnes in ea re consensere, verùm in diversas opiniones abiêre; sicut advertit hic Hollerius. Apud Arabes quidem sunt repellentia, quæcunque fluorem prohibent, frænant, retardant, obstruunt, partem roborant. Græcis vero pro adstringentibus habentur. Inter Latinos Celsus fecit sine frigore repellentia, cum posuisset etiamnum ex frigore repellentia. Tandem Cælius Aurelianus adstringentia dixit quæ non reprimant, & quæ reprimant. Inter omnes igitur Græci sequendi, quibus unum quodque repellit, quod frigidum est. Etenim attrahentia, quæ repellentibus opponuntur, valent ipsa per calidum. Quamquam non desunt calida, quæ adstringendo valeant in repulsum; ut cassia, rhabarbarum, spica, aloë, cyperus, polium, centaurium, vina austera. Sed hæc quidem neque ita certa, neque absolute repellentia sunt: licet parte aliqua constringant. Cujus naturæ repellentia. Arabes. Græci Latini. Aurelianus. Græcorum approbatur sententia. Attrahentia repellentibus contraria.

Ubi autem quæratur, utra duarum facultatum sit potior & proprior repellentibus, adstrictione, an refrigeratio: potuit ex dictis esse responsio, quod à refrigeratione quidem inseparabilis est repulsus; sed adstrictio & comes esse & separari potest. Quæ certa est Galeni sententia *l.* 14. *meth.* Ita repellentia & cum adstringendi sunt facultate, & sine ea. Verum enimvero quæ adstringunt repellentia, vehementioris sunt virtutis, plusque agendo valent. Ac propterea Joannes Fragosus, qui fuit medicus Regum aliquot Austriacorum, *in l.* 2. *chirurgiæ c.* 1. & *in glossa Apostematum*, voluit repellentia citra adstringentiam minus esse propria, quam quæ cum adstringentia sunt conjuncta. Cujus viri sententiam absolute acceptam credo equidem falsam; ut ex Galeno deducitur *in l. de artic. particula* 21. Et certe nix, quod maximum est omnium repellens, frigore solo repellit. Sed proprium repellens intelligere visus est Fragosus; id quod naturæ partis confirmandæ, tutelæque ejusdem magis accommodatum est. Utra propinquior repellentibus, adstrictio an refrigeratio. Repellentia duplicia. Joan. Fragos. Galenus. Nix maximum repellens.

Aliorum opinio. Crediderunt alii repellentium esse solum influentem humorem, dum influit, reducere. Verum nos dicimus, posse ea & illam humoris partem, quæ inhæsit, intropellere. Verum tamen his, quæ utramque portionem humoris repellunt, videtur gradus superior additus; quippe quæ debeant esse valentiora & vehementiora, atque hoc quidem intensiore frigoris virtute.

Substantia subjecta repellentibus. Quod quidam istorum frigus peculiari cuidam impositum est substantiæ; crassæ nimirum ac terreæ medicamenti acerbi atque austeri. Etenim cum illa conjuncta adstringentia quasi comprimentia sunt fibras partium quæ occurrunt. Ex quarum una quidem vellit humorem, ex altera vero per frigus inimicum cogit calidum, ut locum deserat & revertatur intro.

Usus repellentium. *Usus* vero *repellentium maximus* est ad *reprimendos tumores calidos*, *neque alios*, *quam qui recensiti fuerunt in cap. de refrigerantibus*; hoc est inflammationes, erysipelata, gutta vocata rubra, ophthalmia, herpes, carbunculus, ignis persicus, & sylvestris, & id genus, quæ ex sanguine fervido; & bile ignea, atque exadusta melancholica, sive simplicibus, sive compositis nascuntur.

Hos igitur humores collectionesque, quæ ab ipsis proficiscuntur, repellunt cuncta simplicia refrigerantia, quæ liquida à liquido elemento parum parum sunt mutata, aut eodem abundant concreta. Ex his præstantiora usu sunt capreoli vitis, rhus obsoniorum, oxyacantha, malum punicum, cydonia, rosæ rubræ, lentiscus, rubus, trifolium, rumex, folia quercus. Sed validissima omnium sunt papaver, solanum, hyoscyamus, cicuta, & si quæ sunt alia. Fæcem vini mollem ad testium inflammationem laudavit Alexander Benedictus *l. 25. de morb. curand. cap. 25.*

Repellentium materia. Validissima repellentia.

Composita. Hæc ex *simplicibus* numeravi. E *compositis* sunt videlicet lutum molaris aquæ, quam reprimendis ambustorum ampullis laudavit Fallopius; oleum rosaceum, omphacite: quod quando non habes, parare subinde poteris cum succo rhois, mali punici, lentisci, aut si tempus anni sit, omphacii, oxalidis, aut similis alterius, concoquens cum olivo succum, usque dum hic absumatur, agitans continenter surculo salicis, aut simi-

Ratio parandi per omne tempus olei omphacitis.

ſimilis plantæ. Mucago ſeminis pſyllii ſex horis macerati in aqua frigida cum gr. iij. aut iv. caphuræ acrimoniam urinæ obtundit. Ceratum pſyllii fluxionibus podragicis eſt mire proficuum, quod paratur ad hunc modum. Rec. ſemin. pſyllii ℥iiij. decoque in ℔iiij. aquæ pluviæ, deſine maceretur ad aliquod tempus, mox expreſſo ſucco adde ol. roſ. ℔j. ceræ ℥vj. confectum erit. Conficies etiam ceratum roſaceum ſic. In vaſe duplici liquatur cera cum oleo roſ. cum refriguerint affuſa aqua agitantur, & aqua rejecta ſuperadditur ſuccus plantaginis quam plurimum recipere medicamentum poterit. Hoc benefacit phlegmonis & ulceribus genitalium proſerpentibus. Ceratum pſillii. Ceratum roſaceum.

Per Arabum ſcholam maxime frequens eſt hoc cataplaſma, quod paratur è cortice mali punici, ſucco ſempervivi, & vino auſtero. Arabum repellens.

Hæc medicamenta probantibus aliis, propono equidem duo per ſatis efficacia, quorum prius eſt ſuccus foliorum ſalicis cum pulviſculo caphuræ in mortario plumbeo piſtillo itidem plumbeo ductus, aduſque coloris juſtam tincturam. Caphuræ quidem haud multum diſſimilis eſt ceruſſa: ſed illa videtur penetratione potior. Repellens noſtrum.

Secundum genus eſt aliquot colleticorum: quæ antiquis rei medicæ magiſtris frequentiſſimo in uſu fuêre, noſtris vero etiam incomperta, ſed magna certe cum remedii injuria, quando iſtorum uſus arti conſentaneus eſt, fructus vero commodiſſimus. Fiunt autem colletica ex accepta aliqua parte collæ calenti aqua reſoluta, aut ex rebus aliis pariter glutinoſis, quale eſt gummi Arabicum, aut albumen ovi agitatum cum manna thuris trita, aut ex limacibus cum cochleis diligenter tuſis, & his aut ſolis, aut lentore ovi agitari aut eadem ovi parte cum auſtero vino & cribrato polline commiſtis. Colletica repellentia.

Videbuntur hæc quidem bene nova repellentia; ſed tamen non inſolentia ſunt, vel aliena: quippe graviter excogitata à veteribus fuêre. Inter quos unus eſt Oribaſius, qui ea deſcripſit *in l. x. collectaneorum c.* 27. Certus autem ſum ego, cum commode per locum adminiſtrari poterunt, præſtantiora ex omnibus & tutiora eſſe repellentia, atque adſtringen- Comprobatio Colleticorum.

gentia: quæ eadem poterunt eſſe loco intercipientium, quæ
Defenſiva. vulgo *defenſiva* dicuntur.

CAPUT V.

De Adſtringentibus.

Adſtringentium natura. Adſtringentia Græci ςυπτικὰ vocavêre. Eſt autem medicamenti genus, quo *auſtera* & *acerba* continentur. Galeno auctore *l.* 4. *ſimpl. c.* 7. facultate frigidum, conſiſtentia vero corporis terrenum & craſſum. Per quam craſſitiem diſtat ab acidis; quæ pollent alioqui tenuitate partium, licet

Adſtringentia qua in re diſtent ab acidis. ut *adſtringentia* refrigerent. Sed non deſunt tamen *adſtringentia*, quæ & calefaciant & tenuium ſint partium, 6. *de comp. ſec. locos*; ut emolliant, concoquant, attenuent, diſcutiant, aperiant, idonea. Nimirum & adurendi vim adſciſcunt, 1. *ſimpl. cap.* 3. Sunt quippe talia non ſimpliciter adſtringentia, ſed compoſitarum facultatum, quas ſcientem profeſſorem dirimere oportet ſecundum eas normas ac rationes, quas tradidit Galenus *in prioribus libris ſimplicium.* Porro nos inprimis agimus de his, quæ ſingulariter adſtringunt: non omiſſuri cæteroquin & alia, ubi occurrerint.

Galenus.

Uſus adſtringentium.
1. *Uſus horum* eſt *plurimus* ad repellendum. Item ad ſiccan-
2. dum, ut 7. *meth.* 7. & 2. *de ſan. tuend. cap.* 13. Et ad repri-
3. 4. mendum luxuriantem & ſe attolentem humorem, *comment.*
1. *lib.* 1. *aph.* Et ad ſiſtendum ſanguinem, ut *lib. de cucurb.*
5. Et ad raborandas partes, 1. *de compoſ. med. per loc. cap.* 6. &
6. 7. 2. *ejuſdem c.* 3. Et ad jecur curandum, *art. med. c.* 95. Et ad
8. ulcerum ſinus explendos. 5. *meth. c.* 1. Et ad cicatrices inducendas, 1. *de comp. med. per gen. c.* 12. & *de ſubſ. empir. c.* 11.
9. Et ad vaſa perrupta conglutinanda, item inteſtina, uterum,
10. veſicam; ut 5. *meth. c.* 5. & 7. Et ad hernias, & ad aſperitudines, ſycoſes, callos; 4. *de comp. med. ſec. loc. c.* 4. Et ad
11. pilorum defluvia, 1. *de com. med. ſec. loc. c.* 2. & 3. Et ad
12. ulcera rebellia, ad fluxiones, & ad putredines; 6. *de comp.*
13. *med. per gen. c.* 10. & 6. *ſimpl.* §. *de arnogloſſo*, & 1. *de comp. med. per gen. c.* 12. Ad fluxiones quidem incipientes uſurpata
14. phlegmonem tollunt, ut *l. de opt. ſect. c.* 10. & 11. *meth. c.* 9. & 13. *ejuſdem c.* 20. Ad oculos inflammatione correptos, *lib. de ſectis c.* 18.

Sunt

Sunt porro *adstringentia trium modorum:* videlicet levia, valentiora, validissima. *Levia* sunt folia, flores & succus rosarum, ericæ fructus, lycium, hypocystis, absynthium, acetabulum, crocus, cupressus, cyperus, eupatorium, laudanum, lentiscus, muscus, rubus, pinus, plantago, rumex, thuris manna, asphaltus, aqua pluvia. Adstringentium triplex modus. Adstringentia levia.

Valentiora sunt: acacia, omphacium, & quæ succorum genere numerantur; item balaustia, cytini, gallæ, omphacitides, equisetum, glandes, labrusca, malicorium, cydonia, myrtus, rhus, rubia, bolus Armena, paliuri folia. Valentia mediocriter.

E *valentissimis* est alumen, magis rotundum, quam liquidum: quod per antonomasiam appellatum est στυπτήριον. Cum hoc autem adnumerare possis & chalcanthum; quod tamen vis calefaciendi non est expers, Galeno teste *l. 6. de comp. med. per loc. c.* 3. Valentissima.

Sed adstringentia calida partim sine morsu sunt, partim cum morsu. Hujusmodi squammam æris esse dicit Galenus 3. *simpl. & alibi.* Sine morsu est cyperus, *ut 6. de comp. med. p. l.* 2. (traditur idem) stœbes fructus, 8. *de simpl.* §. *de stœbe.* Adstringentia duplicia.

Atque hæc è *simplicibus*. E *compositis* vero plurima sunt stomatica. Ut oleum mastiches, oleum lentiscinum, oleum lumbricorum, oleum rosaceum, omphacite, oleum histricum, & alia, quæ 1. *de comp. med. per gen. c.* 4. & 13. *meth.* recensentur. E ceratis unguentum Comitissæ, emplastrum Jo. Prochytæ, emplastrum pellis arietinæ. Composita.

Debentur autem adstringentium usui nonnullæ observationes & cautiones, quæ sunt hæ. Adstringentia cum minime penetrent, ut 4. *de comp. med. per gen. c.* 5. docetur, egent his, quæ faciant penetrare: Proinde deliguntur aliqua tenuium partium, 6. *de comp. med. sec. loc. c.* 1. & 1. *de comp. med. per loc. c.* 3. & 3. *de simpl. c.* 17. Observationes. 1.

Admiscentur attrahentibus adstringentia quandoque, ne illa plus, quam opus sit, evocent foras; nec solum in alto, sed ex omnibus vicinis partibus; ut 6. *de comp. med. per gen. c.* 13. habetur. 2.

Adstringentia, quæ capiti imponuntnr, non multum sint refrigerantia; 2. *de comp. med. per locos c.* 1. 3.

4. Oculis vero inflammatione laborantibus oportuna ſunt eadem; ut *l. de ſectis*, & *plenius l.* 4. *de comp. med. per loc. c.* 1. docetur. Argumento autem inter cætera poteſt eſſe, quod omnibus fere vitrioli ſpeciebus ſaneſcunt.

5. Adſtringentiam non habentibus medicamentis partes effœminantur, 1. *de comp. med. per gen c.* 4.

6. Adſtringentia ad carnem generandam vitanda ſunt, quia ſordem impingunt; 3. *meth. c.* 4.

CAPUT VI.

De Attrahentibus, extrahentibuſque.

Ordo & Collocatio.

Repellentibus quidem proxima nonnulli faciunt emplaſtica & incraſſantia medicamenta, verum mihi videtur aptius, ut illis ſuccedant *attrahentia*: quandoquidem utraque manent ſub eodem genere pellendorum humorum & à ſuo loco tranſferendorum; licet quidem ad ſitum contrarium: ſiquidem hæc à centro ad peripheriam, illa vero à peripheria ad centrum educunt. Itaque cùm ſint contraria, proximum locum requirunt *attrahentia*, videlicet poſt repellentia. In unum idemque caput, *quod eſt* 19. *libri* 14. *collectan.* conjecit Oribaſius.

Græca appellatio.

Ἐπισπαςικὰ dicuntur à Græcis, & ἑλκτικά. Quæ ſunt ſuapte natura impenſe calida: & eo magis, ſi huic qualitati addita fuerit tenuis ſubſtantia, Galeno auctore *lib.* 1. *ſimpl. c.* 17. Quam tenuitatem aliqui, de quorum numero Arnaldus eſt, volunt aëream: ſed Fernelius cenſuit eſſe igneam. Verumenimvero placuit Arnaldo dicere, quod debeant eſſe mediocriter ignea, ſed plurimùm aërea. Igneam autem tantopere voluit hic vir propterea, quod ſi tam excedenti calore pollerent, fortaſſe ulceroſam inducerent affectionem, neque eſſent ſimpliciter attrahentia. Quod oſtenditur per gummi ammoniacum, & galbanum; ſed multo magis per caſtoreum, & axungiam leonis.

Qualitas attrahentium, & ſubſtantia. Arnaldus. Fernelius. Ratio Arnaldi.

Ratio attrahendi.

Quæ res pingues cum ſint; aëreæ quoque ſint & halituoſæ, neceſſum eſt. Per quem halitum penetrando intimius & poros recluſos tenendo attrahunt foras, nedum humores, verum etiam corpora ſolida caſu corporibus infixa: dico equidem ſpinas, & ſpicula, & ejus generis corpora. Neque

non

non attrahendo & omne id agendo, quod dixi, interim expultricem virtutem adjuvant per vias jam patefactas expulsionis. Alia via processit Avicenna *in lib. de viribus cord. tract.* 2. *c. primo*; qui duplex fecit attrahentium genus: ut attrahant videlicet alia *proprietate*, alia vero *calida vi*. *A proprietate quidem attrahunt; ut magnes & succinum. Calore vero attrahunt, quæcunque valde in partes penetrantia occurrentem humorem pertrahunt ad superficiem. Atque hoc quidem, quia calidum dissolvit humores, in quorum locum necessitate vacui alii subsequuntur vice priorum: vel alias etiam calidum rarificat materiam, & similiter vi vacui succedit novus humor alius.*

Attrahentia expultricem adjuvant. Avicenna. Proprietate Calore. Calidum attrahit vi vacui dupliciter. 1. 2.

Non igitur injuria exsticcia omnia, præsertim materiæ solidioris reliquiæ, attractiva comperiuntur. Concordat, inquam, cum experimento ratio. Porro Indi conchilia urunt, & cum peto trita miscent ad pituitam ore proliciendam, & famem sitimque, dum longis itineribus peregrinantur, depellendam. Carolus Clusius auctor *in exoticis*, atque alii.

Historia. Carolus Clusius.

Vel tertio attrahit propterea, quod inducto dolore ad partem ipsam dolentem confluunt humores duplici ratione: vel quia debilis atque infirma reddita pars admittit facile nec propellit alienos humores, à valentioribus partibus eadem occasione transmissos; vel quia spiritus naturalis accurrit ad expugnandam noxam, quem sequitur adjunctus humor. Ita quidem Avicenna. Cujus sententia postrema de spiritu succurrente loco dolenti translata est meo quidem judicio ab auctore Galeno *in* 13. *med. c.* 3. Sed mirandum est, quid judicaverit Avicenna, calorem attrahere vi vacui, & per accidens; cùm essentialem hunc ejusdem effectum referant Philosophi. Difficilem igitur compositu litem hanc puto: nec equidem habeo pro Avicenna; nisi quod curiosior fuit explicandæ causæ, qua concipi bene possit attractio, quam adii vel nullam vel minus satisfacientem tradidêre.

3. Dolens pars recipit duplici ratione. Galenus. Dubitatio super assertis Avicennæ. Defensio Avicennæ.

Præter hæc duo attrahentium genera communissima tertium posuêre doctissimi duo viri Galli, Fernelius & Hollerius, *ex vi putredinis.* Namque *ea ratione* dicunt *& fermentum & fimos animantium omnes attrahendi facultate pollere.*

Tertium genus attrahentium.

Hactenus dictum fuit de natura & ratione attrahentium: *usus* & *enumeratio* restant producenda. Dixit Hollerius *uti*

Usus attrahentium.

Ictus venena. Critici abscessus. Pleuritis. Phrenitis. Apoplexia. Bubones. Tumores pestiferi, Syderata &c.

nos attrahentibus ad levanda viscera, & id, quod interne hæret, transferendum extra. Sic ictuum venena, quam maxime possumus, foras evocamus. Sic etiam criticos abscessus, pleuriticos, & phreniticos, interdum etiam attonitos, per hæc servamus. Tumores insuper inguinum & alarum, qui lente procedunt, & frigidi sunt, provocant & maturant. Itaque quicquid pestiferi putridique sub alto corpore conceptum est, foras educunt, exponuntque. Marcescentes & syderatas partes, vividas reddunt: calore privatas suo resovent: pus vitiosum, quod substantia nervorum & in obliquis ulcerum ductibus retinetur, exhauriunt: squammas ossium educunt: coxendicorum atque hydropicorum noxas remittunt: spinas, aciculas, mucrones, clavos, sagittas expellunt. Quod postremum horum beneficium tum maxime apparet, cùm non sine periculo aut molestia, parva plaga esset amplianda. Tandem id, quod in locis angustis, utpote auribus, oculis, in pravis abscessibus conditum est, sua ipsorum vi rapiunt. Hi quidem aut similes attrahentium sunt usus.

Enumeratio attrahentium calore,

Jam vero quæ *attrahunt* sunt hæc: propolis, dictamnus, gummi fere omnia, sinapi, pyrethrum, aristolochia rotunda, cyclaminus, thapsia, sal edule, sal armoniacum, sulphur, euphorbium, pix, terebinthina & omnes resinæ, bulbi esculenti, viscum. Atque hæc quidem attrahunt *calore.*

Attrahentia à proprietate.

Quæ vero *proprietate* attrahunt, sunt hæc: radix arundinis, caput lacertæ, quod infixa extrahit; limaces & cochleæ, quæ contusæ detrahunt aquas hydropicis; ostrea, quæ pestiferos bubones, scorpius, qui injectum suo morsu virus elicit.

Attrahentia vi putredinis.

Sed quæ *putredinis adventitia qualitate* attrahunt, sunt hæc: fermentum, & omne stercus bipedis calidioris.

Compositiones.

De *compositis* nunc dicamus. Ex his sunt olea, cataplasmata, emplastra Ex oleis est ricininum & sinapinum, quæ utraque per expressum succulentæ substantiæ habentur.

Ex emplastris communi usu recepta sunt emplastrum oxycroceum, emplastrum è baccis lauri; emplastrum ex allio, emplastrum è fermento; quæ singula descripsit Mesuæus.

Medicamen Galeni.

Galenus vero *l. 5. meth. c.* 13. in splendida illa muliere Romana, destillationem capitis cum phthoë & pulmonis ulcere

pa-

patiente, composuit emplastrum ex fimo palumbium, impositum suturæ coronali.

Alia descripsit universo corpori communia *in l. 3. & 6. de compos. medic. sec. genera*, & post hunc Aëtius *in tetrabl.* 4. *serm.* 3.

Fernelius tradidit nonnulla, quorum hoc est eximium. ℞ sulphuris apyri, rad. pyrethri, hermod. an ℥iß. salis nitri, vel sal. petrei, vel sal. marini, torrefacti ℥j. picis, & ceræ novæ an. ℔.ß. f. empl. sec. artem. Medicamenta Fernelii.

Ex cataplasmatis vero descripsit hoc, quod ℞ pulp. ficuum ex aq. vitæ decoctorum, fermenti veteris an ℔.ß. rad. irios, cucum. agr. & bryon. recent, & crud. an. ℥. ij. semin. urtic. & nasturt. an ℥ß. trita omnia contundantur in cataplasma; cui licet addere, si libet, fimi columb. aut capr. ℥iß.

Sed Hollerius ex veteribus Græcis descripsit multa; quorum illud est non minimum. Fermentum incoquitur oleo, cum axungia veteri, larigna & tereb. resinis pinsitur. efficacissimum est. Medicamenta Hollerii.

In punctis vero nervis ad attrahendam saniem, quæ impense nocet, ex Gal. meth. proposuit hoc, quod ℞ cerati ℥iiij. tereb. ℥ß. liquatis immisce pulverem euphorb. ℥iij. interioris ferment & tereb. liquidæ an. ℥j. incorporentur.

Hieronymus Fabricius ab Aquapendente *in l. de tum. p.* 1. ad bubones torpescentes utitur diachylo majori cum portione aliqua saponis, eò videlicet, quod calx è valide attrahentibus censetur. Hieron. Fabricii medicamentum ad bubones.

Hercules Saxonia ad bubones similiter evocandos utitur hoc. quod equidem comperi mirificum in sexcentis. Rec. Gummi sagapeni, opop. ammon. bdell. an. ʒij. euphorb. sinap. piper. pyrethri an. ʒj. sapon. nigri ℥ß. dissolv. gum. in aceto, addantur pulveres, & cum pice aut cera nova fiat empl. Herculis Saxoniæ medicamen ad bubones lente venientes.

CAPUT VII.

De attenuantibus, digerentibus, rarefacientibus, absorbentibus medicamentis communiter.

Concludimus & comprehendimus hoc uno capite medicamentorum multa genera, propterea quod consentaneæ ac proximæ naturæ sunt omnia; nimirum calidæ crasis substantiæque prætenuis, ad vacuationem humorum insensibilem comparata: & ad interiores quidem affectus sæpe, sed ad exteriores contumaces plurimum usitata. Quæ singula: nihilominus sic dirimes & diffinies inter se. Primum agemus de *attenuantibus ac digerentibus*.

Attenuantium & digerentium natura. Attenuantia remissiori caloris gradu: digerentia intenso constant. Attenuantia duntaxat alterant. Digerentia substantiam transmutant: Altera differentia.

Utraque, sicut Arnaldo placuit *Introductionis medicinalis C. XXXI. calore valent cum subtilissima terrea portione colligato.* Qui *calor* universim consideratus cum duplex sit; *remissus*, qui intra latitudinem primi secundique gradus decurrit, & *intensus*, qui intra latitudinem tertii quartique consistit: *attenuantia remisso* contenta fuêre; *digerentia* vero *non minus remisso quam intenso* constant. Itaque attenuant utraque, sed diverso impressu: qui duplex evenit ab his. Videlicet *attenuantia* agitato succo non nisi crassitudinem suam adimunt; qui motus alterationis est simplex: *digerentia* vero formam speciemque immutant. Namque humorem transferunt in vaporem. Quam ob causam *resolventia*, id est *dissolventia*, *discutientia*, *dissipantia* dicuntur ab omni Arabum schola.

Alter differentiæ modus est *spectans ad motum localem*, consequens tamen prædictum alterum impressum. Videlicet *attenuantia* præter solam immutatam qualitatem nil amplius efficiunt, & humorem in obsessa parte relinquunt. Verum *digerentia* non conquiescunt, usque dum exprimant & educant eum, in halitum, ut dixi, conversum.

Corollarium 1.

Quibus jam positis multa referuntur corollaria. Primum est ratio seu definitio attenuantium, quæ est: *Attenuantium facultas* est, quæ crassam humoris compagem comminuit & quasi liquat, eo non subducto. *Digerentium facultas* est, quæ attenuatum jam humorem & rarefactum à parte exprimit & educit.

Se-

Secundum quod elicitur ex his eſt: Attenuati humoris eſſe grandem ad digeſtionem, & attenuantia poſſe digerentibus ſubſervire.

Uſus vero *attenuantium*, & multo maxime *digerentium* generalis eſt, ut crudos lentoſque humores concoquant, & incidant; deinde vero eos, qui circa articulos, membranas, nervos diffuſi coïerunt, vel qui ſcirrhum ſcirrhoſaſve phlegmonas, aut œdemata, nodos, ſtrumas, gummi venereæ luis, duritias in ſumma recentes vel jam veteres factas produxêre. Ad hæc dolores, qui ex humorum cruditate vel refrigeratu deducti ſunt, diſcutiunt: emphyſemata, contuſa, & ecchymomata, ſanguiniſque grumos; diſtentiones, contracturas, callos in fractis oſſibus recens agglutinatis perperam concretos, exiguas articulorum ab humorum copia luxationes, iſchiadicoſque dolores, diſſolvunt. Uſus attenuantium & digerentium.

Sequitur *attenuantium enarratio*, & primo quidem *ſimplicium*; quæ ſunt: Abrotanum, abſynthium, thymus, cuminum, ervum, anethum, melilotus, fænum græcum, ſemen lini, cicerum, farina, acetum, & acerba omnia. Quamquam de his dubitatis, quod volunt hæc frigida eſſe. Nihilominus ſuum his deeſſe calorem non poſſum credere, eo magis, quod quotidiano experimento cerminus ſolvi ab his margaritas, corallos, metalla, ſilices ipſos. Simplicia attenuantia.

E *compoſitis attenuantibus* eſt oleum terebinthinæ, oleum irinum, oleum vetuſtiſſimum, emplaſtrum diachylon ſive per ſe, ſive ſolutum duplo triplove oleo irino. Compoſita.

CAPUT VIII.

De Diſcutientibus.

Sed *digerentium* hæc *ſilva* eſt: Ariſtolochia, capparis, aſphodelus, cucumer agreſtis, cyclaminus, daucus, ebulus, fæx, gladiolus, cupreſſus, iris, ſabina, crocus, muſcus, &c. opobalſamum, oleum ricini, viſcum, pix, bitumen, caſtoreum, alcyonium, lapis pyrites, nitri ſpuma, ſalis omnes ſpecies. Lege Celſi *lib.* 2. *caput trigeſimum ſeptimum.* Spongia, pumex. Aron è diſſipantibus poſuit Nicolaus Florentinus *in c. de apoſtematis articulorum.* Simplicia.

E *com-*

Compositiones.

E *compositis* eſt unguentum dialtheas, unguentum Agrippæ, unguentum aregon, unguentum Martiatum, emplaſt. diachylon, è mucilaginibus, & empl. filii Zachariæ, empl. ſeu potius ceratum dixero meliloti.

Medicamentum ad eos, qui lapſi ſunt è ſublimi.

Sed ad eos, qui lapſi ſunt è ſublimi, invenerunt noſtri hoc genus medicamenti ℞ ſterc. bubuli recent. vel ſicci ℔. xx. redigatur per vinum rubrum generoſum in liquidum corpus, cui adde ſalis ℔. iß. ferveat ad cataplaſmatis conſiſtentiam, ſub finem inſperge pulv. thur. & hujus cortic. an. ℥iij. boli rubri noſtratis, myrti, roſ. in compl. an ℥ij pul. cumini, coloph. an ℥ß. fl. chamæmeli ℥. iß. pul. fol. abſynth. far. lent. & hord. an. ℥j. bulliant & agitentur per ſpatulam. His ab igne calidis abſtractis deliniatur linteum amplum ſuppoſito matracio, in quod linteum ſic delibutum inſpergantur ſicci pulveres alteri reſervati ex iiſdem ſimplicibus. Et hoc demum involvatur is, qui lapſus eſt: cauto, ne calor medicamenti diſſipetur, ſed arcte ſtipatus conſervetur ad duas ſaltem horas, expedito capite. Tandem homo vino lavetur.

Empl. gummi tacamahaca. Hiſtoria. 1619.

His adnumerare licet & emplaſtrum è gummi tacamahaca Indico: cujus rei illud inter cætera experimentum referre poſſum. Cutronenſis ſenex quidam octo jam annis dolorem convulſorium in articulo utrius per nos catapotiis è nitro Tralliani atque emplaſtro illo ad partem dolentem impoſito ſanatus eſt. Alterum experimentum noſtrum fuit, quod judex criminum ſpectatiſſimus Carolus Califanus in ſcirrhoſo ſcroti tumore excutiendo multorum medicamentorum uſu probatorum vim invalidam expertus & omnibus diffiſus ex hoc uno vix expectatam opem ſentiit à me propoſito.

Exſiccantia diſcutientibus affinia.

Poſt hæc ſcire licet ad *diſcutientium* genus proxime accedere *exſiccantia*, vel ad hæc illa rectius. De quibus *exſiccantibus* lege Oribaſium ad *Eunapium l. 2. c.* v. vi.

CAPUT IX.

De Rarefacientibus.

Habent cum *attenuantibus* nonnullam affinitatem *rarefacientia*, Græcis ἀραιωτικὰ appellata. Et quidem & iſtorum natura modice eſt calida atque exſiccans modice, tenuiumque

que partium; ut censuit Galenus 1. *simpl. c.* 14. Et quidem similiter ad vacuationem insensibilem ordinantur. Differunt tamen ab illis hæc, quod meatus cutis recludunt: illa circa humores occupantur, suamque vim exerunt.

Rarefacientium usus est in externa medicina in tumoribus vitiisque cutaneis. Quorum ex calidis est erysipelas, & podagricæ calidæque fluxiones: ex frigidis & diuturnis sunt pruritus, impetigines, scabies, vitiligines &c. Rarefacientium usus.

Illa sunt: chamæmelus, althea, & quod ex ipsis paratur oleum; nec minus quod ex agrestibus conficitur cucumeribus, oleum vetus, & cirinum, & raphanium, abrotanum assum. De his autem & hujus generis contrariis omnibus medicamentis, quæ sunt *contrahentia*, *obstruentia*, *densantia*, disputavit Galenus *in relato loco.* Enumeratio.

CAPUT X.

De Absorbentibus medicamentis.

Absorbentium hoc genus ac nomen pauci sunt qui norint, aut nominent; sicuti video. Neque tamen à paucis & his clarissimis auctoribus sunt scriptitata, sicut apparebit postmodum. ῥοβδῶντα dixerunt.

Attrahentibus hæc retulisse visus est Hollerius *capitis illius fine*; licet *exsugentia* ἐπιμύζοντα nuncupaverit. Debuisset potius *expurgantibus* adjicere, ut sibi suisque verbis constaret, qui dixit: *exsugit hoc saniem per poros affectæ partis.* Rectius mea sententia Fernelius, qui de *exsiccantium* genere ea esse existimavit, ac fecit. Absorbentia variis generibus relata. Ad attrahentia. Ad exsiccantia.

Sed separatum hoc genus est ab his omnibus, compositum, ut equidem judico, ex *attrahentibus* & *discutientibus*, sive *exsiccantibus*, ut nominat Fernelius. Quippe raptum ad se humorem absumunt atque exhauriunt. Favit autem ad unguem nobis Aëtius, qui *l.* 15. *c.* 18. statim ait. *Qui compositorum pharmacorum facultates descripserunt, quædam emplastra attractoria vocaverunt, sicut quædam discussoria; aliquibus vero testimonium præbuerunt utriusque facultatis. Sunt enim vicinæ inter se facultates, attractoria ex profundo, & discussoria attractorum. Nam quæ attrahunt, omnino etiam discutiunt: & quæ discu-* Ad attrahentia simul & discutientia. Aëtius nostræ sententiæ auctor.

discutiunt, *etiam attrahunt. Et prædominatur in discussoriis quidem medicamentis facultas discussoria*, *in attractoriis vero attractoria. Porro ex simplicibus composita sunt*, *quæ vim habent humorum superfluitates*, *ex profundo ad cutem attrahendi: discussoria vero ex his*, *quæ vim habent discutiendi attracta.* Quæ postrema Aëtii verba transscripta sunt, uti video, *ex l.6. de compos. med. genera c.* 13. ad unguem, *&* 10. *ejusdem operis c.* 13. *F. & l.* 3. *de comp. medic. local. c.* 2.

Aëtii loca alia.

Clarius autem hic idem vir *absorbentium* meminit, cum ait *hoc eodem capite inferius: Frigidos & crassos humores ab articulis exsugunt.* Et rursus emplastro proposito; *quod abscessu* (ait) *etiam in pus transmutato citra cutis cæsuram pus velut per colum exsugit.* Et tertio: *Andromachi melinum abscessus profundos resorbet.* Et quarto: *Ad strumas & mammarum duritias peculiare auxilium*; *tumores enim discutit*, *& fere non rumpit*, *sed tenuissimas rimulas infert*, *per quas veluti per colum impactus humor excernitur*; *& vero nisi displicet*, *abscessuum humores citra ruptionem per cœcos meatus velut excolat & diffundit.* Et si processeris, hujusmodi etiam exempla alia invenies apud eundem tum *hoc ipso capite* tum *sequenti.*

Dioscorides. Oribasius.

Ante Galenum vero Dioscorides *l.* 2. *c.* 9. cochleis contritis & applicitis tumores intercutem dixit exsugi. Sed Aëtio prior Oribasius etiam hæc medicamenta cognovit, qui *l.* 7. *synops.* malagma ex baccis lauri ad omnes abscessus, qui in profundo sunt, absorbendos posuit.

Galenus. Hippocrates.

Sed quod posteriores Græcos adduco *absorbentium* comminiscentes? Ipsum etiam Galenum, ipsum illum, quem veneramur, Hippocratem *in* 2. *de artic. calce*, legimus amplam eorum mentionem fecisse per verbum ἀναπίνεσθαι, uti habetur apud Vidium *in comm. pag.* 170. Ἀναπινόντων vero exempla ponit Galenus mucum cochleæ adjecto thure, vel aloë, vel utrisque; itemque mel Atticum cum unoquolibet ex propositis medicamentis.

Cognita veteribus absorbentia.

Itaque jam liquide cognoscitur, *absorbentia* & veteris notitiæ fuisse, & magnæ virtutis medicamenta. Tantum superest ut & cognoscenda tradamus & in usum curemus revocanda.

Igitur quod ad *absorbentium* rem spectat, si Fernelii sententiam aliter quam verbotenus interpretemur, acute advertit

tit *esse hæc valide exsiccantia sua natura.* Quod recidit in illud Aëtii, qui dixit *& attractoria & discussoria simul esse. Valide quippe siccantia sint oportet, & calida non mediocriter. Quare & tenuis substantiæ, & inde attrahentia. Cum autem tantopere siccent & extenuent etiam*, ut auctor ait; *discutientia sunt etiam necessario.* Ita concordant Aëtius & Fernelius: qui subinde dixit *eadem usui esse tumoribus œdematosis, aquosis, flatulentis, scirrhosis etiam & præduris omnibus abolendis, præsertim quibus exacta fuit emolliendi præparatio; item his omnibus affectibus, ad quæ valere diximus discutientia, & ad bronchocelas, nodos, & ramices omnes, præterquam collapsis partibus.* Consensus Aëtii ac Fernelii. Usus horum medicamentorum.

Acetum autem ex hoc genere primum ponit, quod vehementur digerit & exsiccat. Ego autem felicius hoc facere dico nitrum ejusdem, quod è fictilibus eo liquore plenis exsudat: vel hujus loco fæx cremata ejusdem. Sed neque infeliciter id præstat alumen. Ex quibus quidem omnibus fossilibus & acri aceto parato embregmate Josepho Raymo discussi equidem aliquando bronchocelen non exiguam, quam alii quidem medici reliquerant incurabilem. Sed sal adeo valet absorbendo, ut corpora mactatorum in multos annos conservet. Id quod certe non facit nisi nimium eorum humorem absumendo. Eo igitur consilio hoc in rosaceo Galenus utebatur ad œdemata, 2. *ad Glauc. c. illo.* Oleo juniperi baccarum per descensum parato utebatur quidam ad induratos adenas, & feliciter dissolvebantur. Simplicia. Historia.

Ex his est & muria, quæ apte miscetur emplastris sive cerotis. In his igitur, quæ componuntur, ad exsiccandum, oleo relicto muria probatius venit.

Ad hæc & cinis propria facultate, quod ustione corporis ignea segmenta contraxerit, præstanter exhaurit humiditatem partium corporis, quæ frigidis lentisque succis turgescunt. Ficulneus eximius est, ab hoc sarmentitius, iliceus aut quernus, & qui è brassicæ cauliculis, aut fabarum scapis conficitur. Ferulæ ustæ cinis exhauriendo puri valet Aëtio *tetr.* 3. *ser. c.* 29. *pag.* 696.

Horum quidem virtus vel in suo ipsorum corpore administratur, axungia vel simili commistorum, vel ex lixivio & aqua ferrata. Id quod etiam de calce dictum esto. Quæ res

 est

Hier. Fabricius. est commendatissima Hieronymo Fabricio ab Aquapendente *in opere chirurgico.* Ego autem experimento liquido comperi, nostrum è calcis sale cathæreticum suppuratis impositum exhausisse saniem admirabiliter. Quam rem & oleum ex eodem elicitum pariter efficit. Sed valentior hæc multo est, quam cineris medicamenta.

Alia postremo multa, quæ in expurgantibus recensuimus, ex hoc genere censetur. Puta nitri species omnes, & aluminis, crocus, sabina, cupressus, grossi ficus, præsertim caprifici. Fimi quidam animantium, ut caprillus, columbinus, murinus, & his similes alii; præsertim si usti sint, tum quod igneas inde particulas conquirunt, tum quod tenuitate plenius acuuntur. Ex his & cucumer agrestis est. Lapidem sarcophagum etiam ex his fecisse videri potest Celsus *libri* 4. *fine.* Spongiæ quoque gratiam hanc esse nemo, qui in veterum scriptis versatus est, dubitare potest.

Composita. *Compositorum* exempla multa habes ab Aëtio descripta *in l.* 15. *cap.* 18. à Fernelio *meth. med. l.* VI. *cap.* 8. *fine.* ab Hollerio *c. de purgantibus postremo loco.* Nostri vero experimenti est sal pyroticus dissolutus oleo salis, oleum menthæ, oleum abrotani, oleum absynthii, oleum sive spiritus aceti. Oleo ad natas & nasdas utitur Conradus Tigurinus celebratissimo, quod est: Conr. Tigurinus. ℞ ol. laur. ℔.ij. thur. albi, mastich. electæ, gummi arab. tereb. claræ. sing. ℥iij. tritis terendis m. omnia & destilla per alembicum, & in aqua sic destill. inf. ℔. ß. cineris & iterum destilla. Sed Andreas Cæsalpinus *l.* 5. *de curand. morb. cap.* 48. ad tubercula sine sectione resiccanda medicamentum quibusdam usitatum proposuit, quod constat ex farina lupinorum, stercore columbino, pice, lixivio.

CAPUT XI.

De emollientibus laxantibusque medicamentis.

Mollientia sunt eadem, quæ μαλακτικὰ consuerunt Græci nominare: *medicamenta ad evincendas duras quasque humorum concretiones usitata.* De quibus prius quam aliud agamus, de *duro*, *quod istorum objectum est*, & de *molli*, *quod finis est*, cujus gratia, breviter exponere, doctrinæ commodioris

dioris judico methodum: præsertim quod ita etiam Galenus fecerit *l. 5. simpl. cap. 5.*

Molle quidem auctore Aristotele *in l. de mistilib. quem quartum meteor.* appellant, est *id omne, quod prementi cedit: durum* vero, *quod prementi non cedit.* Alias autem sed in eodem sensu Plato: *dura quibus caro nostra cedit; mollia vero quæ carni cedunt.* Sed *durum* quodcunque corpus est *triplex* auctore Galeno *in loco modo citato.* Molle & durum quid Aristoteli. Quid Platoni. Durum triplex Galeno.

Unum genus est, quod siccitatis ac terreæ portionis excessu repellit imprimentem: sive hoc quidem à natura, ut ferrum 1. aut later; sive aliena vi solis, ignis, & respondentium his causarum. *Alterum genus* est, cum quid receptu complentis 2. humoris nimii vehementer distenditur; ut vesica urina plena, venter hydropici. *Tertium duorum genus* est; quod frigore 3. concretum est; sive forinsecus appulso, ut in gelu; sive ex intemperiei peccato, ut adeps; sive succi crassioris affluxu, ut in scirrho per pituitam. Postremum hoc nos medici sequimur, quod verè & proprie *durum* dicitur.

Præstat nunc, ut sicut de duro jam fecimus, sic & de emollibili immutationis termino pertractemus. Sunt *emollibilia* ex Philosophi sententia *cuncta è concretorum genere*: si tamen *triplex* ex his ordo excipiatur. *Primus* est eorum, quæ absolute sunt aquea; ut glacies. *Alter* eorum, quæ humore omni prorsus sunt destituta & arentia facta, ut nitrum & sal. *Ter-* 1. *tius* est eorum, quæ inæqualiter sunt commassatá atque com- 2. pacta, sed sibi & suis partibus sunt quoquo pacto similia; ut 3. coctilis later, & id genus. Si igitur talia sint, quæ neque aquam simpliciter referant, neque prorsus terram arentem, sed terram quidem cum pari portionis humidæ commoderatione, vel ut humor non excedat terram; quod in cera videre est: hæc plane *mollibilia* fuerint. Mollibilia. Concretorum quæ non mollescunt triplex genus. Mollibilium quæ substantia.

Harum quidem rerum notitia atque discretio eo tendit, ut non inaniter tentemus, quæ *minime* sunt *mollibilia*; sed quæ talia sunt, fidenter aggrediamur. Callosa enim fere cornea duritie, & quæ penitus exaruerunt, terreæ portionis excessu, ut tubercula & steatomata quædam, infarctus glarei vel calciformis; qualia equidem observavi sæpius in capite, & in nodosa podagra, nulla est spes emolliendi. Quare Observatio I. Quæ minimè mollibilia vitia.

re potius ad chirurgiam, id est, excisionem, aut ex peptico medicamento demolitionem atque excussum conari licet. E contra quæ non ad tantam siccitatem venêre, non diffidere desferereve horum emollitionem oportet. Hæc una quidem observatio est.

Mollibilia quæ. Observatio II. Altera est circa ea, quæ in *usum emolliendi* administrantur, & solius sui muneris sunt, & compositi. *Quæ solum emolliunt*, (inquit Galenus *l.* 5. *simpl. c.* 8.) *ea sunt modice calida cum apparente nulla siccandi vel humectandi facultate. Quippe quæ cognatam ac simillimam corporibus nostris caliditatem habent. Sed sunt etiam inter emollientia, quæ primo ordine calefaciunt; & secundo siccant, & tertio.* Sed hæc prætergrediuntur limites *mollientium*, & sunt quoque *digerentia*, atque *attenuantia*. Ob id ergo dixit Oribasius *l. XIV. collect. c.* 38. *emollientia medicamenta calidiora esse debere quam temperata natura.*

Mollientia quæ simul sunt & digerentia.

Cautio adversioque. III. Quapropter videndum est, ne pro *mollientibus* accipiantur *attrahentia* ac *dissipantia* in phlegmonis, videlicet ex crassa & lenta materia. Namque ita converti possunt in scirrhum: siquidem tenui portione discussa reliqua protinus occallescit. Quæ causa est, quod in articulis tophi & in renibus calculi vehementiore calore res moderante lapidescant.

Tophi & calculi quo gignantur calore.

Observatio IV. Verumtamen in iisdem phlegmonis, cum durities vinci cæpit, non est à ratione alienum, neque infrugiferum; ut præter *emolliendi* virtutem addita sit medicamento *digerendi* vis: sic enim tutum est uti.

Observatio V. Quinta observatio est. Cancrosi tumores omnes malacticis exasperantur, atque ad pejorem formam irritantur: ut *obser.* 89. se comperisse in multis perhibet Fabricius Hildanus chirurgus certè experientissimus. Illud autem ex eo fit, quod sicut docuit Galenus 5. *simpl. cap. modo citato*, mollientia sua apte natura sunt emplastica, Qua virtute calorem partis intro cohibent, atque augent. Quare cum calor cancrosi tumoris sit maxime putris, augetur ejusdem putredo. Atque ita majus est à malacticis detrimentum; & nullum beneficium.

Fabricius Hildanus.

Observatio VI. Insuper in partibus sua natura laxis & perdebilibus, quales sunt genæ, & oculorum canthi, genitalia loca, & circa podicem; in cartilagineis, ut auribus, naribus; in ipsis

mus

usculis; in tumoribus malignis, ut anthracibus, & id genus, on sic imponenda sunt malactica, ut non admittant etiam astringentia contrahentiaque.

Septima observatio. Emolliendis duris omnibus tumoribus & scirrhis, quorum lenta & contumax est materia, medicamentis immiscenda sunt incidentia atque attenuantia. Proinde non abhorrendum est ab aceto multo præsertim, hyssopite, thymite, origanite, atque aliis cum id genus rebus inoctis. Observatio VII.

Octava observatio. Distinguendæ sunt naturæ tumorum atque duritiæ. Nam aut fervet, aut non fervet eorum materia. Illi autem, qui fervent, aut tales in præsentia sunt, aut proxime esse possunt vel in futuro tempore, concalefacta atque excitata magis in humoribus alioqui frigidioribus putredine. Observatio VIII.

Adhuc etiam distinguendæ sunt partes obsessæ tumoribus, & corpora; potissimum secundum sexus, ætates, habitus, & vitæ genera. Alia enim medicamenta requirent mulieres, pueri, urbani, vitam otiosam sequentes: alia viri firmi, agrestes, & labore multo durata corpora. Observatio IX.

Decima observatio. Sunt aliqui abscessus, quibus integra omnino cute, infra putrida est caro. Hi, qui sint, alibi disputabo; *libro Iatrophysiognomoniæ* scilicet. Interim, quod ad rem nostram pertinet, non sunt hi diutius emolliendi suppurandique; namque ita augeretur putredo; sed cum primum se prodet abscessus, protinus aperiendus est, vel ferro, vel igne. Observatio X.

Jam igitur & secundum affectuum partiumque naturas, & corporum, quæ se curantibus offerunt habitudines, dictum fuit de *emollientibus*.

Porrò *emollientia* dirimes in *levia* & *valentiora*. *Valentissima* quoque non desunt: licet hæc purum *emollientium* ordinem longius excedant. Emollientium modus triplex.

Ex *levibus* numerantur aqua tepida, farina frumenti ex aqua decocta cum olei portione, ut polenta, butyrum, œsypus, lana succida oleo amygdalarum imbuta, medulla omnis, maxime suilla, & suillus adeps, & gallinaceus, sevum agninum, amurca, vitellus ovi, malva, althea, acanthus, Enumeratio levium:

pulpa

pulpa passæ uvæ, cera, lac, mica panis albi, præsertim calens, & oleo dulci imbuta, jura pinguia, hydrelæum, dulcia mala, & ea, quæ dicimus apia, cocta, sive ex lacte, sive ex hydrelæo, sive jure.

Quæstio de hyoscyamo. Dignum inquisitione hic est, quid sit, quod Oribasius *molliens* dicat *oleum hyoscyami*, & Avicenna *herbam apostematum* nominet; quæ frigidissima habetur, & ex stupefacientium est ordine. An fortasse, quod emplastica, vel quod ad remittendam inflammationem aptissima est? Equidem puto lentore & crassitie substantiæ benefacere.

Validiora mollitoria. E *validioribus* sunt coagulum, sapa, mel, saccharum, terebinthina, propolis, ammoniacum, galbanum, styrax, bitumen, ficus pingues, dactylorum pulpa, radix ulmi, radices ebuli, cucumeris agrestis, bryoniæ, iridis, lilii.

Valentissima. Sed *validissime mollient* admista communibus hæc: allium & cæpa cocta, stercus columbinum & gallinaceum. Crocus, fermentum, sal, etiam sulphur & calidissima quædam admiscentur ad scirrhos & strumas. Expositus Celsi locus. Celsus quoque *in l.* v. *cap.* 15. censet in his nitrum, nuces amaras, cardamomum, balsamum, rutam. Credo equidem propterea, quod emotus ad caliditatem status materiæ frigidissimæ, & quasi concisus ejusdem lentor & spissitudo per acrimoniam medicamenti facilius ad penetrationem emollientium pateat, dometur & evincatur.

De mandragoræ malactica facultate. Ex hoc quoque genere, reclament quantumvis aliqui, *mandragora* videtur. Talem enim experientia se ipsa prodit. Unde factum, ut Dioscorides ad molliendum laxandumque lienis scirrhum, panos & strumas; ad quos ipsos tumores usurpata est ab Aëtio *l.* 15. *c.* 5. valentem eam statuerit. Atque etiam Gulielmus Rondeletius, medicæ rei vir experientissimus si quis alius, *cap.* 37. ad distentiones & ad duros testium tumores proficuam professus est. Adhæc eo processit facultatis in hac herba mollitoriæ fiducia, ut ad ebur emolliendum efficacem Chymici combulliant. Andreas Libavius. auctore Andrea Libavio *l.* 2. *Alchem. tract.* 1. *c.* 8. Quod idem etiam è nostris P. Bayrus. asseruit Petrus Bayrus, medicus inter plurimos experientissimus, *l.* 24. *fine.* Quam rem primum ex Oribasio fluxisse credo; sicut paulo posterius apparebit.

Enim-

Enimvero ſtirpem opinantur aliqui frigidam. Verum haud ita placitum videtur Hippocrati; qui uterorum expurgatoriam, ac menſium propulſoriam plus ſemel fecit *in l. 1. de morb. ſect.* 3. & *ſect.* 4. & ad quartanam ſolvendam ea *ſect.* 2. *lib.* 2. *de morbis* uſus eſt, itemque ad convulſos *l. de loc. in homine ſect.* 2.

Sed neque dicendum ab Hippocrate oblatam *mandragoram* inducendo ſomno. Ad exſiccandum enim & calefaciendum exhibitam eſſe oſtendit illud, quod dum convulſis offertur, ignis adhæſum & ſacculos calidos tendinibus applicat. Accedit, quod ſpaſmus hic, qui ab Hippocrate curatur, hunc pro confeſſo à repletione & Lazarus Sotus loci enarrator habet, & nos omnes habere cogimur. Quare ſi frigida ſit mandragora, quid ſtultius, quam in ſpaſmo à repletione ea uti? Ad hæc in ſubditorium purgando efficax uteris impoſuit idem *l. de morb. mul. num.* 100. *&* 119. Lazarus Sotus.

Nimirum calida verius exiſtimanda eſt eadem, quoniam amara eſt & gravem odorem mittit: utpote vaporoſa & ſulphureæ portionis plurimum continens. Quemadmodum & de opio pereruditè demonſtrat Joſephus Quercetanus *in Pharmacopœa reſtituta.* Joſ. Quercetanus de opio.

Certe *dorycnium* huic perſimile natura fecit Oribaſius *lib. collect.* 5. *Atque hoc valet* (inquit *l.* 3 *ſynopſ. emplaſtrum elephantinum* deſcribens) *ad articulos contractos, ad callos fracturarum,* (emollit enim & ſolvit vitioſas agnationes,) *itemque ſtrumas amotu difficiles, atque ad ea, quæ induruerunt, & quæ ægre maturantur, quæque contumacia ſunt: nam diffundit, emollit, digerit, ac diſcutit vehementer. Quod ſi eboris portionem medicamento illinas, itaque decem dies illitum dimiſeris; ita mollem effeceris, ut perfodi queat. Si vero plures dies ita continueris, molle videbis æque ac lorum.* Addit & Oribaſius medicamento dorycnii & mandragoram, eodem ut conſtat effundendi molliendique conſilio. Sed ex Oribaſio confirmationes quid emendico illatitias? Idem ipſe auctor *l.* 14. *collect. med. c.* 10. conceptis verbis profeſſus eſt *mandragoram non nulla parte calefacere totam, atque etiam ſecundum radices exſiccare.* Ita de mandragora medici chymiſtæque. Dorycnium emolliendo ab Oribaſio propoſitum.

Quid quod autem ad concipiendum hujus plantæ poma à ſorore Lia exigit Rachel *ſacræ Geneſeos* 30? Neque enim ad Rachel cur poma mandragoræ expetierit.

commoderandum uteri calorem ipsam exoptari cum Levino Lemnio credes; verum ad expurgandum aperiendumque ipsum, cum hystericam plantam esse cognoverimus ex Hippocrate, sicut dixi. Lege autem quæ in hanc rem differit Jo. Langius *in sympofio de republ. med.*

Propria experimenta. Hactenus hæ quidem malacticæ in *mandragora* facultatis persuasiones & confirmationes fuêre. Cæterum experimenta ejusdem rei nobis anteacto tempore fuêre quam plurima. Narrabo autem ex his pauca, quæ satis fuerint.

Uxori Caroli Calomiæ à suppressis mensibus facto in genu decubitu contracta sunt & complicata femur & tibia, sic ut incessu per duos annos mutilo fuerit. Atque hanc ego non alio medicamento quam mandragoræ, eo præsertim quod à Rondeletio *citato loco* descriptum est, atque ex eadem radice fotibus curavi.

Ingratus. Francisco vero de Lauro pictori, quem hominem ingratæ repensionis causa commemorare haud deberem, testem jam tribus annis obduratum, fotibus ex hac primum radice & vervecis ventre, nec non aliis ejusmodi rebus decoctis, mox impositu emplastri jam recitati, brevi discussi.

1621. Scipio de Guido, lignearum sellularum constructor opifex, ex longa & assidua per labores artis, atque inclinatu perpetuo pectoris defatigatione passus erat jam multos men-
Apospasma. ses retractionem xiphoidis cartilaginis ad superiora, simulque musculis pectoris sursum revulsis sternum in medio thorace imbricatum fere habebat. Ex quibus partium perversionibus dolor gravis ac perennis erat homini, sic ut inclinari agique aut brachia tendere minime posset. Quem nos hominem ex jure molli cum decocta mandragoræ radice atque hoc genus herbis, tum vaporato, tum proxime applicito, naturalibus suis muniis integrum reddidimus, collega Francisco Antonio Crispo medico consummatissimo.

Compositiones. Dicendum nunc de *compositis*. Ex his sunt oleum irinum, unguentum dialthæas, ceratum è meliloto, emplastrum diachylon majus; quod nonnulli pyritis lapidis tritura addita credunt fieri validius, autore, ut equidem credo Celso *in l. 5. c. de malagm.* §. ad strumas & phymata. Efficaciter scirrhum emollies, si primum loco unguento dialthæa delinito & em-

emplastro è meliloto per aliquot dies foto, lapidem pyritem, aut molarem, aut silicem igne candentem acetoque acerrimo demerges, vaporeque sublato locum pannis circumquaque contectum infumabis. Quam rem confectam semel, secundo ac tertio repetes, donec profecisse videris ex toto. Hoc contumacioribus scirrhis medicamentum est valens. Paulo minoris efficaciæ est hoc, quod ℞. alth. iridis, liliorum, ebuli an. ℥j. fol. malv. althææ & acanthi an Mj. ficus pingues concisas num. viij. Coquantur dum contabescant. Tritis & cribro cretis adde radic. bryon. & cucum. agr. crud. & contusf. adip gallin. & anat. an. ℥ij. Rursus modice coquantur in cataplasma.

Commodum tumoribus ex frigidis crassisque succis est hoc, quod ℞ cæparum & alliorum coctorum in cinere an. ℔. ß. vitellos ovi. Num. ij. aut iij. rad. lapathi coct. ℥iij. farinæ fœnigr. ℥jß. fermenti tritici ℥ß. axung. ℔. ß. Incorporentur omnia.

Hæc formæ crassioris medicamenta sunt. Cæterum sunt & fermenta ex nominatis radicibus herbarum herbisque ipsis, incoctis aqua vel hydrelæo: quibus vel per se, vel ante emplastrorum impositum uti licebit.

CAPUT XII.

De suppurantibus & maturantibus.

Duo hæc medicamentorum genera, ut etiam *maturationem suppurationemque*, multi solent confundere; sed indocte: namque sunt ea diversa. *Maturatio* quippe est *concoctio & modificatio peccantis humoris ad naturæ rationem atque habitudinem, sic ut putredo illa non restet.* Πεπασμὸς hæc Græcè dicitur. Itaque refert hæc proxime quantum fieri licet optimam πέπανσιν. Longe deficiens ab his numeris est *suppuratio*; quæ est *putrescentis sanguinis in pus mutatio:* inde enim deductum nomen suppurationis, & Græcè ἐκπύησις dicitur. Suppuratio ac maturatio longe diversæ.

Hanc utramque operam licet naturæ sciamus propriam, & non medico neque medicamento communem; nihilominus usus obtinuit, ut utrique naturæ beneficio respondentia duo fuerint medicamentorum genera, *maturantium* puta & *sup-*

ſuppurantium. Quod utrumque alias quidem ipſum efficit quidpiamque imprimit calori nativo augendo aut conſervando, cum huic ſit ſimile temperatura & maxime conſentaneum; unde & in humorem, qui vitium conceperat, vim immittit naturæ quam ſimillimam: alias vero, ut moderate calidum atque humidum juvat illum ex accidenti per vim emplaſticam, quam defert eundem intro cohibendo, nec effundi ſinendo; quemadmodum inferius enarrabo. Interim dicemus de *ſuppurantibus*.

Ex ſuppurantium genere mollientia.

Ex horum genere ſunt & *emollientia calidæ* atque *humidæ* ſeu *temperatæ naturæ*; quorum memini deſcripſiſſe multa ſub eo capite, quæ nos quidem principio ponentes diximus eſſe ex levioribus, aut quæ ſunt paulo validiora; dummodo ad acrimoniam non deſcendant, & ſiccandi facultatem declinent: ſive quidem hæc ſimplicia acceperis, ſive compoſita.

Affinia ſunt maturantia, ſuppurantia, mollientia.

Proxima enim ſunt, & uſus prope reciproci ac mutui, *maturantia*, *ſuppurantia*, *mollientia ſimplicis facultatis*. Et cauſa quidem eſt mea ſententia, quod cum temperata & mitia ſint omnia, per horum quælibet adjuta natura, quo inclinat trium operum illud proficit. Atque hinc eſt etiam, quod

Docti medici conſilium in dubio tumore.

docti medici plerumque temperatum & dulce remedium imponunt dubio tumori, negotium naturæ committentes, ut quod illa deſtinaverit exequatur. Verum enimvero, *ubi deliberata ſuppurandum*, præceptum eſt J. Heurnii *l.* 2. *meth. pract. c.* 1. *ut unguinibus opimis acria ſemper admiſceantur*; *ut ad ficus fermentum*, *&c.*

J. Heurnii præceptum.

CAPUT XIII.

De Emplaſticis medicamentis.

In his & laxantia humectantiaque comprehendi poſſunt.

Emplaſticorum nomen. Definitio. Emplaſtica contraria ſunt detergentibus, diſcutientibus, diaphoreticis.

E*mplaſtica* dicta ſunt ἀπὸ τοῦ ἐμπλάττειν, quaſi *locum implentia atque occludentia per infarctum & obſtruentia*. *Sunt enim* definitore Galeno *medicamenta*, *quæ vim habent obſtruendi meatus cutis*, *& corporis quaſi tegentia*, *& ad illitum venientia*. Contraria quippe *detergentibus*, *diſcutientibus*, *& diaphoreticis*. *Namque illa*, ſicut Galenus ait *in libro quinto ſimplicium capite*

te 12. ſubſtantiam innati caloris augent non intendentia qualitatem, obſtructuque pororum corporis halituoſos tranſpiratus includentia pus movent in collectionibus. At horum quidem contraria effecta ſunt à detergentibus digerentibuſque, quæ halitus corporis difflari permittunt, eliciunt, & exſiccant.

Sed à *ſuppurantibus* cum non diſcrepent *qualitate* aut *ſubſtantia*, differunt autem *uſu*. Namque ad *obſtruendum* adminiſtrata in hecticis & maxime maraſmaticis oleum amygdalarum dulcium & alia id genus dicentur *emplaſtica*: in uſum vero *ſuppurandi* tracta olea & pinguia corpora dicuntur *pus moventia*. Emplaſtica ut differant à ſuppurantibus.

Dum autem *emplaſtica* ac *ſuppurantia* ad hunc modum conveniunt, differunt utraque à *mollientibus*, auctore Galeno *in dicto loco*: quod *emollientia* quædam calidiora ſunt & ſicciora, ut ammoniacum, galbanum, bdellium, & gummi alia, ſtyrax, & aliæ lacrymæ; aliquando etiam ſulphur & alia ignea, quæ ad ſcirrhi remollitionem immiſcentur medicamentis: ſed *pus moventia* cognatam ac ſimillimam corporibus noſtris caliditatem habent. Emplaſtica & ſuppurantia ut differant à mollientibus. Calida quædam & ſicca molliunt.

Licet autem *emplaſtica molliant* etiam, id tamen faciunt communi caloris facultate; ſed ſervata ſemper obſtructione: at vero non ita *emollientia* ſimpliciter. Inſtantia.

Præterea differunt *emollientia* ab *emplaſticis* & *pus moventibus*; quod *hæc* humorem, qui præfuit in partibus induratis conſervant: *emollientia* vero paulum quiddam ejus abſumunt. Altera differentia.

Igitur *temperatura emplaſticorum* ex Galeno *collecta eſt calida & humida temperata*: *materia vero non poteſt eſſe niſi pinguis & illitoria.* Temperatura emplaſticorum ex ſententia Galeni.

Contrariam his qualitatem ſtatuit Fernelius, qui dixit *materiam emplaſticis ſubſtratam eſſe frigidam, craſſam, terrenam*: ſecundum quas conditiones ſingula ſua multa ſimplicia enumerat. Fernelii contraria Galeno ſententia.

Cauſam diſcrepantium tam mire ſententiarum, Galeni quidem agentis de lenibus & adipoſis, Fernelii vero volentis de viſcidis & adſtringentibus, refero quidem ad unum nomen anceps & æquivocum, quod eſt *emplaſtici*. Cujus una ſignificatio dicit adhærentiam & tenacitatem, altera vero in- Galeni & Fernelii ex qua re ortus diſſenſus. Emplaſtici verbum ambiguum.

farctum & obstructionem. Posteriorem hunc sensum secutus est Galenus, priorem vero Fernelius: licet enim Galenus *l.* 4. *simpl.* 5. *&* 6. emplastica viscosorum sensu tractavit.

Galeni probatior sententia, quam Fernelii.

Omnibus autem modis satisfacit Galenus: siquidem emplastra, quæ nos vulgo dicimus, cum cutem integant presse; tamen effluxum cujuspiam humoris non prohibent, & interdum molliendo substantiam aliquam ut dissipent, necesse est.

Defensio Fernelii.

Quod si tueatur se Fernelius, dicens accipere se *emplastica* frigida: requiremus nos tunc illum, & quid non comprehenderit etiam calidiora modice; ad quæ patet æque vis & amplitudo nominis emplastici? Galeno igitur justius adhæremus, in cujus opinione nulla difficultas est: quamquam si emplastici nomen latius accipimus cumque sensu suppressionis, Fernelii quoque placitum possumus ex aliqua parte retinere. Sic igitur dicimus enumerantes *emplastica*.

Enumeratio emplasticorum.

Triticum ex his primum ponitur, sive hujus farina cum ovi liquore, (quod etiam emplasticum est,) aut oleo, aut adipe, aut aqua denique commisceatur. Post hoc est amylum, licet siccius frigidiusque. Emplastica item est omnis argilla, terra Lemnia & Armenia, gypsum, & hujusmodi alia. E gummis tragacanthum & gummi Arabicum. E lacrymis thus, sarcocolla. Ex animalium excrementis œsypus, cera. Ex animalibus ipsis cochleæ. Ex stirpibus malva & althæa, cacalia, sesamum. Mucago omnis. E metallicis vero lythargyrus chrysitis & argyritis; & maxime si cum oxelæo decocta sit ejusdem tritura. Plumbum etiam ex hoc genere est, & cerussa, quæ ex eo conficitur. Alumen denique quod primas tenet inter adstringentia.

Ex *compositionibus* proferemus hanc, quæ sanguinis aliorumque humorum fluxum sistit. ℞. boli Armeni aceto diluti ℥j. amyli ℥ß. sanguinis draconis aceto infusi, mastiches, myrrhæ, olibani, ana ʒj. ß symphyti, rosarum rubrarum, ana ʒj. Trita omnia ovi candido & oleo rosato, vel myrtino excipiuntur in cataplasma.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Pyroticis ſive cauſticis.

Πυρωτικὰ Græcis ſunt idem, quod Latinè *perurentia* atque ad *ignis modum incendentia*. Medicamenti nomen commune multis, *quæ corpori admota ruborem caloremque accendant, atque etiam, ſi diutius immorentur veſiculas creent, tandemque exulcerent*. Species iſtorum ſunt *dropaciſmus*, quem à præcipua ejuſdem materia *picationem* vertêre multi: *ſinapiſmus*, ſimiliter & prævalentis materiæ nomine dictum medicamentum: *phœnigmus*, id eſt aduſque *ruborem excalefaciens*: *cathæretica*, id eſt, *corrodentia*: *ſeptica*, hoc eſt, *corrumpentia*: *eſcharotica*, id eſt, *cruſtas inducentia*. Tria quidem priora genera ſub *metaſyncriticis*, id eſt, *è profundo foras evocantibus medicamentis* comprehendêre veteres. Per quos excogitata ſunt hæc auxilia ad refrigeratas quaſcunque partes excalefaciendas; confirmandaſque eas, quæ vel frigore, vel fluxione debilitatæ torpeſcunt.

Pyroticorum ſpecies. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Dropaciſmus, ſinapiſmus, phœnigmus, remedia metaſyncritica. Uſus iſtorum.

§. 1. *De Sinapiſmo.*

Sinapiſmus eſt *cataplaſma ex ſinapi trito & appoſito*; ſi *ſimpliciſſimus* ille ſit. Sed tamen hoc non contenti veteres, *cum ficis* componebant, ita præparantes. Ficus pingues aqua tepida pridie macerabant, poſtridie manibus diligenter expreſſos contundebant, deinde ſinapim quam acerrimam privatim terebant, ſed adjecto interim ficuum cremore ad faciliorem trituram; quæ ne aquoſa redderetur, diligenter curabant. Tum in maſſas leves redigebant, alteram ex caricis, ex ſinapi alteram. Fiet autem *ſinapiſmus vehemens*, ſi duas partes ſinapi, uni caricarum parti addamus: *mediocris* vero ex paribus utriuſque portionibus conſtabit: ſin *mitior* exigatur, tertiam partem ſinapi, duas caricarum commiſcebimus. Pro caricis vero pane lævigato utimur in his, quibus vitium ad cutem eſt. *Propria* tamen *ſinapiſmi materia ficus erat & ſinapi*. Nec ſine prudenti conſilio duo hæc ſimplicia delegerunt in medicamentum antiqui. Sinapi quidem, quod potentiſſime attrahit: *namque*, ut refert Plinius *l. XX. c. XXII.* *Py-*

Quid ſinapiſmus.

Ratio parandi ſinapiſmi.

Modus triplex ſinapiſmi.

Ratio ſingularum materiarum.

Sinapi cui usui. Ficus.

Pythagoras principatum illud habere ex his, quorum in sublime vis feratur, judicavit. Sed ficus, præterquam quod materiæ loco sunt; duas etiam egregias commoditates exhibent, & quod sinapis acrimoniam ac mordacitatem quadantenus remorantur, & quod peculiari quadam dote humores ad cutem attrahunt, sive vorata, sive corpori forinsecus applicita.

Expositio falsa Mercurialis.

Hæc fere Hieronymus Mercurialis; qui licet falso interpretatus est (*in sublime ferri*) quod in nares & cerebrum rapi postmodum explicat Plinius per *id, quod est è profundo attrahere:* tamen sinapis ad attrahendum & multas, & præclaras virtutes prodidit Dioscorides *in secundo materiæ medicinalis.* Secundum tamen partes moderandum, ut in urethra.

Dioscorides.

Locus sinapismi inungendus est prius. Ubi collocandus æger sinapismi tempore.

Linteo aut panno sinapismus illitus adhibetur. Locus vero, cui admovendus est sinapismus, prius nitro illinatur; & omnino inunctus esto; eique ita cataplasma sinapis adhibeatur, & supra ligetur. Utendum autem sinapismo in sole, aut aprica domo, aut ante balneum.

Ubi sinapismus non agat, quid agendum sit.

Certum temporis spatium, quo teneatur, definiri non potest, propterea quod alii citius, alii serius sensum ejus percipiant. Ergo sæpe intueri locum oportet, utrum satis ruboris contraxerit. Si vero longo spatio admotum sinapi non agat; tum spongiis aqua calida imbutis & panno, in quo cataplasma est, appositis locus fovendus, atque æger in balneum ducendus & perfundendus est, primo, secundo & tertio die perungendus: & si pustulæ eruperint, & dolor urgeat; curandus oleo amygdalino & succo malvæ. Atque adhibetur quidem balneum ad attenuanda cutis commoda: unguina vero & illitus ex oleo faciunt eo, ne allapsus alibilis succus exhauriatur, calidusque spiritus inductus evolet, sed cohibeatur contineaturque conclusis poris. Propterea sunt, qui in oleo, puta chamæmelino aut amygdalino, tragacanthum dissolvant.

Balneum cui usui. Unguenta cui usui.

Sinapismi usus.

Sinapismi usus rarior est in acutis & infrequens; nisi in segnioribus stupidisque naturis: ad diuturnas vero ægritudines ferme omnes, ubi aliorum remediorum vim imbecilliorem & minorem morbo cognoverimus, efficacissimus sinapismus est. In cephalæa, hemicrania, epilepsia, vertigine, insania, catoche, lethargo: atque hæc capiti. Pectori vero in asthma-

Morbi, qui sinapismo curantur.

asthmate, orthopnæa, tussi longa, defluxione ad fauces. In stomacho vero & ventre in longis ipsorum morbis omnibus, ut vomitibus, cruditatibus, cœliaca. In artubus vero & articulis, ischiadi, podagræ, paralysi, refrigerationique omni partis, quæ difficile excalefieri potest: maciei & atrophiæ, & spleneticis, & hydropicis.

Jam vero in artubus procurandis, qui doloribus à causa frigida profectis torquentur, peroportunus est usus sinapismorum. Id quod non multo pridem est comprobatum in Curtio Pyrocto medico hermetico-dogmatico non ignobili. Qui cum secundum femur acerrimo dolore periostii musculorumque subteriorum afflictaretur, nullis medicamentis probatioribus adjutus, ultimam ex usu crebro sinapismorum opem sensit. Lixivium præfert Petrus Salius *in Altomarum adnotatione* 2. Aceto abstinendum; ut monuerunt Oribasius *lib.* 10. *collect. cap.* 13. & Aetius *l.* 3. *cap.* 181. & post hos J. Hollerius *lib. de mat. chirurg. cap.* 5. Historia Anno 1618.

Cavendus istorum usus in macilentis, & interno ulcere laborantibus, in cartilagineis partibus & excarnibus.

Terminus actionis medicamenti esto, ut æger vehementer doleat, caroque fiat altior, & rubicundior. Quo tempore absistendum ab usu medicamenti, ne nimium hoc procedente subsidat tumor, atque à rubore dealbescat. Ita enim exhaurirelur attracta utilis materia, qua congaudet pars, quæ intabuerat prius. Terminus actionis.

Hæc atque alia tum Oribasius *l.* 10. *c.* 13. tum Paulus Ægineta *l.* 7. *cap.* 19. Quorum verba quandoque potius exscribere, quam inepte imitari maluimus. Oribasius. Paulus.

§. 2. *De Dropacismo.*

Dropax, ut malagma paratur, usumque cataplasmatis præbet. Convenit morbis diuturnis, quibus etiam sinapismus est idoneus. Et cum quis sinapismo uti velit, prius dropacem adhibet, ut corpus ad sinapi præparet: & post sinapismum quoque adhibetur, ut reliquiæ morbi evellantur. Si calefacere præter modum oporteat, accipere debes pyrethrum, cachri, & bitumen: si siccatione opus sit, sulphur ignem non expertum, salem, cinerem sarmentorum: si scarificare velis, Dropax; quæ medicamenti forma, & quibus usibus sit. Dropax præparatio quædam.

euphorbium. Quamquam compositi sunt hi potius quam veri dropaces. Ungere vero locum oportet, dropace prius excalefacto. In his, qui sunt imbecilliores, partes prius abradendæ, sed medicamentum sit tale, quod ferre queant. Robustioribus vero efficaciore indigentibus partes non abradendæ; nisi forte caput, mentum, pubes.

In usu dropacis in ungendus est locus.

Psilothri usus.

Ad hunc ergo usum sunt adinventa *psilothra*, hoc est, *depilatoria medicamenta*; sub dropacis propterea genus à Poëta Martiali relatum in his:

Dropace tu quotidiano,
Hirsutis ego cruribus genisque.

Quorum quidem psilothrorum descriptiones habes apud Paulum *in l.* 3. *c.* 22. apud Aëtium *tetrab.* 5. *serm.* 2. *c.* 64. apud Oribasium *l.* 10. *c.* 4.

Dropacismus quotuplex. Confectio dropacismi.

Porro dropax *simplex* est & *compositus*. *Simplex* est ex sola pice depilatorius, de quo proxima facta est mentio. *Compositus*, ex quo genere exulcerans dropax privatus est, recipit piper, & pyrethrum, & sulphur, sal, bitumen, cinerem sarmentorum, ad artem. Ad summam, *cathæreticis*, *septicis* & *causticis* admiscetur. Vid. Gal. 3. *comm. off. med.*

Duplex istorum est *parandi modus*; ut nunc inducatur *crassus*, nunc *tenuis*. Hic porro tenuibus & imbecillis, alter crassis & valentioribus competit.

Adversio.

Advertendum autem, ne quando tertium caloris ordinem exsuperent. Finem alioqui suum, qui *rubificatio* est, prætergrederetur.

Sed *dropacismi simplicis administratus* hic erat *veteribus*. Picem oleo quam paucissimo liquatam linteo inducebant, calentem partibus refrigerari sinebant, subinde vi divellebatur. Rursus aliud picatum linteum calidum imponebant, & refrigeratum similiter divellebant. Atque hoc pluries repetebant, usque dum abunde rubesceret locus. Hæc veterum erat picatio. Hæc & alia *c.* 12. *lib.* 10. Oribasius, & Paulus *in c. lib.* 7.

Alium administrandi modum proposuit Johannes Costæus *l.* 1. *de igneis med. præsid. c.* 22. ut abrasis vel secus pilis, (non abraduntur autem quibus alioquin valentibus majore opus est sanguinis attractu,) affusa mox aqua calente, vel ex aspero pan-

panno, nitro, ſale, pipere, defrictio valida fiat. Nimirum ſi pars ex his calet aut rubet, confidendum remediis: ſin minus, contra. Sed ubi pars rubuit, materia dropacis tenui corio inducitur, calide admovetur, non refrigerata detrahitur. Qui detractus tum confertim fit, ſiquidem attractu multo opus eſt; tum ſenſim & interfuſa ſub cutem & medicamentum aqua tepida, in quibus paucus & modicus attractus eſt ſatis. Medicamento jam amoto, emplaſticis, quæ perſpiratum prohibeant, utendum. Ejuſmodi eſt per aquam furfurum fotus, aut lotio.

Addidit & Heurnius *l.* 1. *pract. methodi*, diſcrimina trium pyroticorum, quæ ſunt. *Dropacis uſus*, eſt *immutatio partis ad ruborem : Sinapiſmi* vero ſunt *veſiculæ.* Fitque *ille* ex calidis in tertio : *hic* vero ex calidis in quarto. Atque hæc quidem differentia *una* eſt. *Altera*, quod *dropax totum amplectitur membrum : ſinapiſmus* vero *perexiguam membri particulam.* Diſcrimina dropaciſmi & ſinapiſmi.

Picationis porro meminit Galenus 14. *meth. c.* 16. & 6. *ſan. tuendæ c.* 8. Picatione ad membrum, è fractura attenuatum, uſus eſt Albucaſis *l.* 2. *c.* 22. *p.* 305.

§. 3. *De Phœnigmis.*

De *Phœnigmo* dicendum nunc eſt; qui ſecundum Heurnium diſtat à *ſinapiſmo* partim in adminiſtratu quantitatis emplaſtri : *ſinapiſmus* enim *aurei fere magnitudinem non excedit, ſpatioſius excurrit phœnigmus*; *& deinde etiam hic exulcerat*, (licet *rubificationem* verterunt interpretes, tum Galeni in *l.* 7. *meth. cap.* 4. tum *Pauli in l.* 39.) *ſinapiſmus* tantummodo *veſicas movet.* Ab hoc tamen nihil differre videntur *veſicatoria*, quæ vulgo dicunt, in febribuſque malignis adhibent, ratione *uſus:* quia noſtri utuntur iis in morbis etiam acutis; ſed veteres in acutis eos evitabant, & adhibebant in diuturnis & frigidis, tum, qui tales ſunt ſua natura, tum, qui primordio quidem fuêre calidi, ſed converſi poſtmodum ſunt in frigidos. Simili ratione differunt à *phœnigmis.* Omnino autem nova ſunt medicamenta veſicatoria; ſicut advertit Hieronymus Mercurialis *in l.* 3. *de comp. med. c.* 23. Et hæc ſola remanſerunt nobis ex univerſo genere pyroticorum; ſiquidem communis atque eadem fere ſit materia dictorum iſtorum omnium.

Phœnigmi ac ſinapiſmi diſcrimina.

A ſinapiſmis veſicatoria qua in re differant.

Veſicatoria ſunt nova medicamenta.

Phœnigmi materia.

Præcise autem ponuntur *phœnigmi materia* & nasturtium, & sinapi, scilla, bryoniæ radix, ranunculus, urtica, thapsia, cantharides, viburni cortex interior Paræo *l.* 17. *c.* 22. euphorbium, fimus palumbinus & caprillus, allium, lac ficulneum, tithymali, viscum, fermentum, mel, & id genus acria emplastica pro commassatu. Sunt etiam, qui lana sordida carminata nimium calente, assis carnibus & ovis ab igne subinde extractis utantur.

Utendi phœnigmi ratio duplex.

Ratio igitur *utendi phœnigmi* est *duplex*: vel, ut aridæ materiæ contritæ affricentur loco, deinde emplastra imponantur; vel pulvisculus, verbi causa sinapi, piperis, euphor an. ℥j. anacardino melle, vel axungia vetusta, vel terebinthina & reliquis resinis, vel cerato acri, puta Martiato, concorporata injiciatur.

Frictio præparatoria necessaria. Ad aliorum etiam pyroticorum præparatum defrictio necessaria.

Omnino autem priusquam utrumlibet fiat, *præparanda concalefaciendaque pars* est *frictione* duriori, leniori, mediocri, prout subjecta corpora exigunt, duriora, molliora, media; duris quidem opponendo lenia, mollibus vero acria. Quæ lex etiam & moderatio accipienda est in delectu atque impositu pyroticorum valentiorum, mitium, & mediorum.

Morbi, qui præsidiis hisce levantur. Viscerum repurgatio persæpe & a phœnigmis est.

Hac quippe via & his medicamentis levamen referunt hi, qui vel coxendicum, aut hemicranicum, aut arthriticum podagricumque, gravem dolorem diu noctuque conqueruntur. Tribuitur quoque his persæpe viscerum repurgatio ex frigida lenta, gravante virtutes & dejiciente, materia; quæ etsi virulenta tetraque sit, ut in pestiferis & pestem referente lue, atque hoc genus aliis tetris affectibus, potest & eâdem arte revelli. Itaque non negligendus in his est usus hujusmodi pyroticorum.

Compositiones Fernelii.

Compositionum aliquot exempla proposuit Fernelius, quarum pars sunt hæc.

Pyroticum ampullis excitatis aquam educens.

Saponis nigri & salis vulgaris triti ana pares portiones concorporantur emplastri forma. Impositum ampullas excitat, & aquam nullo cum sensu doloris educit.

Aliud. Cantharidum tritarum pars una, seminis sinapi contusi particulæ tres, pulpæ ficuum aut fermenti acerrimi particulæ sex concorporantur.

Aliud. Rec. canthar. præp. ℥j. sem. sinapi ℈j. fermenti

tri-

ritici & axung suill. singul. ℥ß. aceti scillit. q. s. ad fingendum, utere. Vel hoc, quod simplicius est & acrius. ℞. canth. præp. ʒiß. sapon. nigri. ℥ß. aceti scill. modicum. misc.

Sunt aliqui, qui ad certiorem medicamenti efficaciam, inductis ad lintea modulis ex hac massa pulveratas cantharides rursus inspergunt.

§ 4 *De Cathæreticis.*

Reliqua supersunt *pyrotica* mehercules *vehementoria*. Quorum prima occurrunt καθαιρετικὰ Græcè, *corrodentia* Latine, & per Celsum *exedentia* nuncupata. Nam fungosas quasdam ulcerum excrescentias, aut carunculas putridas, item polypos, & sarcomata, & verrucas, & callos sua ipsorum vi detrahunt. Corrosivorum usus.

Est autem hoc medicamenti genus quarto ordine calidum, substantiæ adhærens prætenui, proptereaque valde penetrans in profundum. *Ratio autem agendi est, ut penetrantia & calore nimio liquefacientia prope ac resolventia particulas, humidum, quo ipsæ colligantur, educant. Sic minuitur substantia partis, atque exteritur.* Ita fere Dinus *in fen. quartam quarti libri tract.* 3. *pag.* 91. *col.* 3. Aliter Arnaldus *introd. med. cap.* 44. qui dicit *ex acutie ignea consumi carnem, sicut ab animali corroduntur ossa.* Sed ex J. Gorræo *genere & facultate sunt septica*, hoc est *putrefacientia*; *sed multo tamen his imbecilliora. Nimirum extimam tantummodo superficiem, quæ prima occurrit, detrahunt; verum intimius ferri vel altum corpus penetrare non queunt, medium interpositum valide detergentia, & cutem inducentia vulneri, nacta locum.* Gradus caloris. Modus agendi. Dinus. Arnaldi sententia. J. Gorræus. Corrosiva septicis imbecilliora.

Hæc medicamenta sunt *duorum modorum*; alia *valentia*, alia *debilia*. *Ex posteriori ordine* sunt, spongia marina, alumen, hermodactyli, cinis concharum, & lanæ, item herbarum pyroticarum, ut tithymali; pumex & vini fæx cremata. *Valentia* vero sunt omnes chalcanthi species, calx viva, æris squamma, & æris flos, & alia multa. Corrosiva duplicia. Leniora. Valentia corrosiva.

E *compositis* est unguentum Apostolicum & Ægyptiacum, trochisci ex calce viva; qui constant ex ipsa & melle subacta massa, & in furno calide siccata. Item hoc, quod ℞. succi rad. asphodel. ℥iiij. calc. vivæ ʒij. ærug. ʒj. m. & ad ignem sicca. Composita.

Chymica,

E *chymicis* vero paratis est oleum chalcanti, oleum sulphuris, oleum tartari, oleum calcis, oleum æruginis descriptum à Joanne Hartmanno.

E *compositioribus* vero olea quædam descripta ab Euonymo *thesauri iatrochymici parte posteriore titulo de oleis*, atque aliorum alia.

§. 5. De Septicis.

Gal. l. 1. simpl.

Septica sunt *putrefacientia*, sive *corrumpentia*, sic dicta propterea, *quod spiritum & humorem partis contactæ corrumpunt ita, ut non sit pars corporis nisi æquivoce*. Quamobrem sunt naturæ & ejus calori maxime inimica; nec tamen frigida; ut par esset, sed summe calida, excessu suo qualitatis insitum animalis calorem dissipantia; quem in ignem convertunt, atque humido primigenio destituunt. Quo fit, ut pars nigra aut livida relinquatur, colore mortis finitimo.

Septicorum extremus calor.

Crassa septicorum materia, cui facultas inhæret.

Crassæ materiæ credita est inhærere istorum virtus, quod tenuior à calore nativo vinci dissiparique possit.

Joanni Fernelio septica inutilia judicata.

Septica quibus in morbis utilia.

Hippocratis sententia.

Maligna prorsus & *deleteria* est *istorum facultas*; proinde à Fernelio censentur inutilia, & ad chirurgiam minimo minus necessaria, sed perniciosa & lethifera. Nihilominus in aliquibus non sunt omnino rejicienda, ut in cancro, fistulis, callosisque ulcerum duritiis, iis præsertim, quæ in loco abdito coiërunt. Ad hæc in tuberculis & sarcomatis, in quibus non licet per ægrotos igne uti. Usus autem & Hippocrates est septicis, ut *l. de loc. in hom.* per hæc ostenditur: ἕλκος πεπωρωμένον ἐκβάλλοντα τὸ σκληρὸν σηπτηρίῳ φαρμάκῳ ἔπειτα ἐνάγειν, *ulcus callosum factum ejecta primum duritia, constringere deinde oportet*. Et *l. de hæmorrh.* ἀποσῆπαν, &c.

Leges in adhibendis septicis servandæ.

Verumtamen sunt in horum usu hæ leges servandæ.

1. Prima est, ut aceto, vel succo limonis, portulacæ, sempervivi, solani sint maceranda & prædomanda.
2. Secunda, ut cerato, vel oleo componantur: est enim oleum ad acutarum rerum frangendam vim maxime accommodatum.
3. Tertia, ut modica quantitate & pauco tempore adhibeantur.
4. Quarta, ut à parte quacunque principe valde semper sint dissita.

Quin-

Quinta, ut circumliniatur parti refrigerans & repellens ſ· unguentum.

Sunt autem è *ſepticorum ordine* arſenicum, auripigmentum, ſandaracha, ſublimatum, dryopteris, aconitum, & ex *compoſitis* paſtilli.

Maximum & inflammationis cavendæ felicitate innocentiſſimum puto ſepticum è lixivio calcis ea præparatione confectum, quam deſcripſit & Euonymus, & St. Gurmelæus, & Bartol. Magius, & A. Paræus, & J. Heurnius, & C. Claudinus, & plerique alii Quo medicamento & nos uſi ſumus ſemper potiti voto, ut locuples nobis teſtis eſſe poteſt Petrus Nacta, alias collega noſter & conterraneus, nunc vero medicus Romanus & familiaris Illuſtriſſimi Principis Perecti. — Septicum è calce inter omnia probatiſſimum ac tutiſſimum. — Petrus Nacta medicus.

Non omittendum eſt, ex *corrumpentium genere* eſſe *callos detrahentia*, ἐκτηλωτικὰ Græcè, ſive illi ſint extrinſecus in pedum videlicet digitis & manuum, ſive in fiſtulis concreti. In his igitur albus helleborus laudatur, in illis vero ſcilla cocta & cum calce commiſta. — E ſepticorum genere callos detrahentia.

His quidem utimur in integra cute multoties ad tabefaciendum, ut ſine dolore poſſimus inſecare pro his, qui ſectionem cum ſanguine verentur; aut ubi ſectio, vel ab ipſo medico cavetur, ne videatur carnificina, amplo ſcilicet & lato reſectionis ulcere.

§. 6. De Eſcharoticis.

Jam de *eſcharoticis* pauca. Hæc cum *ſepticis* communi gaudent exceſſu caloris, ſed craſſiore materia ſubnixa exurunt magis. Erodunt vult Hollerius, Cui non aſſentior equidem perſuaſus à nigrore cruſtæ perpetuo, qui indicat ſe eſſe ab exuſtione ac coctione. Mecum conſentit Arnaldus *introd. med. c.* 47. dicens *cauſtica hæc ubere concurſu ignis cum multa pari terræ portione ſupra modum exſiccare ſuperficiem, quæ occurrit, & in teſteam cruſtam vertere.* Item Nicolus *hoc cap. quod eſt* 82. — Craſſiori materiæ nixa eſcharotica quam ſeptica. — Non erodentia ſed exurentia ſunt eſcharotica. — Nicolus.

Hujuſmodi ſunt calx viva & vini fæx cremata, veratrum, oleum vitrioli, oleum ſulphuris, capitellum, id eſt, aqua ſaponis prima, & quæ ex hoc conficiuntur medicamenta; aqua fortis, quæ paratur ex alum. rotundi, vitrioli Romani, — Eſcharoticorum enumeratio.

ſing.

sing. ℔j. sal. nitri, aut si hoc non adsit, fæcis aceti crematæ ℔. j. ß. in vase vitreo retorto fit destillatio.

Quibus in vitiis escharoticorum usus.

His utimur in ulceribus laxioris carnis, inque his, quæ gliscunt, in hæmorrhagiis, atque in tuberculis partium conspicuarum, in carbunculis, pustulisque malignis. *Gal.* 4. *meth.*

Escharoticum commune.

Utuntur hodie vulgo sapone cum calce misto; sed, ut ne fallat, acetum quam acerrimum memento adjicere: quamquam rectius hoc *septicum* quam *escharoticum* facio.

Quæ crustam detrahant. *l.* 1. *effic. chir. c. de cauteriis.*

Crustam inductam oportet resolventibus medicamentis detrahi. Quod faciunt butyrum, lac cum melle coctum, farinæ pollen cum rutæ, aut apii succo, sulphur ex oleo contritum, nucis medulla contusa. Veratri albi trituram inspersam plurimum valere, alias dixi. Unguentum viride equidem inveni utilissimum: nam omnia *crustam resolventia* oportet *abstergentia* atque *incidentia*, quæ *mollientibus* admiscentur materia.

§. 7. *De his, quæ decidere crustas faciunt.*

Succedunt adhibitis *escharoticis* ea, *quæ crustam decidere faciunt.* Quæ partim quidem ad *mollientia laxantiaque*, partim ad *detergentia* referas licet. Sunt autem & *putrefacientia*, quæ ad hoc opus plurimum valent. Hippocrates ustis veratri medicamentum imponit, & non alio videlicet usu, quam escharæ cito detrudendæ; quemadmodum Hieronymo Mercuriali placet rem consideranti. Verum, qua privata hellebori facultate, non explicuit. Mihi certe videtur *escharagogon*, nisi *putrificum cum mollitudine* sit, id est, uno verbo, *suppuratorium*, cujus meminit Galenus 2. *ad Glauc. c.* 9. *penetrans*, *incisorium & absterſorium esse debere.* Quæ virtutes nihilominus adjuncta re molli & humida non mediocriter adjuvantur. Ita separatorium fit acre quodpiam cum humido conjunctum.

Hippocrates.

Escharagogon, cujus debeat esse facultatis.

Ceratum ex viridi ære.

Galeni escharagoga.

Ad eum ergo modum nos ceratum ex viridi ære multo magis quam pinguissimas adipes & butyrum experti sumus ad hanc rem idoneum. Galenus *l.* 2. *art. therap. ad Glauc c.* 9. proponit hæc: cephalicum cum melle, panis ex hydrelæo decoctus, vel hordeacea farina eodem modo parata, vel etiam ex ipsa & mista tritica farina factum cataplasma, tetrapharmacum item ac Macedonicum emplastrum, panis tritus cum

cum apio vel ocymo, cum melle iris, vel panax, vel aristolochia, vel acorus; in mollibus vero corporibus orobi farina cum melle, Machærionis medicamentum. De quo & nominatis modo emplastris *in libris de compositione medicamentorum* leges.

CAPUT XV.

De Vomicam aperientibus.

Abscessus quidem & *suppurationes ferro aperiuntur tempestive*, 1.
ne vel sanies cuniculos agat, ex quibus fistulæ deinde veniant, neve subjectas partes conterat, venas erodat ad effluvium sanguinis, aut ossa ducat in teredinem, membra mutilet ad motus ex offensa tendonum, & alia inferat damna, quæ postea redimi non possint. Si ferro autem uti non conceditur, sive quod inferenda vis non videatur imbecillo, morbisve vexato, aut puero, aut seni, aut molli pusillive animi viro, vel mulieri; vel quia nullum per medicamenti moram 3.
est periculum; vel quia prohibet locus venosus, arteriosus, 4.
nervosus, hæmorrhagiæ vel convulsionis metu; vel quia par- 5.
ticulæ sensus vegetior est; vel quia rotundam amplioremque 6.
apertionem expetimus: *in his* ergo *casibus medicamenta succedunt, quæ possunt aperire cutem & dividere per virtutem* (ut sentit Nicolus *in hoc c. num* 82.) *cutis extenuativam & saniei attractivam.*

Quibus usibus parentur aperientia vomicam. 2.

Facultas extenuativa horum medicamentorum.

Ita porro Avicenna *l.* 3. *f.* 8. *tr.* 1. *c* 2. epulidis rumpendis florem æris aceto permiscet. Ita etiam Galenus x. *simplic.* podagricorum educendis calculis cutem abrupturus, medicamento ex muria caseo vetusto & pyritæ usti scobe est usus.

Ex his igitur plurima numerat Fallopius *in l. de tumor. c. de abscessu*, & *in l. de cauteriis.* Nos adscribemus hæc. E *simplicibus* est lac ficulneum, & præcipue caprifici; lac tithymali, batrachii folia, cæpa, allium cocta; fex ex vino residua concremata. Fella omnia, præsertim quæ acerrima sunt. Fimus columbinus, gallinaceus.

Mel si decoxeris & in placentulam formaveris, credo futurum optimum ad extenuandos aperiendosque abscessus. E *compositis* est melligo anacardina, theriaca, cinis caulium

Mel in placentulam decoctum extenuatorium.

V brassi-

brassicæ mistus axungiæ, fermentum tritici commassatum oleo.

Medicamentum Hollerii. Hollerius descripsit hoc, quod ℞. fæcis crematæ vini ℥ij. fimi columb. propol. salis torref. æruginis an. ʒiij. aquæ mar. in qua salis subduplum fuerit dissolutum ℥j. ol. antiqui ℥ij. Tritæ pulverabiles materiæ jam liquatæ propoli cum oleo inspergantur aqua salsa paulatim affusa: ducantur omnia in mortario, dum concorporata fuerint.

CAPUT XVI.

De detergentibus atque expurgantibus.

Detergentia quidem *sordem detrahunt ex ulceribus*, auctore Galeno *in l.* 3. *meth. cap.* 3 dicente: *sicut exsiccantia medicamenta sunt ad tollendam superfluitatem tenuem & aquosam*, (ichor à Græcis dicitur;) *ita detergentia valent adversus excrementum crassum*, quod ῥύπος ab illis, à nostris *sordes* appellatur. Inde ῥυπτικὰ per eosdem dicuntur hoc genus medicamenta.

Detergentia pharmaca in primo siccantium ordine. Amara præsertim sunt detergentia. Sunt autem hæc in primo siccantium ordine, ut docetur *in* 3. *meth.* sed cum manifesta calefaciendi facultate, ut traditur *l.* 10. *de compos. medic. sec. loc.* Talia autem præsertim amara sunto, ut habetur 8. *de simpl. med. fac.* & 11. *meth. cap.* 19. Neque enim in interioribus duntaxat infarctibus & obstructionibus expediendis amara valent, quod docuit 3. *de simpl.* sed & in externis similiter.

Detergentium duplex modus. Est porro *detergentium modus duplex*. Alia *lenia* sunt & *sine morsu* agunt, alia *valentiora* & *cum morsu*. *Hæc* Arabistarum schola dicere consuevit *abstersiva*, *illa mundificativa*; sicut ex Nicolo apparet *hoc capite*, & multo clarius ex Arnaldo Villanovano. *Lenia* & *sine morsu sunt moderate calida*, ut 14. *meth. c.* 4. docetur; exempli causa iris & aristolochia, quas sæpe nominat & *dicto* 3. *meth.* & 6. *de comp. med. per loc. c.* 2. Sed *valida & cum morsu sunt*, *quæ copiosas sordes eliciunt*; quod dixit *dicto* 6. *de comp. med. per loc.* Multa autem hujusmodi numeravit *in* 3 *meth.* Illa sunt ærugo æris, fex vini usta, præcipitatum, soda vulgo vitrariorum dicta, quæ vitri est materia, &c.

His utrisque detergentium generibus proxima sunt *repurgan-*

gan-

gantia, ἐκκαθαρτικὰ Græcis dicta. Sed per multum hæc differunt natura. *Siquidem detergentium, hoc est proprium*, (ceu docetur *quinto de simpl. medic. facult. c.* 12.) *ut sordem detrahant à superficie, sive in cute, sive in ulceribus; quasi sint deradentibus similia:* sed *cathartica*, si Galeno credimus in 5. *simpl. contraria sunt emplasticis, poros carnis repurgantia, & ab infarctu liberantia, qualitate quadam nitrosa, subtili, amara, nec mordicacitatis experte.* Qua utrorumque definitione percepta licet agnoscere longe minus mundare *detergentia*, quam *expurgantia:* sunt enim *hæc interiorum viscerum cathartica*, quæ in hæc immissa totam eorum œconomiam vitiosis humoribus intime farctam repurgant.

Eccathartica sive expurgantia medicamenta.

Contraria emplasticis repurgantia medicamenta.

Detergentium & expurgantium discrimen.

Differunt tamen *cathartica ulcerum exteriora ab his, quæ viscera repurgant interne*, per hæc secundum Galenum *in* 5. *simplic.* quod externa cathartica, ut objectum sibi finem assequantur, debent gaudere majori tenuitate partium, & qualitate nitrosa. Etenim sola qualitas amara non est satis valens; & multo minus, si conjuncta, sicut plurimum accidit, cum ea sit adstrictio. Si quidem quæ foris est meatuum exiguitas, prius ab adstringente medicamento occlusa, quam probe queat repurgari; admittit in altum abstergentem facultatem. Non tantis opus est facultatibus in expurgandis internis viscerum infarctibus; sed sola qualitas amara sufficit, licet huic innexa sit adstrictio, ut verbi causa in absynthio, abrotano, nardo, phu, & cæteris id genus. Istorum enim abstergens vis etiam atque etiam penetrare potest in substantiam jecinoris, lienis, aliorumque viscerum, quibus meatus cæteroqui maximi sunt. Ab adstrictione insuper confirmationem & corroborationem recipiunt; tantum abest, ut incommoda sit his eadem. *Proinde intus corpora*, ait Galenus, *absynthium repurgare potest, foris non potest: quippe constat hoc ex amara simul & acerba facultate.*

Repurgantia interiorum atque exteriorum medicamenta qua in re differant.

Minus negotii requiritur in expurgandis internis.

Interea eocathartica confirmant viscera.

Hæc satis de *natura* & *modis detergentium* atque *expurgantium* medicamentorum. *Usus* autem sane quam notus est ex his; sed nihilominus adhuc *definitius* explicandus est. Illud autem fiet, si oportunitates utendi declarentur; quæ profecto cognoscentur ex modis sordis, & in ulcere perseverantia ac renixu adversus optima medicamenta, ex malignitate inquam 1. 2. 3. 4.

Ex utendi oportunitate venandi usus.

5. 6. 7. & effectis, ex magnitudine, ex caruncularum & ulceris habitu
8. & colore, & apparenti omni qualitate, ex loco quem
9. 10. occupat, ex recurſu, ex cauſis procreantibus ac foventibus, ex aſſidentibus omnibus pro vitii vetuſtate & pro natura corporum. Circa quas res ſingulas philoſophandum eſt prius, mox ſecundum earundem ſpeciem meliorem, aut deteriorem, medicamenta leniora vel valentiora, intimius vel extimius agentia ſunt opponenda. Cavebit autem imprimis medens homo, ne pro valide detergentibus ea capiat, quæ carnem liquant: qualem hiſtoriam deſcribit *Galenus* 3. *meth. c.* 6.

Adverſio cautioque.

Hiſtoria Galeni.

Hic detergentium atque *expurgantium* eſt διορισμὸς atque *hæc diſcriminatio*. Eorundem vero aliqua *ſylva* hæc eſt. *E detergentibus* eſt farina hordei; vehementior lupinorum, & ervi, & cicerum cum melle ſubacta. Quod mel ut deterget, ita & ſaccharum rubrum, ſed magis terebinthina & vinum. Cum his autem eſt & aloë. Sed hac myrrha valentior. Quæ tamen omnia cedunt fellibus animantium; ex *herbis* vero apio, calaminthæ, marrubio, abſynthio, & multo magis iridi, ariſtolochiæ, centaurio, chelidoniæ, ſabinæ, aſphodelo, cyclamino, aro, bryoniæ, cucumeri agreſti, dracontio.

Sylva detergentium.

Herbæ detergentes.

Metallica materia. E *metallicis* præcipuæ ſunt æris ſpecies. Inter quæ neque calx lota eſt reticenda, & ex hac tenuiſſime trita lixivium.

E liquidis. Sed è *liquidis* eſt œnomeli, decoctum centaurii minoris, urina pueri impuberis, in ulceribus cuniculoſis lixivium cineris ficus, in doloroſis & acri ſanie ſerum lactis, & aqua hordei, ſive ſimplex, ſive cum ſaccharo.

Depurgantia. Pauciora detergentibus, ut validiora iiſdem ſunt *depurgantia*, quæ ſunt nitrum, aphronitrum, ſpuma nitri. Neque enim idem eſt ἀφρόνιτρον & ἀφρὸς νίτρου: hoc enim factitium, illud natura provenit in ſpeluncis. Licet autem vocabula non diſcreverit Dioſcorides, ſpecies bonitatis tamen inter utrumque diſcriminatus eſt.

Hæc nitri genera, ſi non adſint; ſal petræ hujus loco eſt, aut ſpuma ſalis, ſaliſque flos, ſulphur, fex vini, aut aceti. Quæ ſingula præſertim valent ad abolenda cutis vitia: communibus vero corporis partibus teſtarum crematarum cinis utilis eſt.

Abolendis cutis vitiis.

E com-

E compositis detergentibus primum erit hoc lene, commodum expurgandis phlegmonis recens apertis, quod ℞. rhodo. ℥j. vitell. ovi unum, farinæ hord. q. s. m. Adde, si velis, tereb. lotæ ex vino ℥ij. Valentius autem erit, quod ℞. farinæ hord. & lupinorum ℥iij. (si lupini ustulati fuerint, validior ex his est farina) succi apii, absinth. marrub. ℔. v. mellis ℥viiij. Coquantur ad justum modum, additis sub finem terebinth. ℥j. ß. fit medicamen. Compositiones.

Sed ad pus crassius evocandum serviet id, quod ℞. galbani, ammon. resinæ, tereb. sevi taurini, ceræ, ol. antiqui sing. æquas portiones. In aceto mersa paulatim foveant igne, fietque ceratum. Puri crasso depurgando.

Deservit & huic operi ceratum è gummi elemi simplicius paratum: nam quod ex descriptione Conciliatoris conficitur, majus opus & ad ossium teredines videtur præstare. Empl. è gummi elemi Conciliatoris.

Detergentibus aliqua parte *recitatis*, restant *cathartica*; inter quæ maximum locum habet hydrargyrum præcipitatum. Quod ipsum felicius adhibetur me authore, si in unguento crudo lithargyrii, sicut vulgo paratur, hoc est, in aceto & oleo rosaceo cum lithargyrio trito ferveat aliquandiu. Portiones rerum & præparationem descripsit exacte Jacobus Sylvius. Præcipitatum.

Multo majoris efficaciæ, licet paris vehementiæ, mercurius sublimatus est: quo equidem in desperatis plerisque vitiis usus fui successu mire prospero. Sublimatum.

1. Historiæ. Primum in Beatrice à Capua, filia Principis Eryciæ, tum quidem puella, & inter sacras moniales cœnobii Jesu Neapoli degente, nunc Thermolensium Ducissa. Quæ cum ulcera capitis ceria passa fuisset jam plus sexennio, curata à peritissimis medicis nostræ urbis, per me purgata catapotiis & secaniabin Mesuæ, tandem pulvere sublimati & unguento Gordonii huic rei præscripto sanata est sesquimense absolutissime. An. 1618.

2. Altera fuit ex eodem cœnobio Virgo S. Hieron. San. Marco. Cujus in sinistro oculo anchilopem cum curare nequissem octo mensium spatio, tandem trochiscis è minio vocatis sanavi viginti dierum curriculo.

3. Similis curatio adhibita est in filio Hier. Galterii J. U. D. Quar-

4. Quarta fuit monialis Refugii Neapoli.

5. Quinta Anna Corciona, Regii Conſiliarii Patruelis S. nomas paſſa in tibia tuberoſas cum carne corrupta profundiſſima, octo jam annis à medicis noſtræ civitatis præſtantiſſimis curari jam deſperata, per nos tum eodem pulvere præ-
An. parato, tum emplaſtro diaſulphuris Andernaci reſtituta brevi
1618. fuit.

6. 7. Iiſdem prope remediis curatus eſt & Franciſcus Petromi-
An. nus & Vincentius Canavacciolus, fiſtulas plurium annorum
1624. & in pectore transfoſſo jam paſſi.
1626. 8. Octavo numerator mihi filius D. Federici de Roſa, qui ex inguinis fiſtula celebribus medicis inſanabili per id medicamenti curatus fuit.

9. Nono Dominus Andreas Janathaſius, qui ex ulcere ſuræ diuturno & contumaci feliciter eadem via ſanatus eſt.

Ingratus. Decimo Flavius ab Alexandro, quem ingratitudinis ergo
10. difficile nomino; qui è ſeptemplicibus cuniculoſis ulceribus ac fiſtulis, homo febre longa, macie, doloribus diu confectus, diligenti noſtra curatione & hoc maxime præſidio liberatus eſt.

Sublimatum etiam in parte ſordida impoſitum, in locum, ubi conſiſtit, omnem labem trahit, & reliquum expurgat.
11. Obſervatum in Philippo Teſta Salernita, qui mentulam ſemiputrem obtulerat cuidam. Quod idem feciſſe vidimus in
12. phlegmone Sororis Deliæ, quæ cubitum occupaverat cum circumſito maximo rubore.

Adjicerem & alios, tum ex urbe omni, tum ex noſocomio reſtitutos: ſed quis omnia referat, quæ ſummo omnium & inſuperabili cathartico ſunt effecta? ſive ad cuniculos & ſinus ulcerum, ſive & ad ulcera fiſtuloſa & ad fiſtulas ipſas, uno verbo ad ſanie & ſorde confecta vitia, & ad mala rebellia?

CAPUT XVII.

De Carnem reparantibus.

De enæmis Aëtius *l.* 15. *c.* 12. Ulcus cum *duplex* ſit ἀπερίςατον, *ſimplex* & *cavum: illud* quidem *agglutinatur*, *hoc*, ubi purgatum eſt, *carne impletur*. Implent autem carne σαρκωτικὰ Græce dicta medicamen-

menta, quæ Celſus *carnem alentia* ſive *ulcus nutrientia* nominavit. Quæ functio quidem ipſis attribuitur, non quod carnem ipſa vere reparent & reſtituant, 2. *de comp. med. per genera cap.* 2. ſed ejuſmodi facultatis dicuntur, quod naturam partis partemque ipſam ad deficientem illam ſubſtantiam procreandam provocant adjuvantque, proxima hujus impedimenta detrahendo: quæ ſunt quippe duo excrementa ſolennia, craſſum ſcilicet & tenue, *ſordes* atque *ichor*. Itaque cum hæc unquam non deficiant (nam non deficiunt etiam in ſana cute, quemadmodum expoſitum eſt à *Galeno* 3. *meth. c.* 3.) medicamentum requiritur, quod & ſordem abſtergat, & ichorem reſiccet; ſed enim utrumque leniter faciat: & abſtergens quidem ſine morſu atque acrimonia ſuum opus præſtet; & ſiccans etiam non tam validum ſit, ut ſubſtantiæ partem abſumat.

Carnem reparantia quo ſenſu dicta.

Impedimenta carnis reparandæ.

Galenus.

Quæ debeant facere ſarcotica.

Quin termini ſunt utriuſque qualitatis, ut intra primum & ſecundum ordinem conſiſtat. *Ita illud quidem expurget, hoc molle concrementum caſeum referens recentem* (ut Galenus *ait com.* 3. *de offic. med. cap.* 30.) *modice ſiccet & denſet.* Quæ namque ſint calidiora, colliquant potius: quæ frigidiora, præterquam quod naturam ad attrahendum ſanguinem, quæ materia carnis eſt, non adjuvant, & ſordem arctius impingunt potius; calorem partis nativum hebetem faciunt & labefactant. Debent alioqui membra, quibus adnaſci caro debet, eſſe in calore ac frigore temperata; ſicut temperatus qualitate, quantitate moderatus debet eſſe ſanguis; & concordare denique materia cum effectore carnis.

Termini qualitatum.

Illa igitur dum ſarcotica præbent officia, caro in ulcere vi ſua gaudens talem ſanguinem, qui de vaſis majoribus in fibras advenit, frigore circumſtantis aëris concretum agitat, & calore ſuo tantiſper fovet, dum in ſui firmam convertat & educet. *Enimvero eadem ſpecie procreari dixit* Galenus 3. *meth. qua ſimiliter in dies magis proveniente, ſic demum impletur eo quo deficiebat tota ulceris cavitas.*

Caro ut definite producatur.

Sed Hippocrates novam & à nullo, quantum ego legi, adverſam gignendæ carnis & agglutinandi ulceris cavi rationem propoſuit *l. de loc. in homine num.* 47. per τὸ φλεγμαίνειν. Quod equidem interpretor, *tumefacere.* Cujus rei evidens

Hippocratis ſententia.

ap-

apparebit ratio, si statuemus de cavis ulceribus Hippocrati sermonem esse. Tumefactas enim ulceris oras facile est invicem adduci pleno jam spatio. Quo sensu proposito cum subdidit *συνάγχειν*, probabile fit mihi non intelligendum *adstringi*, quemadmodum interpres ejus loci voluit, sed *adduci colligique:* adstrictio enim ea vera non est, sed infarctio potius. Confirmatur & hoc altera ejusdem authoris sententia, qui *lib. de affect. nu.* 37. dicit: *ubi carnem producere voles, pinguia & calida magis conducunt; ab his enim caro pullulat.*

Hippocratis locus explicatus.

Sarcoticorum tractatio quanti momenti.

Est autem *sarcoticorum tractatio* multæ prudentiæ res atque subtilitatis, requiritque utentem medicum non mediocriter eruditum ac prospicacem, exercitatum quoque serio in cognoscendis naturis corporum atque partium. Galenum autem faciat sibi ducem, quicunque methodum cupit edoceri, traditam *in* 3. *therapeutho* 3. Quo loco scripsit *dirimendum esse istorum usum secundum subjecta corpora, secundum horum affectas partes, & ulcera.* Secundum priorum quidem conditionem & naturam hæc erunt iis tractanda medicamentis, quæ sint illis quam maxime similia, quæque ea ad extremum possint conservare in naturali suo statu. Sed quod ad ulcera spectat, contrariis hæc sunt curanda; atque adeo quo majus erit horum vitium, eo longinquius à natura conferendum erit remedium, hoc est, malo pugnantius. Quæ singula deinceps exemplis declaremus.

Galenus dux in his sequendus.

Hieronymi Fabritii dissertatio de deligendis suis singulorum hominum naturæ sarcoticis.

In quam rem luculentissime Hieronymus Fabricius *l. de ulcer. c.* 3. ita differit. Jam autem investigandum quantum sit siccandum. Proinde experientia observatum est sarcoticum medicamentum esse exsiccans in primo gradu, in natura humana. Sed cum primi gradus magna sit latitudo, non sufficit hoc scire, verum etiam indagandum, num vis siccandi primi gradus remissa aut intensa esse debeat. Hoc autem æstimabimus ex iis, quæ in ulcere apparent: ut sunt, crasis corporis totius, & maxime partis ulceratæ, quæ per similia custodienda; deinde copia saniei, quæ per contrarium tollenda. Quapropter si multa est saniei copia, ut in ulcere magno, valentioribus indigemus siccantibus: mitioribus, in ulcere minori. Item, si natura corporis ulcerati mollior est ac humidior, similis quoque caro, nimirum humida & mollis, regeneranda; ideoque mitioribus indigemus siccantibus: at si caro sit densa

&

& ſicca, valentiora ſint ſiccantia. Si ergo ſiccantium quantitas decernenda. Si ulcus ſit parvum, & corporis temperies humida, ratione utriuſque ſiccante egemus mitiori: ideoque thus erit accommodatiſſimum. Si ulcus fuerit magnum, & temperies humida; ſiccantia paullo erunt valentiora, quia indicationes pugnant: unde farina hordeacea & fabacea conveniet. Si ulcus magnum, & temperamentum vel temperatum vel ad ſiccum vergens; ſiccantia adhuc erunt valentiora: ut farina ervi, & iris. Si ulcus magnum, caro vero admodum ſicca & dura; indigemus medicamento valentiſſime in ſuo, nimirum in primo, gradu ſiccante, ut eſt ariſtolochia, tutia, pompholyx. Hæc omnia medicamenta ſiccant tantum in primo gradu; differunt autem ratione intenſionis & remiſſionis: nam alia in primo remiſſo, alia in æquali, alia in intenſo exſiccant. Tale autem medicamentum num conveniat, nec ne; cognoſcimus è ſignis, quæ afferuntur à Galeno *c.* 1. *lib.* 4. *de comp. med. local.* nimirum, ſi pars ulcerata eam ſiccitatem adipiſcatur, quam antea ſecundum naturam habuit, ut ex ulcere, nec pus, nec ſanies effluat.

Jam autem *numerum ſarcoticorum* exhibeamus. In his principem locum habet thus; ſub quo comprehendo & mannàm ejus & corticem. Poſt hæc eſt ſarcocolla, aloë, maſtiche, myrrha, ſanguis draconis, liquida pix aut arida, reſina terebinthina, ſtrobilina, pinea, lacryma abiegna, radix iridis, hypericon, panacis cortex, cadmia, pumex uſtus & vino albo lotus. Sarcoticorum enumeratio.

In horum quoque numerum revocare potes multa, quæ ſcripſit Oribaſius è ſiccantibus eſſe *in l.* 2. *ad Eunapium c.* 5. 6. Componentur igitur *ſarcotica* cum ex *his*, tum ex *agglutinantibus deterſoriiſque*. Nec, quæ *ſuppurantium materia* ſunt, etiam excluduntur à ſarcoticorum compoſitu: non qua ſarcotica ſunt quidem, ſed in quantum humidiora ſunt vel pinguia. Talia, præterquam quod materiam & complexum exhibent craſſitudine, miſta ſiccioribus contemperabuntur omnia. Similiterque *adſtringentia*, tametſi vetita ſunt ipſa ad cava ulcerum implenda; nihilominus nihil prohibet, quo minus juvare poſſint in commiſtione eorum, quæ vel *extergant*, vel *expurgent*, vel *carnem* peculiariter *excitent*. Oribaſius. Componuntur è multis generibus ſarcotica. Admiſcenda ſiccioribus ſarcotica.

X Pa-

Sarcoticorum forma duplex. Pulveres cephalici.

Parantur porro sarcotica duabus præcipue formis; pulveris videlicet, & cerati. Et pulveres quidem alii cephalici sunt privatim & ossium, alii partium omnium promiscue. Cephalici sunt ex iride Illyrica, ervi farina, manna thuris, aristolochia, radicis panacis herculei cortice; his portionibus: iridis, panacis ana ʒij. aristol. mannæ an. ʒj. Hoc & ossium ramenta detrahit; & magis, si bryon. rad. partem addideris. Cui rei commodum erit & trigener dictum medicamentum; quod fit ex coloph. tereb. cera pariter colliquatis, & postquam refrigerata fuerint, in frigidam conjectis & manibus diu pervolutatis. Ex Galeno 3. *meth. c.* 2. & 6. *ejusdem c.* 6. pulvis sarcoticus constat ex iride, aristol. farina ervi, far. hord. thure.

Trigener medicamentum.

Communes partium pulveres.

Communes partium pulveres erunt ex aloës succoter. thuris; sarcocollæ, sang. drac. irid. ana paribus portionibus, qui trajecti per cribrum insperguntur, vel commisso melle affunduntur. Tribuuntur autem Rasi. Vel simplicius possunt ita parari. ℞. farinæ volatilis ℥j. pic. coloph. pertritæ ana ʒj. ß. utere ad cava implenda. Qui pulveres immittentur vel specillo cyathisco, vel è fistula per spiritum propulsi, vel prompta alia ratione.

Recentiorum medicamenta.

Hæc veteris scholæ sunt remedia. Subjungenda quædam recentiorum. Ex iis est ceratum aureum, & basilicum inter nostros, resineum apud alios. Descripsit Nicolus unum, quod credo mirificum vulneribus partium siccarum & nervearum.

℞. trium generum consol. arnogloss. pilosel. centaur. an. M. j. lumbric. terræ ℔. j. Terantur omnia, tabefiant in ol. oliv. ℔. j. ß. per novem dies, ferveant parumper, per pannum exprimantur, deinde ℞. sebi ariet. mundi ℔. j. picis nauticæ ℔. ß. picis Græcæ ʒiiij. ammon. galb. opop. an ℥ß. dissolutorum in aceto. Conficitur ita. Solutis utrique pici ceræque in oleo, adde gummi, postremo contrita alia simul cola & usui serva. Descripsit & ad ulcera difficilia Nicolus hoc, quod ℞. litharg. scoriæ ferri, centaur. minoris, aloës, thuris, mastich. an. pares portiones. terantur tenuissime.

CAPUT

CAPUT XVIII.

De Epuloticis, id est, ulcus obducentibus.

Quantum *carnis procreatio propria est naturæ functio*, tantumdem *cicatrix sub pleno jam ulcere, tum ad medentem, tum ad externas causas refertur.* Quippe hujus restituendæ causa desiit, quæ seminis est materia agitata calore validissimo, qui in uteri claustris abundabat, foras autem educto jam homine evanuit. Itaque arte excogitatum est reponi, quod idem specie non potest. Cicatrix à causis exterioribus & ab aëre inducitur.

Id quod fit quidem *carnem, quæ jam increvit, in similem duritiem densando, quæ videatur resistere posse externis offensamentis.* Ita igitur hanc sicciorem adstrictioremque reddendo quasi callum producimus. Quomodo inducatur cicatrix.

Quod faciunt & quas dixi, externæ causæ, id est, aër circumfusus, sive calore humorem extrahendo, sive frigore eundem exprimendo, sive modis omnibus indurando per appulsum continuum. Quæ ad corpora nostra fieri, dubium non est. Aëris calor humorem extrahens, frigus exprimens, appulsus aëris indurans: cicatricis universæ causæ.

Indeque est, quod epidermide detracta, sive attritionis aliquo casu, sive vitio vesiculationis in erysipelate, vel in ambustis; nudata pars, quæ tenerior & uvidior erat, continuo durescit atque siccescit. Qua ipsa jam durata, & rursus detracta; quæ subsidet altera mollis & tenerrima, densescit ac quasi corticescit. Milliesque id futurum est, si millies cuticula decidat: sicut adnotarunt anatomici, moniti à divino Hippocrate; qui *in lib. de carnibus* ait: *Sicut in pulte fit crustula, & in sanguine concreto membranula; ita extremum corporis aëri expositum necessario pelliculam contrahit occursu frigidi & ventorum.* Hanc tamen efficacitatis virtutem haud retinet in obducendis jam plenis ulceribus aër; quod obsistunt eadem humore scatente adhuc ampliore, quam ut exsiccari ac discuti queat. Sed si valet aliquid in iis uredo, ut ita dicam aëris, illa est crustula, quam ex dictæ saniei concremento aridiore facto inducit. Cicatricem vero non item potest inducere, quod imbecilli aëris vi caro valentior madore non occallescit. Sed enim tum id evenit feliciter, cum aridior facta Unde durescat nudata cutis vesiculato corpore. A. Laurentius. Hippocrates. Haud potis est aër solus obdurare.

 plaga

Proximi ulceris coalitus præcipuum argumentum.

plaga excrementum vix reddit. Hoc quippe propinquæ ſanitatis argumentum præcipuum dixit Hippocrates *initio l. de ulceribus*, qui ait: *Ulcus ſiccum ſano vicinum.* &c.

Iovi, id eſt, ſub diu exponenda particula demum cicatrice obducenda.

Ignis halitus ad ulcus ſub cicatrice exſiccandum valens.

Ignis loco ſuffitus ſerviens.

Per hoc igitur temporis ad Jovem commode, ſi libeat, exponi poterit pars; & maxime ſub maritima plaga, vento præſertim ſub ſeptentrionali. Enimvero nautarum ulcera in nudis cruribus facile obduci, compertum eſt. Credo autem, ſi defenſa circumtenſaque ſana particula, per laminam, verbi cauſa, æquo foramine patens ulcus auram igne percuſſam, qui inſtrumento aliquo conceptus ardet, crebiter & quam prope ferre poteſt perſentiat; non fallentem inde recepturum exſiccationem. Quam induſtriam equidem certus ſum valituram & in nonnullis, quæ *dyſepulota* vocantur; nedum in his, quæ ſunt *aperiſtata.* Aut ſi videatur ignis uſus in hac re difficilis, non alienum fuerit in contumacibus uti ſuffitibus arte paratorum paſtillorum ex lacrymis, reſinis, gummis, ſudaminibus arborum, & omnium, quæ in rem faciunt vaporabilium; qui prunis ſuppoſitis incenſi ſublevent halitum ad laborantem partem linteo contectam.

Aqua puta nonnullo ad cicatricem inducendam uſui.

Hactenus hæc de duplici *ignis* & *aëris* ad *cicatricem remedio.* *Aqua* vero etiam puta, cum repurgatum eſt ulcus ſiccumque factum, conducit impoſita linteo; quod arefactum quaſi poros obtegit, hæretque carni ſic, ut madorem nullum ſentiat. Quam ob cauſam tamdiu ſolvi non debet, dum ſponte laxetur. Interim enim aſſueſcit obdureſcere pars, callumque brevi contrahet.

Et terra uſui eſt cicatricibus obducendis. Epuloticorum enumeratio.

Quarta nunc ſupereſt ex omnibus *terra.* Ex quo genere tum *foſſilia* ſunt, tum *ſoboles aliæ ſtirpium.* Sed *foſſilia* prævalent: quorum maxima pars aduſta, trita ac lota non contemnendo eſt commodo cicatrici ducendæ. Illa igitur ſunt videlicet oſtrea, pompholyx, cadmia, ſquamma æris, æs ipſum, plumbum, ceruſſa, molybdæna, cornu cervinum. Hæc *uſta*, ut calx, & lota vino, vel adſtringenti aqua, vel pluvia, laudatiſſima ſunt. Ex non *uſtis* bolus eſt Armena, terra ſigillata, lithargyrium, ſanguis draconis, ſarcocolla. Ex *ſtirpium genere* ſunt *omnes*, quæ *adſtringunt*, ut 3. *meth. cap.* 5. docetur; ut malicorium, myrtus, acacia, roſa, galla, calix glan-

glandium, hypocystis, cupressus, & alia (ἐπίσπαστα dicuntur) quorum vel pulvis inspergendus, vel decoctum affundendum atque insuper imponendum linteum eo madidum & expressum, & deligandum est. Inspersiles tritur æ.

Atque hæc è *simplicibus*. E *compositis* vero aliqua, præcipue majorum nostrorum, sunt Galeni diacadmias, & dialadanu Critonis, 4. *de comp. sec. gen.* Unguentum è cerussa, unguentum pompholygos, unguentum è minio. Sed his tenuissime atque parcissime deliniantur lintea: quæ supina & aversa facie consuevi equidem sæpe imponere. Composita.

Fallopius unum descripsit *l. de ulc. c.* 13. probatum à Vidio *part.* 2. *sect.* 2. *c.* 8. *cap.* 10. *quod est de epuloticis*, quod ℞. ol. myrt. unguenti popul. utriusque ℥iij. fol. plantag. solani hortens. utriusque M. ij. Inciduntur herbæ & cum reliquis miscentur, & quotidie usque ad octavum diem sæpius dimoventur. Deinde omnia percolantur, & liquori adjiciuntur ceræ ℥viiij. Tum omnia simul ad ignem admota, liquata cera, dimoventur: deinde auferuntur, & ubi tepida sunt, adduntur spumæ argenti ℥vj. cerussæ ℥ij. tutiæ præpar. ʒij. plumbi usti ʒiiij. camforæ ʒi. ß. Omnia simul dimoventur diutius in mortario plumbeo, &c. Medicamentum Fallopii.

Hollerius proposuit calcem sæpius lotam & rosaceo mistam. Item lithargyrium nutritum Razis & Avicennæ, parandum ad hunc modum. Lithargyrus tenuissime teritur ex aceto rosaceo, diu exercetur in mortario pistilloque plumbeo. Sed hoc dicit mirabile. Aluminis scissilis ℥j. ß. in vini, aquæ pluviæ, vel, quæ in cavis quercubus desidet, ℥ix. diluitur: linteolum vetus, sed mundum aquæ inculcatur, exarescit sole, pectitur, & concerptum imponitur. Hollerii medicamen.

CAPUT XIX.

De Glutinantibus.

Dicta sunt hæc Græcè συμφυτικὰ, κολλητικὰ, ἔναιμα, cognata quidem & proxima *sarcoticis*, *quod coalitum ulceris ipsum æque spectent*: verum tamen differentia ab iisdem, quod hæc vehementer siccent & absumant fere confluentem sanguinem universum, aut adstringant nil abstergentia, nam po- Agglutinantia colletica & enæma cognatæ naturæ cum sarcoticis præsidia.

potius acerba ſunt guſtata, quam amara: ſed ſarcotica & modice ſiccant & pro adſtringente vi detergentem retinent. Itaque *glutinantia* Galeno teſte *l.* 2. *comp. med. per gen. cap.* 21. *ſarcoticis ſunt ſicciora*. Craſſæ ſunt enim & terreæ ſubſtantiæ, & ſicca ordine ſecundo, Fernelii doctrina; licet calore temperata: mediæ vero naturæ inter ea, quæ cicatricem trahunt, & quæ carnem generant; ſicut judicat Hollerius. Hæc fere alii. Planiorem nos addimus differentiam, quod *conglutinantia carnem non ſupplent*, *quæ non deſit alioqui*, *ſed diductas plagæ oras adducunt & cogunt*, *dum unum faciant*. Aliud efficiunt valentque *ſarcotica*; quemadmodum explicavimus. Differunt etiam ab utriſque *epulotica*, quæ ſiccantia ſic ſunt, ut humiditatem omnem adimentia callum inducant adſtringendoque carnem indurent. Itaque *multo ſicciora* ſunt *hæc*, quam *glutinatoria*. *Glutinantium* igitur *opus proprium* eſt *affectam partem à recrementis vacuare*, ne videlicet ſanies carnis generationem glutinationemque impediat.

Iſtorum diſcrimina. — Glutinantia ſarcoticis ſicciora — Glutinantium natura. — Epulotica qua in re differant à glutinantibus & ſarcoticis. — Glutinantium opus proprium.

Finis autem *eorundem* eſt, *nullam inter coitura ſubnaſci humiditatem permittere*. Ita cicatricem obducentium eſt, non hanc tantum impedire; ſed etiamnum conſiſtentem in iis, quæ mox cicatricem ducent, conſumere. Itaque non primario, ſicut ajebat Galenus, ſed ſecundaria ratione glutinant hoc genus medicamenta; videlicet quod his impoſitis natura conjungat ulcera.

Finis glutinantium medicamentorum. — Glutinantia conſequenti quadam ratione rem præſtant.

Quam naturam adjuvant illa tum humorem fluentem repellendo, affuſumque jam exprimendo, atque ſiccando, tum quod diviſas ulceris oras contrahunt adſtringendo, ſervantque inter ſe conjunctas non permittentes aliquando ſuppurare.

Agglutinationem quæ adjuvent. 1. 2. 3. 4.

Sed *glutinantium* in ſua ipſorum natura *temperamentum* expendamus. Galenus paulo ſupra gradum primum exſiccantia feciſſe videtur, qui *l.* 3. *meth. cap.* 30. *pag. Gr.* 186. dixerit: *Medicamen carni producendæ aptum exſiccantibus primi ordinis ſit oportet*; inferius vero ſubdidit: *At glutinatorium*, *aut omnino carnis productione non eget*, *aut plane exigua*: *quare plus ſiccet oportet*, *quam quod carnem producit*. Conſtat igitur, id quod vult Galenus, glutinatorium ſupra primum ordinem exſiccare: niſi, quod intendendum pro ratione magnitudinis ulceris, & partis laborantis. Ubi enim exiguum ſit ulcus, ſatis

Glutinantium temperamentum quale. Galenus. — Glutinatoria ſupra primum ordinem ſiccant.

eſt

est medicamentum exsiccet ordine primo. Sed si magna sit plaga, pro spatii ratione adusque secundum gradum intendi potest. Quam ob rem Galenus. 3. *med. cap.* 10. *pag.* 22. inquit: *Magna quidem ulcera his, quæ vehementius siccent, curabis; parva vero, vel quæ moderate siccent, abunde sanaverint.* Indicat item particula male affecta siccitatis gradum. Nam humida & mollis pars minus siccis gaudet, sicca vero & dura siccioribus; ut per eundem Galenum *l.* 3. *meth.* 18. traditum. Verum tamen actu siccum medicamentum agglutinans non oportet esse; siquidem eodem auctore lithargyrium & cerussam moderate siccantia atque adstringentia, si cineris modo insperges, nihil proficiet. Qua de re humorem desiderant ejusmodi medicamenta, quo fiant *emplasticis* similia, siccandi facultate non mutata. Debitum modum exposuit exemplis Galenus 2. *casa geni c.* 2.

Glutinantium ut intendenda exsiccatio. Galenus.

Et ex affecta parte sumi licet exsiccandi ratione.

Actu siccum haud esto glutinans medicamentum.

Emplasticis similia glutinantia.

Usui sunt *glutinantia* non modo cruentis & recentibus plagis, postquam profluentem harum sanguinem spongia detersimus, ac deinde suturis & fibulis coarctaverimus; sed etiam veteribus sinubus, cum ab omni inflammatione immunes & puros medicamentis fecerimus. Addidit Hollerius & ad fistulas, & ad vetusta ulcera eadem prodesse: sed talia hæc intellige, quæ callo detracto jam recentaverit. Aliis omnibus quibus conveniant, exposuit Galenus *l.* 2. *de comp. med. per genera c.* 2.

Usus glutinantium.

E *probatioribus* ad glutinandum *simplicibus* sunt hæc: sanicula, symphytum, sideritidis omnes species, myriophyllon, androsæmum, dracontium, isatis, qui tendines sectos jungit, ulmi radix contrita, & hujus arboris vesicarum aqua.

Probatiora è glutinantibus simplicia.

Nec non aqua, quæ ex amputatis vitium stolonibus surgit collecta, & sub dio ad solem exposita per annum vase conclusa, melligo evadet balsamo æqualis.

Aqua ex vitium stolonibus amputatis destillans.

Zambana, aloës herba, attractylidis cremor, salicis lanugo, & folia cortexque, tragacantha, gluten, amylum, ovi albumen, bolus Armena, terra sigillata, lythargyrium, sarcocolla.

Lumbrici terræ, cochleæ contritæ.

Sed *compositiones* hæ sunt *celebres*, ex Galeno. Primum est triapharmacum, quod ℞. litharg. ℥ij. ol. & aceti an. ℥iiij. mista

Composita.

mista vexantur in mortario, deinde coquuntur integrum diem. Sanare reputatur fistulas sine callo, nec non ulcera difficilia; quem ad modum emplastrum diachalciteos: quod tamen defectu chalciteos non paratur à nostris. Facilius potest barbarum. Quæ leges 1. & 2. *de comp. med. per genera.* Sed efficacissimum habetur hoc, quod sequitur. ℞. succi fol. lilii ℥v. mellis & aceti an. ℥. ij. coque ad crassitudinem.

Nervis præcisis. Ad nervos præcisos valere creditur id, quod est è conclusis cochlearum carnibus, thuris & myrrhæ pulvere commisto. Ita etiam terræ lumbricos per se tritos & impositos adhibent quidam.

Probarunt & recentiores medicamentum, quod est hoc. Sumantur centaurii minoris M. vj. macerentur per noctem in vino albo: ferveant ad consumptionem vini. Colatus succus rursus recoquatur ad melleam crassitudinem. Cape de hoc succo ℥iij. lactis muliebris ʒij. ceræ novæ quartam unam, terebinth. ℔. j. resinæ pinus, thuris, gummi Arab. mastich. an. ℥j. fiat empl. s. a.

Vulneribus capitis. Sed ad capitis ulcera commendatur aloë trita & ænomelite cocta. Quo medicamento tinctum emmotum imponitur.

Pulveratæ materiæ. Si pulveres ad glutinandum ames, ii servient, quos è *sarcoticis* supra recensuimus.

Liquidæ compositiones. Medicamentum nostrum. Sed è *liquidis* dabo unum, quod me auctore mirificum est. Spiritus vini duplum thuris mannæ tenuissime tritæ superfundatur. Adde rad. glycyrrhizæ tritæ partem ad thus octavam, pro acrimonia scilicet aquæ vitæ retundenda. Usus tempore tilta vel emmota intincta impones. Quam glycyrrhizæ pulvisculi admistionem, præter edulcandi quas habet virtutes, eo equidem libentius propono, quod Avicenna *c.* 2. *t.* 2. *c.* 335. succum ejus radicis glutinantissimum fecit: accepta re scilicet ex primo Dioscoridis, qui succum ejus stirpis utiliter imponi vulneribus prodidit.

Balsamelæum Floravanti. Mirabile supra cuncta vulnera prædicat Floravantus balsamelæum, quod describit *lib. suorum capriciorum.*

Experimentum nostrum circa sanguinem humanum. Experimenti nostri est sanguis humanus, masculorum maribus & fœminarum fœminis. Atque etiam si servari potest similitudo circa ætatem, habitum, ac temperaturam; exquisitissimus erit delectus medicamenti.

CAPUT

CAPUT XX.

De Sanguinem-sistentibus.

Sanguinem supprimentia tribus id rationibus præstant, ut infra.

Sanguinem sistentia uno vocabulo à Græcis dicta sunt ἴσχαιμα, quæ ab ἐναίμοις *differunt* in eo, quod hæc & sanguinem supprimunt & inflammationem arcent; sed illa cohibendi solius sanguinis causam suscipiunt. Quam quidem operam tribus præstant rationibus; respondentibus totidem modis dissolutorum vasorum. Videlicet solvuntur hæc vel per ἀναστόμωσιν & διαπήδησιν, *apertionem* & *transcolatum*; quas unas usu medendi facimus: vel per ἀνάβρωσιν, *adrosionem*; vel per διαίρεσιν, *divisionem*; quæ tametsi genus ipsa sit, tum ad spontaneam, tum ad extrinsecus illatam dissolutionem, nihilominus expedit hanc pro externa capere.

Quæcunque sanguinem supprimunt, aut à proprietate id faciunt, aut quia emplastica sunt, aut quia caustica.

Hollerii sententia.

Hollerius censetur.

Itaque ad horum comprimendas hæmorrhagias aut *proprie* valebunt *agentia medicamenta*, aut *emplastica* erunt, aut *caustica*. *Primorum* quidem incognita est ratio. Sed proximorum est oscula venarum offarcire atque præcludere glutinosa compage corporis adhærenti. *Postremorum* vero auxilium est enata per hæc in effundentibus ipsis locis operculari crustula. Aliter res disposuit Hollerius, & apertis adstringentia, ruptis glutinantia, exesis sarcotica peculiariter accommodavit. Sed in postremo membro videat bonus homo quid fecerit: dormitavit quippe meo judicio vir alioquin hoc argumento non superabilis; nisi tamen ipse sum, qui erro. *Sarcotica* profecto, dum tardius occurrunt, aut cum manifesto vitæ periculo administrantur; aut si quatenus glutinantia juvant, non oportebat hæc repeti. Itaque non est, quod Hollerium in hac re sequamur.

Fernelii sententia.

Oribasii sententia.

Fernelii potior est distributio, Galenoque consentanea; qui *l. meth.* 5. sarcoticorum non meminit in hiatu venæ operculando, sed etiam vero carnis ex vicinia per industriam superponendæ adhibendæve. Aliam ab his partitionem fecerat Oribasius; qui *l.* 10. *collect. med. cap.* 12. ait *eorum, quibus sanguis cohibetur, alia refrigerando, alia adstringendo, alia agglutinando, alia siccando, alia denique adurendo valere.* Ad quam sententiam proxime accessisse videtur & Celsus *l.* 5. *c.* 26. §. 18.

qui est de curanda profusione sanguinis in vulneribus. Sed hæc manifestariæ cognitionis cum sint, ad medicaminum enarrationem veniamus.

Apertionis & rupturæ vitio succurrentia.

Apertionis simul & rupturæ vitio succurrunt, inquit Hollerius, balaustium, galla cremata & aceto madida, acacia, malicorium, herba sanguinalis, rubigo ferri, lapis hæmatites, lanugo salicis masculæ, cynosbatus, aqua frigida, vinum austerum, acetum, oxycratum. Fimus asininus aut porcinus hæmorrhagiæ narium utilissimus est. Sed quæ peculiariter ruptis benefaciunt, sunt glutinantia omnia, quæ comminuta subtiliter in pulverem ovi candido commiscentur & xylo perusto excepta imponuntur.

Hollerii memorabile sanguinis suppressorium.

Deinde tradit hic homo memorabile quoddam, quod est spongia marina non imbuta, vel lixivio querno repurgata. Aceto quam acerrimo insuccatur, tum pice liquida conglomeratur, ad hæc trito bitumine gallaque vel simili re adstringente conspergitur, & crematur testa figulari conclusa sub angusto conclavi, dum evadat cinis.

Albucasis medicamentum.

Albucasis *chirurgiæ l.* 2. *cap.* 84. meminit hujus, quod ℞. olibani partem unam, sang. drac. partes duas, calcis non extinctæ partes tres. M. Subdidit vero auctor. Quandoque hoc facit calx sola, quando non sunt tibi in præsenti olibanum & sanguis draconis.

Quercetani medicamentum.

Quercetanus *in Diætetico l.* 3. commendavit ad omnis sanguinis fluxus aquam stillatitiam è spermate ranarum; cujus mentionem fecimus in *Diætetico nostro ad chirurgiam.*

Gul. Fabr. Hildani medicamentum.

Sed Fabricius Hildanus *in l. de gangr. & sphacelo*, ex iisdem ranis ustis proposuit pulverem, qui est à proprietate substantiæ præstantissimus.

Nostrum experimentum.

Hæc illi. Quibus ego illud adjiciam, quod arteriæ temporum sectæ statim claudendæ mirabile comperi. Fuligo nimirum, quæ fundo aheni culinarii convexo adhæret, derasa, tum simplex, tum etiam guttis aceti excepta; illud est, quod inquam præsens remedium ἴσχαιμον.

CAPUT

CAPUT XXI.

De Dolorem levantibus.

D*oloris levandi* usus in externa medicina peramplus & frequens est; quapropter non abs re fuerit librum hunc concludere *anodynis*; quæ & contusis, & concisis, plagis recentibus & vetustis, collectionibus & affluxionibus cunctis æque possunt conducere; ulceribus præsertim, quorum non expectatur curatio præsente dolore, qui humidiora eadem ex continenti sui causa conservat. Dicuntur & aliter παρηγορικὰ Græcè.

Usus peramplus anodynorum.

Sed distinguendum est hoc omne genus: nam auctore Galeno *l.* 1. *simpl. cap.* 19. *facultas anodyna alia re vera talis est, alia tantum dicitur; veluti si stupidam partem & emortuam dicas dolore carentem. Sed facultas re vera anodyna est eorum, quæ primo excessu (si modo excessus hic est) excalefaciunt: quippe sane quam temperatus est hic gradus.* Sed cum hoc aliud quoque requiritur, ut tenuis substantiæ sint, ut evacuent insensili ratione, concoquantque & æquabile reddant quicquid qualitate aut multitudine, sive halituosum, sive humidum crassumque exilibus partium spiramentis offarctum inclusumque incommodat. Qua de re licet cognoscere *laxantia & nihil adstringentia esse debere, quæcunque dolorem sunt levatura.* Aliud quoque licet diducere consectarium ex prædictis, quod, dummodo dolori occurrant, nil spectant amplius, num morbus inde lentescat, aut conservetur; sed si juvetur æger, sufficit. *Duplex* enimvero *facultas inerit medicamento*, & *curandi* videlicet & *leniendi.* Itaque apparet, quod neque ea, quæ causas adimunt dolorum, hoc est, affectiones ipsas morbosque, contrarium oppugnantia; talia non sint, qualia descripsimus: quod hæc inquam vere anodyna non dicentur, neque sunt nisi καταχρηστικῶς & improprie. Illud tamen adjicitur, quod & *quæ similia proximaque sunt humanæ temperaturæ, maturantia ac pus moventia*, & ipsa quoque *anodyna* possunt esse.

Galenus.
Anodyna alia vere, alia tantum dicuntur.
Verè anodyna.
1. Requisitum.
2. 3.
Minimo minus adstringentia sunto anodyna.
Corollarium.
Duplex medicamento facultas.
Ni lenientia sint, haud quaquam anodyna erunt, licet causas doloris auferant.
Aliud requisitum, ut quam simillima sint humanæ naturæ.

Atque hæc quidem fere Galenici loci doctrina est. Partem nunc aliquam eorum medicamentorum secundum eundem auctorem enumeremus.

Anodyna sunt: primum oleum; unde Pindarus *Pyth. od.* 4. oleum remedium adversus duros dolores. Speciatim vero oleum amygdalarum dulcium, ol. rosaceum, chamæmelinum, leucoii lutei, anethinum, sesaminum, irinum, ovorum, seminis lini. Adeps; speciatim humanus, gallinaceus, suillus, anserinus, anatinus, cervinus, vitulinus. Item aqua tepida plerumque commoda sentitur. Omnis lana succida, lac, butyrum, pinguia & oleosa omnia. Sapam etiam concoquendo dolores lenire compertum est.

Ennmeratio simplicium.

Aqua tepida plerumque commoda levando dolori.

Ex herbis malva, althea, fænum græcum, melilotum, semen lini, chamæmelus, cortex sambuci medianus, & folia.

Ex aromatis est crocus, thus, manna thuris.

Compositiones.

Compositiones anodynæ referuntur, ut decocta prædictarum stirpium; videlicet malvæ; altheæ, seminis lini, radicis lilii, violariæ, pedum arietis, capitis, & interaneorum hœdi. Quæ si lacte incoquantur, eo præstantius erit medicamentum.

E mucilaginibus medicamentum.

Sed è mucaginibus paratur non incommodum anodynum hac ratione. ℞. mucil. sem. alth. & sem. lini aq. rosarum extract. an. ℥j. ol. liliorum & amygd. dulc. œsipi, axung. anseris recent. an. ℥ß. ceræ ʒij.ß. fiat ceratum. Ceratum è meliloto, ceratum dialthæas, unguentum resumptivum officinarum & hoc quoque genere sunt.

Quæ prædicta omnia omnibus promiscue affectibus, sive calidis, sive frigidis æque conferunt. Sed in calidis usitatum est etiamque & vulgo notum medicamentum ex mica panis albi cum lacte pecorino pista, & oleo rosato cum ovi luteo cataplasmatis modo composita. Unguentum populeon non alienum ab his est; item oleum violaceum, & magis cucurbitinum.

Calidis affectibus medicamentum.

Rabbi Moyses Guidone referente *in tr.* 4. *doct.* 2. *c.* 7. butyrum coctum & despumatum ductum ad solem in mortario plumbeo, quousque nigrescat, valde mirabile dixit ad hos usus medicamentum.

Sed in frigidis vitiis probatissima sunt oleum hyperici, ol. terebinthinæ, ol. vulpinum, ol. philosophorum Mesuæi, ol. laterinum, ol. ceræ. Sed omnium utilissimum apud me est crocinum.

Olea frigidis malis convenientia.

Ad

Ad hæc recenſentur *narcotica*; ſed tum adhibenda ſolum, cum alia omnia non profecerint. Itaque erit uſui hoc. ℞. cerati roſ. ℥iij. opii ʒj. caſtor. ℈ij. Vel ℞. Ung. roſ. ʒj. terebinth. ʒ. j. ß. colliquatis adde opii ℈j. croci gr. iiij. Narcotica.

Sunt qui philonium cum ovi luteo diſſolvunt, & adhibent.

Sed oleum, in quo vivens torpedo decocta fuerit, & proficuum huic uſui traditur; & a me etiam expertum. Id inquam, in quo mortua torpedo ferbuit. Oleum, cui vivens torpedo incocta.

Ad hæmorrhoidarum dolorem Altimarus utebatur hoc, quod ſequitur. ℞. corticum median. ſambuci & ulmi an. ℥iij. ol. viol. & roſ. an. ʒij. ferveant ſimul ad perfectam coctuᵗam, & adde adipis gallinæ, butyri recentis, & ol. vitell. ovorum an. ʒiiij. ſucci ſempervivi min. & ſolani an. ʒij. ceruſſæ & litharg. arg. & aur. an. ℈ß. Agitentur omnia in mortario plumbeo per piſtillum plumbeum, & cum pauca cera f. Unguentum. Ad hæmorrhoides medicamentum Altimari.

F I N I S.

PHYLLOTHERAPIA
EXTERNA EX DIOSCORIDE SELECTISSIMA, SEU DE VIRTUTIBUS HERBARUM SELECTIS.

Dioſcorides lib. 1. & *ſeqq.*



cori ſuccus claritati oculorum facit. *capit.* 2.

Balſami lignum cum iride capitis vulneribus accommodatum eſt, oſſiumque aſſulis extrahendis. *c.* 18.

Aſpalathum aphthis, ulceribus genitalium proſerpentibus, ozœnis conducit. *c.* 19.

Crocus ſacrorum ignium inflammationes inunctus levat, aurium remediis utiliſſimus. *c.* 29.

Elæomeli lepris, nervorum doloribus, oculorum claritati confert. *c.* 30.

Oleum ricininum emplaſtris commiſtum addit illis efficaciam. achoribus, ſedis inflammationibus, & infirmis cicatricibus facit. *c.* 79.

Pix cum roſaceis liquata, purulentis auribus, ulceribus profundis & putridis prodeſt. *c.* 89.

Sabina ulceribus ſerpentibus utilis, carbunculorum cruſtas exterit *c.* 96.

Ulmi radicis decoctum fractorum poris cito ferruminandis *l.* 2. *c.* 65.

Butyri fuligo ſiccandi aſtringendique vires habet; ulcera ad cicatricem celerrime perducit. *c.* 118.

Aca-

Acacia cum ovo inuncta, ambusta ne bullam contrahant, facit. *c.* 121.

Salis succus claritati oculorum facit. *c.* 122.

Agriclæa prodest oris ulceribus & aphthis, sordidis item ulceribus repurgandis. ex viridi incenso oleastro exsudans humor scabies, furfures, impetiginesque delet. idem ex incensis corni foliis. *cap.* 140. calido oleo oleastri specillo lana circum extremum obducto tanguntur gingivæ, dum inalbescunt. *cap.* 126.

Omnium quercuum contusa folia tumoribus prosunt *c.* 147.

Galla columellæ, aphthis, gingivis laxis consulit. *c.* 135.

Myrti cinis ambustis & pterygiis probe facit. *c.* 147.

Mori concisa folia ambustis commoda sunt. *l.* 2. *c.* 123.

Cucurbitæ succus oculorum phlegmonis subvenit. *c.* 138.

Porri folia emplastri modo imposita venenatis morsibus prosunt. *c.* 140.

Cæpæ maturant panos coctæ. *c.* 141.

Allium sugillatus delet. *c.* 141.

Suffitum allium menses & secundas ducit. Alliorum cinis alopeciis medetur. *cap.* 142.

Sinapi apophlegmatismis miscetur. Sugillatis & alopeciis ex melle, adipe, aut cera applicatur: ex aceto vero lepris & impetiginibus. emplastris extractoriis fere utiliter admiscetur. *cap.* 144.

Nasturtium tumores inflammationesque discutit. *c.* 149.

Irio contra latentia carcinomata, parotidas, testium mammarumque duritias valet. *c.* 152. strumas discutit pice exceptus. *c.* 150.

Hydropiperis folia cum semine illita tumores duritiasque omnes & sugillata delent. *c.* 155.

Cyclaminis succus oculorum suffusionibus & pernionibus conducit, sive ex decocto, sive oleo. *c.* 159.

Dracontion majus ex melle concisum phagedænis, & cacoëthis ulceribus, fistulis, polypis, carcinomatis, vitiligini, leucomatis: folia vino decocta plagis recentibus pernionibusque conducunt. *c.* 160.

Dracontion minus polypos absumit in lana: carcinomatis, ulceribus phagedænis, fistulis, vitiligini, ex aceto conferunt:

ferunt: nervorum vulneribus folia pro linamentis sunt .... pernioni prodest vino coctum. ocularium est. *cap.* 161.

Arisaron fistulis efficacissimum. *c.* 163.

Asphodelus sordidis ulceribus & proserpentibus, mammarum ac testium inflammationibus cum polenta succurrit. ocularium est. purulentis auribus & dolentibus dentibus confert. Cinis alopeciis, pernionibus, ambustis utilis. *c.* 164.

Bulbus luxatis, contusis, spiculis extrahendis, gangrænis, canum morsibus, sugillatis utilis. panos suppurat. *c.* 166.

Ranunculus stigmatis, formicis, verrucis, unguibus scabris, dolentibus dentibus commodus. *c.* 167.

Anemone ulceribus sordidis & cicatricibus consulit. ocularia etiam. *cap.* 169.

Argemone præcisis benefacit. *c.* 171.

Hederæ folia ex vino cocta ulceribus cocoëthis & ambustis prosunt. *cap.* 171.

Chelidonia ocularia est. *l.* 3. *c.* 3.

Gentiana vulneribus lyrii modo imponitur. cuniculosis medetur. *c.* 4.

Aristolochia surculos ossiumque squammas extrahit emplastri modo imposita, exedentia circumscarificat, sordida purgat, concava cum iride & melle explet.

Centaurium majus vulneribus consulit. In quem usum recens & humida herba tunditur; siccata vero prius aqua madescit, tum pariter tunditur. Constipat enim & glutinat. Tantaque est in constipando ac glutinando vis ejus, ut carnes simul elixa etiam cohærescere cogat. De virtute centaurii minoris libellus est inter opera Galeni. Dioscor. *l.* 3. *c.* 7. centaurium minus sanguinem ducit, eoque educto dolores levat. Hujus cum melle succus purgat, quæ claritati oculorum officiunt. *c.* 9.

Chamæleon phagedænas, & quæ ad feritatem transierint ulcera emplastri modo imposita ad mitiorem habitum transferens sanat. *c.* 11.

Dipsaci radix rimis fistulisque sedis medetur imposita, in vino decocta, tum tusa, usque dum fit ceræ crassitudo, subacta. oportetque in ænea pyxide servari medicamentum. *c.* 15.

Po-

Poterii radices tusæ præcisos nervos & vulnera illitæ glutinant. *c.* 19.

Ononidis radix carbunculos rumpit. *c.* 22.

Abrotanum discutit panos. *c.* 31.

Pulegium inflammationes omnes cum polenta emplastri modo impositum lenit. prurigines tollit decoctum. *c.* 32.

Dictamnus surculos extrahit. venenatis ictibus succurrit instillatus succus. *cap.* 35.

Salvia vulneribus utilis & hæmorrhagiæ. purgat ulcera theriode. genitalium prurigines finit cum vino decocta. *c.* 36.

Mentha discutit abscessus, tumentes ex lacte mammas reprimit. *c.* 47.

Ruta testium inflammationibus additis lauri foliis emplastri modo imposita medetur. thymos & formicas tollit. sacros ignes & herpetas sanat. *cap.* 48.

Ruta agrestis ambustis medetur cum semine illita. *c.* 50.

Panax Herculea vetustis ulceribus utilis. deficientes in ossibus carnes replet emplastri modo imposita, aut cum melle inuncta. *c.* 51.

Panax Asclepias contra ulcera, panos & phagedænas valet. concisi flores & semen ex melle imponuntur. *c.* 52.

Panacis Chironii frondes contra serpentium venena valent emplastri modo impositæ. *cap.* 54.

Pastinaca erratica repurgat ulcerum phagedænas, concisis & ex melle impositis foliis. *c.* 61.

Cuminum sativum testium imflammationibus cum uva passa ac fabæ lomento, aut cera impositum opitulatur. *c.* 67.

Selenon sativum mammarum ex concreto in grumos lacte duritias disjicit. *cap.* 79.

Libanotis, rosmarinum dictum, hæmorrhoidas sistit. sedis inflammationes lenit. condylomata, strumas, nec facile marcescentes abscessus maturat. purgant ulcera ex melle siccatæ radices. illitæ discutiunt veteres tumores. vitiligines exterit acerrimo aceto mistum. *c.* 81.

Sphondylium fistularum callos ramentis suis circumligans erodit. *c.* 83.

Peucedani radix sicca purgat ulcera sordida, squammasque ossium pellit. *cap.* 87.

Euphorbium offium fquammas pellit. *c.* 89.

Ammoniacum mollit, extrahit, calefacit, duritias & panos difcutit. *c.* 94.

Panos poft aures, id eft, parotidas dictas, abfceffusque alios, refinæ & ceræ paribus portionibus miftum maturat. *c.* 99.

Polycnemon ex aqua impofitum vulnera glutinat, quinto die folvendum. *cap.* 103.

Chamædrys purgat ulcera vetera ex melle. *c.* 107.

Liliorum expreffus fuccus ex foliis decoctufque in æneo vafe addito oxymelite contra ulcera vetufta & nova medicamentum fit. cinis cum rofaceo ambuftis medetur. *c.* 116.

Scordium vulnera glutinat, ut vetufta purgat ulcera & ad cicatricem perducit. *cap.* 156.

Cannabis elixæ radix lapidofas duritias *πώρυς* Græcè dictas disjicit emplaftri modo impofita. *c. ult.*

Chamæpitys mammarum duritias difcutit, vulnera glutinat, & quæ ferpunt compefcit, emplaftri modo impofita. *l.* 4. *c.* 2.

Britannicæ foliorum fuccus fole denfatus aut igne, tonfillis proferpentibus reprimendis valet, & omni adftrictionis officio *c.* 3.

Lyfimachia vulneraria eft. *c.* 4.

Sanguinalis, feu polygoni folia emplaftri modo impofita adverfus herpetas, eryfipelas, inflammationes, tumores & vulnera valent. *c.* 7.

Clematis venenatis morbis utilis. *c.* 11.

Symphytum utrumque vulnera conftringit & hernias. *c.* 14.

Clymenon ad cicatricem ufque vulneraria eft. *c.* 22.

Zyphium fpicula extrahit & furculos. panos difcutit. *c.* 24.

. . . . . . capitis vulneribus fractifque in eo offibus utilis. ex aceto emplaftri modo impofita tumores inflammationefque fanat. *c.* 25.

Anchufa facit ad ambufta vetuftaque ulcera, in oleo addita cera decocta, eryfipelata cum polenta difcutit. *c.* 26.

Lycopfis radix ex oleo impofita vulneribus medetur. *c.* 33.

Syderitis nova & cruenta fanat vulnera. *c.* 34.

Achil-

Achillea impoſita cruenta vulnera conglutinat, & inflammationes arcet, ſanguinis eruptionem ſiſtit. *c*. 45.

Equiſetum contuſum ex aceto vulneribus medetur. *c*. 46.

Coccus vulneribus ſimplicibus & nervorum ictibus accommoda eſt. ſi emplaſtri modo impoſita fuerit, ſanguinis eruptiones ſiſtit, & inflammationes compeſcit. *c*. 58.

Verbena vulneraria eſt. 62.

Papaver erraticum medetur inflammationibus, ſi cum vaſculis ſuis folia emplaſtri modo imponantur *c*. 77.

Cicuta exſtinguit ignes ſacros, & quæ ſerpunt. lac exſtinguit, & in virginibus mammarum incrementum prohibet. *c*. 90.

Galiopſis folia, ſuccus, caulis, ſemen disjiciunt duritias, carcinomata, parotidas, furunculos, ex aceto bis per diem emplaſtri modo impoſita. *cap*. 97.

Stratiotes enydros vulnerum inflammationes, eryſipelata & tumores arcet, ex aceto emplaſtri modo impoſitum. *c*. 98.

Stratiotes millefolium ad hæmorrhagias, vetuſta novaque ulcera, & fiſtulas laudatum. *c*. 102.

Perſonata trita dolores à contorſionibus artuum contractos illitu ſedat. ulceribus antiquis utiliter illinitur. *c*. 103.

Petaſites facit ad malefica doloſaque ulcera, emplaſtri modo impoſita. *cap*. 108.

Cytiſus diſcutit incipientes tumores, conciſa & mox cum pane emplaſtri modo impoſita. *c*. 110.

Milllefolium vulnerum inflammationes arcet, ex aceto emplaſtri modo impoſitum. *c*. 115.

Aſter Atticus prociduæ ſedi & inguinum inflammationibus recentibus utiliter emplaſtri modo imponitur. *c*. 146.

Helleborum nigrum emplaſtro inditum fiſtulas purgat & poſt tertium diem remotum impetigines & lepras emendat. miſcetur emplaſtris, quæ exedendo ſunt. *c*. 153.

Narciſſus facit ad ambuſta. ex melle trita nervos præciſiores conglutinat. emplaſtri modo, id eſt, cum melle & ervo purgat ulcerum ſordes; & abſceſſus, qui ægre maturantur; erumpit: ſurculos extrahit cum loliacea farina & melle emplaſtri modo applicata. *c*. 159.

Tithymalum pellit formicas, thymoſque penſiles, condylomata,

lomata, impetigines, oculorum pterygia, carbunculos, phagedænas, gangrænas, fiſtulas. *c.* 159.

Chamælea conciſa repurgat ſordida, & quæ cruſtas igni ſimiles contraxerunt ulcera. *c.* 168.

Sambucus & Ebulus proſunt ambuſtis, & cavernoſa ulcera glutinant. *cap.* 176.

Vitis alba delet ſugillata, digitorum pterygia compeſcit, trita & emplaſtri modo impoſita. fracta extrahit oſſa. miſcetur apte emplaſtris, quæ exedendo ſunt.

Polypodium emplaſtri modo impoſitum facit ad luxata, & ad digitorum rimas.

FINIS.



CAPI-

CAPITA LIBRI DE HUMIDÆ MATERIÆ USIBUS IN RE CHIRURGICA.

DE HUMIDÆ MATERIÆ USIBUS IN RE CHIRURGICA

SEVERINI PRÆFATIO.



Sunt & *humida* frequentiſſimo in uſu chirurgis. Quare debent & his ſermonibus inſeri. Quod tanto equidem facio libentius, quanto magis incognitæ atque exoletæ noſtro tempore ſunt antiquiſſimæ atque ampliſſimæ iſtæ medelæ: nec quiſquam eſt, qui ad priſtinam dignitatem has eaſdem revocare tantiſper cogitet. Porro Hippocrates, primus medendi magiſter, horum miniſterium tanti fecit, ut peculiari, licet brevi volumine, comprehenſas voluerit horum utilitates. Confeſſum autem eſt & pro comperto ſtatutum apud omnes doctos, non ſcripſiſſe tractaſſeque virum hunc magnum, niſi magna, & quæ plane neceſſaria cognoſceret. Quem auctorem ſequutus Hieronymus Cardanus, vir in omni diſciplinarum genere incomparabilis, *quam multum ac varie ſerviat medentium votis aqua*, librum conſcripſit.

Hippocrates. Hujus argumenti dignitas atque utilitas.

Hieron. Cardanus.

At utriuſque nos veſtigiis inhærentes univerſam, quæ in externæ medicinæ uſus faciat, materiam colligemus; ſimul etiam, quæ ſparſim Galenus, atque alii hoc genus viri de eadem reſcripſerunt, additurí. Jam autem inde incipiemus.

CAPUT I.

De Aqua, & primum de hujus, ut offertur uſibus.

A contrario argumentum, probans aquam igni facultatibus parem eſſe.

Aquam medendi viribus *admirabilem* eſſe neceſſe eſt. *Ignis* enim, quod eſt hujus contrarium, cum tot tantæque virtutes apparuerint *in Pyroteehnia*; totidem *aquæ* ineſſe, conſentaneum naturæ videtur. Ita cum ſumme calefaciendi ac perurendi dotes nactus fuerit ignis: intenſe etiam *refrigerandi* atque *madefaciendi* vim *aqua*, quæ *primum frigidorum* atque *humidorum* eſt 1. *ſimplicium capite* 3. habebit. Certumque, eſt quidquid rerum refrigerat & humectat, id *aquæ* partici-

ticipatione facere. Unde quidem inflammationibus, igni sacro & erysipelis, calidissimis affectibus, (14. *meth. c.* 3.) cunctis ad summam caloris partibus circumfusi exsuperantiis, sive quidem cum humore conjuncto, sive secus (intemperies has vocant;) quam utilissima est *aqua*. Et Hippocrates *in l. de humid. usu* dixit: *Aqua frigida prodest populis rubicundis*, &c. Atque hac quidem nedum utimur, cum præsentes calidi excessus instant; verum & cum futuri præsentiuntur. Quippe *primum omnium reprimentium est aqua*. Ita scienter facere constat eos, qui, cum aqua simplici uti non liceat, unguenta refrigerantia dum componunt, aquam frigidam admiscent; atque hoc guttatim, usque dum concorporata sit; quemadmodum nos *in Pharmaco-chirurgico cap. de refrigerantibus* explicavimus.

Galenus.

Hippocrati testatæ frigidæ facultates.

Sed *in vitiis solutæ unitatis valet non minimum aqua*; sive quidem illa recentia sint, seu vetustiora. In recentioribus quippe, quæ vulnera vocantur, infestissima quædam mala prohibet, id est, phlegmonem & sanguinis effusionem frigida, convulsionem fervida.

Ad vitia solutæ unitatis.

Quod si *ulcus cum fractura* se offerat, (exemplum calcis proponit Cardanus) aut ubi *conjunctum ulcus* non appareat; *aquæ multæ calidæ perfusione* utitur Hippocrates *l. 2. de fract.* Sed & *sine ulcere inducta fractura*, cum tophus jam in ea ferruminari cœpit, fotu calidæ gaudet. Evocatur enim & attrahitur abunde materia, unde callus nutriatur. Quod 1. *de fract.* factum à Sene legimus. In *fracturis* vero *simplicibus* quantus *aquæ calidæ* sit *usus*, diserte docuit Galenus *in comment.* 3. *de offic. med. text.* 15. qui & in deligaturam etiam infundendam aquam voluit 6. *meth. cap.* 9. *Vetusta* vero & *contumacia ulcera* sic curari posse Galenus statuit *in* 4. *de comp. med. per genera cap.* 2. si spongia in his imposita continuo & indeficienti *aquæ frigidæ* madefactu foveatur. Quam rem & Gabriel Fallopius, vir medendi callentissimus, experientiam comprobasse testatus est in *lib. de ulcer.* Tametsi vero Hippocrates *aquæ* videatur interdixisse pro curandis ulceribus universum: nihilominus in quibusdam ex his commendata est ab eodem Hippocrate *in lib. de humid.* usu; qui dixit: *Ulcera calida gaudent*, &c. Et ex confesso *aptam* dicit *ulceribus*

Ad ulcus cum fractura.

Fracturæ ossis, conglutinari cum cœpit, Fracturis etiam ossium simplicibus.

Vetustis & contumacibus ulceribus.

Aqua etiam ulceribus commoda secundum Hippocratem.

puris,

Esthiomenis herpetibus. *puris*, *& piscatorum ulceribus*, *& ex ulceribus voluntariis*, *& involuntariis*, *& quæcunque præ frigore ulcerantur*, *& herpetibus esthiomenis*. Et Celsus *l. 6. cap. 8. nares exulceratas aquæ calidæ vapore fovet*, *semel atque iterum approbant*. Similiter & *ulceribus colis aquam calidam* bis approbat *l. eod. c.* 18. Majus autem est, quod *ulceribus serpentibus* eandem adhiberi vult *l. 5. c.* 28. §. 4.

Naribus exulceratis. Ulceribus colis. Herpeticis.

Pernionibus. Plagis. *Perniones* etiam, id est, ulcera quæ ex frigore in pedibus & manibus oriuntur, *aqua multa calida* fovet *l. eod. &c.* §. 6. Quid quod & *frigidam plagis* injicit *l. eod. & cap.* 26. §. 20? quemadmodum facit & Galenus *l.* 11. *simpl. medic. F.* Quidem Galenus 1. *simpl.* dixit: *Aqua potabili sanantur ulcera calida* & *sicca*. Et *l. 4. de comp. med. per gen. cap.* 2. *aqua frigida* balneandum præcipit ulcus deligatum. Et *l. eod. cap.* 14. dysepulota & cancrosa ulcera *tepente aqua* voluit perluenda. Et *l. eod. cap. ult.* vetusta ulcera primum *aqua* abluit mox æruginosum imponit medicamentum. Et *l. 4. meth. med. c.* 2. ulcera squalentia & sicca *aqua temperata* juvari dixit. At auctor *libri Dynamidion*, *tineam*, quæ fotu suilli hepatis medicata fuerit, *frigida* lavat *aqua*. Et Rasis inquit: *Saniosis ulceribus ferme omnibus aurium*, *nasi*, *palatique conducit: expurgat enim atque exsiccat doloremque mitigat: gutturis abscessibus auxiliatur: molestias & symptomata*, *quæ ex morsu accidunt quadrupedum mitigat: confert* & ad *pruritum*. Sed *fistulis medendis* non nullo usui est *aqua*; de quibus loquens Hippocrates ait *in l. de fist. Postridie aqua calida multa perluere locum oportet*. Deinde cum *de pituita ad eundem locum decumbente* disserit, addit: *ut æger in calidam aquam demittatur*.

Ulceribus calidis siccisque. Dysepulotis. Ulceribus vetustis. Ulceribus squalidis. Ad achores & ceria. Aqua ex suillo hepate medicata. Ulceribus saniosis.

Gutturis abscessibus. Ulceribus ex morsu. Prurigini. Fistulis. Cardano expositus Hippocratis locus. Credit autem Cardanus factum hoc non ad *detergendas* sordes tantum, sed *ad callosas ulceris tunicas computrefaciendas*. Omnibus autem modis mirum atque adnotatu dignum est, quam ampli & *ad ani fistulas* usus fuerit *aqua* ipsi Hippocrati *l. de fistulis* 3. & *alibi*. Hactenus hæc Græci Latinique. Cæterum ex Arabibus & *aquam calidam ad ulceratam partem*, *sed exarescentem adhibendam ad usque ruborem* præcipit Avicenna. Quam rem approbat & Hieron. Fabricius *lib. de ulcer. c.* 5.

Vulneribus recentibus. Atque hæc quidem in ulceribus. *Vulneribus* vero recentibus non incommodam *aquam puram* experti sumus; si modo & pura

pura sint illa (ut requirere videtur Philosophus *sect.* 1. *problem.* 50.) & in carne sola recepta: illo tamen observato, ut cum exsiccata firmiter adhæserint linteola, hæc nisi eadem aqua madefacta non resolvamus, ne distracta caruncula, qui veluti tener caseolus est fundatur sanguis, qui computrescens in saniem abeat. Leniter ergo tractanda est superficies plagæ, & nihil perturbanda: sic enim lente inducetur cicatrix. Novum autem non est, curatas per *aquam* simplicem plagas recentes. His enim usibus approbavit eam & *Celsus l.* 5. *c.* 26. §. *glutin. vuln.* & §. *de ratione victus vuln.* & §. *de curat. adv. profus. sangu.* & *l.* 6. *c.* 13. §. 2. *F.* & *l.* 8. *c.* 10. Sed omnium maxime observandus est. §. 26. in quo loco *frigidam* medicamentis omnibus peregrinis conquisitis & compositis prætulit. Laudavit quoque in hanc rem aquam Dioscorides *l.* 5. *c.* 96. & *Galenus l.* 11. *de simpl. med. fac. c.* de spongia, post hos vero Aëtius *l.* 14. *cap.* 26. Nimirum *aqua*, sicut Vidio placuit *in oper. de cur. membr. l.* 6. *cap.* 3. *purum ulcus servat, influentem humorem repellit, & naturali calori aucto sanitatem restituit.* Quo nomine, inquit ille, post sectionem ossis Paulus Ægineta *l.* 6. *c.* 90. super plagam *linteum* imponit *aqua & oleo* madefactum. Facit etiam ad *sauciatos nervos*, die tamen septima præterita, doloreque prius sedato; sicut adnotavit Andr. Baccius *l.* 7. *de therm. c.* 2. Qui & *lib.* 2. *ejusdem operis c.* 11. narravit vulnera multa simplici *aqua* se sanasse. Ad summam concludens autoritate Galeni *citatis locis* hæc; *quod aqua detergat, constipet, contrahat, repellat atque astringat, cohibeatque quod excernitur, & demum ad cicatricem perducat ulcera.* Remedium quoque *aquæ tepidæ* tum *puræ*, tum *oxelæo commistæ* probavit Jos. Quercetanus *Sclopetarii cap.* 5. Præter hæc autem omnia vise, & quæ nos eadem de hac re *in Traumatica restituta* scripsimus.

Celso ad recentes plagas approbatus aquæ usus.

Dioscorides. Aëtius. Vidius Florentinus.

Quid præstet ulceribus aqua.

Nervis sauciatis.

Morbis autem *conformationis* an occurrit? Enimvero maxime, quando vel ipse Hippocrates *dicto l. de humid. usu* inquit: *Humores quoque in articulis, ac dolores sine ulcere, & podagricos, & convulsa, plurima ex his frigida multa affusa levat atque extenuat.* Sed Galenus *œdemati curando aquam aceto varie* miscet, tum 14. *meth. med. c.* 4. tum etiam 2. *artis curat. ad Glauc. c.* 3. Et *eod. l. c.* 2. ad *inflammationem aquam* ipsam

Morbis conformationis.

Extumescentibus articulis ac dolentibus.

Convulsis.

Oedematis.

Inflammationi. Inflato intestino. Strumis. Parotidis.

proponit adhibendam ex spongia. Et 13. *meth. c. 5.* irritatam *phlegmonem* eadem ex *aqua* spongia mitigat. *Inflatum* vero *intestinum* ex *percusso abdomine prolapsum*, quod reduci facile non potest, *aqua calente* fovet *l. 6. meth. c. 4.* Et *strumas* mirabiliter, & sæpe etiam *parotidas*, *assidua calidæ aspersione sanari* professus est Archigenes *apud Galenum 3. secundum loca c. 2.*

Hæmorrhoidum tumori. Sedis ardori.

Sed *tumentibus hæmorrhoidis*, ut dolor, qui maximus est, sedetur, *nihil balneo utilius* est: & *si anus ardeat*, *frigidæ fomento nihil præsentius.*

CAPUT II.

De aquæ calidæ usibus.

Ad *prolectandum* quoque *venarum sedis sanguinem*, postquam hirudines exemptæ sunt, *utilissima* est *calida.*

Emorientibus locis.

Præter hæc & *emorientibus locis*, id est, à nobis vocatis gangrænis, *utilem aquæ calidæ perfusionem* dicebat Hippocrates *in l. de humid. usu.*

Ossibus fissis. Luxatis.

Ad *fovendas* quoque *fissorum ossium capitis plagas aquæ calidæ per spongiam fotum* commendavit Cornelius *in libro 8. c. 4.* Ad hæc *luxatis* non mediocriter conducit: quod demonstravit idem Hippocrates *in 3. off. medici tex. 15. de aqua* dicens: *Multitudo ad laxandum & attenuandum*, &c. Quem usum quidem explicat Galenus *in comm. de perfusione aquæ*, quæ post resolutas fascias fractis ossibus adhibetur. *Siquidem ubi acciderit huic aquæ calidæ fotus*, *remedio* est. Quam rem in 4. *de fract. articulis manuum pedumque cum ulcere luxatis* exsequutus est Hippocrates· Neque aliter quam *laxando* in his perficitur.

Callo prærterquam naturæ modus exposcit excrescenti. Ad luxata commode reponenda.

Attenuando vero benefacit *calida aqua* diu multos dies adhibita, ut in *callo fractis*, præter quam aut justa natura, aut hanc inspiciens medicus velit, accreto. Quid multa? Tam proprie debetur *luxatis aqua calida*, ut ab initio, cum repositio instituitur, vel vulgares medici necessarium ejusdem usum & cognoscant & opere commonstrent. At Hippocrates hoc in *reponendis spinæ vertebris* facit *tertio de articulis.* Celsus vero *l. 8. c. 10. quotiescunque resolvitur membrum*, *calida aqua fovendum est*, inquit.

Jam autem *doloribus*, an *ſuccurrat aqua*, inquiramus. Reſpondet Hippocrates *in l. de humid. uſu*, & Galenus tum *comm.* 2. *in l. Hipp. de victus rat. in acut. text.* 2. tum *in l. de remediis parata facilibus: univerſim aquam calidam mitigatoriam* eſſe; *& ex aqua fomenta ad dolores partium externarum utilia* ſtatuit. Quod idem vir confirmat *in 6. de morb. vulg. comm. 6.* text. 5. At *libro de affect. dolori dyſenterico* adhibuit. *Laſſitudines* etiam mulcent *aquæ tepidæ lavacra* 2. *de ſimpl. med. fac. cap.* 25. *ulceroſis* quidem, ut 4. *tuend. ſanit. tenſivas* vero & *phlegmonoſas*, ut 3. *ejuſdem:* quippe, quod humiditate inſtrumentorum corrigant ſiccitatem, & caliditate tenuem atque acrem humorem digerant. Doloribus. Laſſitudini.

Privatim vero conducit *aquæ calidæ fomentum* in his malis. Primum *cephalææ*, ſecundum Aurelianum *l.* 1. *chron. c.* 1. Deinde *pleuritidi*, quem lateris nos dolorem dicimus, Hippocrate & Galeno teſtibus *comm.* 2. *de vict. rat. in acut. text.* 1. Porro & *dolores oculorum* levat. Hippocrate auctore 6. *aph.* 31. Et horum *acres fluxiones* & *lacrymas* reprimit, Hippocrate auctore *lib. de humid. uſu*, & *Galeno* 13. *meth. med. c.* 22. & *Celſo lib. 6. c. 6.* titulo, qui eſt *de alio genere inflammationis.* Ad *duras craſſaſqae palpebras calidam multam aquam* affundi vult idem *Celſus l. 7. cap. 6.* §. 26. Et ad *prurientes oculos* Octavius Horatianus *lib. ad Euſeb.* 4. Et ad *ſclerophthalmiam*, id eſt, aridam lippitudinem permultum eam laudat Avicenna *l.* 3. *fen.* 3. *tr*, 3. *c.* 16. è junioribus vero noſtris Lazarus Sotus *in comment. ad Hipp. lib. de locis in homine num.* 47. Cephalææ. Pleuritidi. Oculorum defluxibus. Ad duras craſſaſque palpebras, & ad harum pruritum. Aridæ lippitudini. Laz. Sotus.

Dolores vero *aurium* nec minus *calida ex aqua fomenta levant*, ut teſtatur Hippocrates *l. de affect. circa initia*, & Cornelius *l. 6. cap.* 7. & Galenus 3. *de medic. local. c.* 1. *de auribus exulceratis*, & Alexander Trallianus *l.* 8. *c.* 2. Qui idem Galenus & *parotidas dolentes* levat *aquæ calidæ fomentis* citato modo *l. medicam. local. c.* 2. Aurium doloribus.

Dentibus dolore afflictatis *calidæ vaporem* approbavit *Celſus lib. 6. c.* 9. Et *tonſillis*, donec ſuppurent ac per ſe aperiantur, *l. eod. c.* 10. *Dolori* vero *uſti loci* levando *calidam* fovet Razes *lib. diviſionum. c.* 103. Dentium dolori. Tonſillis. Dolori partis exuſtæ.

Ad *laxandas* etiam *levandaſque intentas partes* capitur prudenter *calida*. Cujus rei gratia & *genas calida* fovet Hippo- Tenſis humorum affluxu partibus.

crates *l.* 2. *de morb. nu.* 26. Et Celſus *l.* 6. *c.* 18. *lemmate de colis morbis*, tum *fomentum*, tum *ſolium* imperat homini. item *l.* 7. *c.* 26. §. *de curatione ab evulſo calculo*. Taceo, quod *fomentum aquæ calentis* adhibet per totum corpus Hippocrates *ei*, qui *veratrum aſſumpturus* eſt, ejuſdem rei gratia, *l.* 2. *de morb. t.* 21.

Liquando grumo lactis. Ad *liquandum lac fœtæ mulieris*, quod in caſeum concreſcit, *multam* & *diu affuſam aquam* valere pro comperto refert Mich. Savanarola *in opere pract. tract.* 6. *c.* 12. *rubr.* 3.

Reponendis inteſtinis. Dolenti atque inflammatæ ſedi. Ad *reponenda* quoque *inteſtina in ventrem transfoſſum* Galenus 6. *meth. c.* 4. ad *dolentem* quoque & *inflammatam* ſedem & *rectum inteſtinum*, *utendam* ſive *deſeſſu*, ſive *fomentis aquam* Hippocrates docuit in *l. de fiſtulis. num.* 3.

Attenuando membro. Detegendæ venæ. Ad *præparanda*, id eſt, *attenuanda ſugillata*, ut mox impoſitis diſcuſſoriis deleantur, (arſenicum citrinum cum aqua coriandri laudat Raſis *tract.* 1. . . . . . *c.* 115.) *aquæ calentis vapor optimus* eſt eodem auctore. *Aquæ calidæ affuſu ad attenuandum membrum ad detegendam* & *curandam medeni venam* utendum vult Avicenna *l.* 4. *fen.* 3. *tract.* 3. *c.* 22. Ad *venas* vero *pedis* & *ſaphenæ* hac utuntur phlebotomi noſtri. Verum enimvero haud pleno ſemper cum fructu. Felicius quidem antiqui, ut teſtis eſt Oribaſius *l.* 7. *collect. med. c.* 9. in balneum demiſſis hominibus & membro extracto ſic ſanguinem detrahebant. Quod adverſum ſagaciter ab Hieron. Mercuriali *l.* 4. *de morb. mulier. c.* 1. quod eſt de *menſtruorum defectu*, latere te nolui lector.

Generales ad ſummam commoditates aquæ calidæ. Tenſis. Refrigeratis. Corrigendæ carnis intemperiei atque hujus novæ reparationi. Verum quid multis opus eſt? Brevi rem concludimus. *Frequentiſſimus* & *plurimus* (inquit Galenus *comm.* 6. *in* 6. *de morb. vulg. text.* 5.) *in dolentibus particulis calidæ eſt uſus apud medicos: nam & contenta relaxat, & completa evacuat, & refrigerata calefacit.* Addit ad *comm.* 3. *de offic. med. text.* 15. *quod calefacta refrigerat, calorem evocans ad exteriora, & utili humore madefaciendo.* Itemque & *intemperiem ſiccam corrigit carnis*, 4. *meth. m. c.* 2. *Carnemque ipſam excitat vapore*; ut inquit Celſus *l.* 7. *c.* 9. quod eſt *de curtis*, & *l.* 8. *c.* 4. & *c.* 6. ſed *l.* 5. *cap.* 26. §. 25. planiſſime. Quam quidem rem Celſus imitatus eſt ex Hippocratis 1. *de offic. med. text.* 15. Nam vero præter hunc ordinem præcipuas alias aquæ facultates enumeremus.

Aqua

Aqua calida modica mollit & carne replet, 1. *offic. med. text.* 5. Quod ſpectat quidem ad molliendum, *ſclerophthalmiam* ic curat Paulus *l.* 3. *cap.* 22. Quod vero ad *ſarcoſin*, ad *pu-illæ tabem* & *oculi maciem* principió morbi adhibet Aëtius *te-rab.* 2. *ſerm.* 3. *c.* 53. & 54. Ad *implendum* quoque *vulnus* pro-icit plus multis *balneum rarum*, autore Celſo *in l.* 5. *c.* 26. §. *e implendo vulnere ex aqua*: id enim interpretor *calida*, ut ca-lorem partis excitet & foras eliciat. Sed & *curtis* ad glutina-ionem promovendis *aquæ vapore* utitur idem Celſus *l.* 7. *c.* 9.

Molliendo, & ad ſarcoſin provocandam. Sclerophtalmiæ. Pupillæ tabi.

Aqua calida plurima mollit, *laxat*, & *attenuat*; ibidem a-ud Hippocratem, Quapropter & *comm.* 3 *l. de rat. vict. n acut.* 59. & *l.* 1. *epid. ſect.* 3. *part.* 23. in Mythone *ad hæ-morrhagiam minus quam par eſt fluentem proliciendam*, *aquam dulcem calentem capiti frontique* infundit. At Celſus molliendi exemplum reliquit in *duris ani rhagadis*, *condylomatis*, & *callis*, *l.* 7. *c.* 30. Qui & *internarum faucium exulcerationi va-porem calidum ore recipiendum* præcepit *l.* 4. *c.* 4. §. 1. Ita & *hordeolo remolliendo* Octavius Horatianus *l.* 1. *ad Euporiſtum c.* 0. Quo item conſilio Meſuæus providus vir, *albuginem*, id ſt, cicatricem oculi *eximendam vapore & fotu multo aquæ ca-idæ* præparat.

Laxando. Attenuando.

Aqua temperata aptiſſima eſt ad *puris procreationem*; Hip-ocrates *l. de humid. uſu* apertis verbis, & *Celſus i.* 5. *c.* 26. . 22. qui eſt de *ratione victus*, & *l.* 6. *c.* 10. & *c.* 13. & Ga-enus in *l.* 5. *de ſimpl. med. c.* 9. & 4. *meth. med. c.* 5. & Ori-baſius Sardianus *lib.* 9. *collect. medicinal. c.* 23. Quo conſilio & ad *reduvias* ſive paronychia Græcè dicta proponit hæc Pau-us *l.* 3. *F.* Quare non incommode faciunt hi, qui ad *provo-andam medicis fonticulis ſaniem deficientem* ejuſmodi fotu con-ueverunt uti.

Puri provocando. Paronychiis.

Aqua oſculorum aperiendorum vim habet; Galenus *de cauſ. morb. cap.* 5. *Leniendi* quoque *pituitæ defluxus medicamentum* poſuit Celſus *l.* 6. *c.* 6. §. 1. & 2. Ad hæc & *cauſtico felicius promovendo à partibus ſubjectis*, *fovendas aqua calida eaſdem*, *uſque dum ruborem contrahant*, adnotavit recte Thomas Fienus . 3. *de cauter. cap.* 13. Sanguine nimirum accito dexterius calor exſequetur actum. *Aqua calida ſudores movet*; auctor *de cura icteri paulo amplius quam medio.*

Partium oſculis aperiendis. Sudoribus movendis.

Attollendis tumore partibus.

Item *intumescere facit corpora* & horum particulas; *lib. de sanit. tuenda c. 7.* Item & *detumescere tumentia* facit. Quo usu est apud Celsum *l. 7. c.* 18.

Convulsioni.

Convulsiones sedat: quod primus Hippocrates dixit, & tum idem ipse auctor 5. *aph.* 21. tum Galenus *in comm.* explicarunt.

Pernionibus.

Hypoglossi.

Concoquit & *digerit.* Eam ob rem usurpata per Celsum *l. 5. c.* 28. *ad perniones*, & *ulcera*, quæ ex *frigore* in *pedibus* ac *manibus* oriuntur. Hippocrates vero 2. *de morb.* ad *hypoglossin* hanc adhibet per *spongiam.*

Excogitarunt & *in aqua calente usum alium plane præclarum, qui aversorius* est, medici solertes. Inter hos Gerardus de Sole & Marcus Gattinaria; qui *sub catarrho & hæmorrhagia & synanche manus pedesque extremos in aqua detinendos* præcepit *suis locis.*

Crustis ustis resolvendis.

Apostemati prohibendi.

Ignis crustas frequens adhibita resolvit; ut cognoscitur ex illo Cornelii Celsi *in l. 6. c. 7.* §. qui inscriptus est, *ad gravem auditum*, & tradit Albucasis *l. 2. c.* 65. *Servit & apostemati prohibendo, quod excitarent cucurbitulæ, embrochæ modo adhibita*; Avicenna *l.* 1. *fen.* 4. *c.* 22.

Evocat calida foras venas & arterias, quæ incidi discindique debent. Quamobrem *angiotomiæ* maxime servit. Testimonio potest esse id, quod scribit auctor *anatomes vivorum c. de venis p.* 11. *B. Evocandas vero hæmorrhoïdas calida fovet* Hippocrates *l. de hæmorrh. n.* 3. & 4. *Ad exaltandas* vero *arterias temporum eadem utitur* Albucasis *l.* 2. *c.* 3. Plura de *hac* & de *tepida* leges apud Aëtium *l.* 1. *ser.* 3. *c.* 165.

Hippocrates de calidæ usibus.

Ad extremum multa brevibus de *calidæ facultatibus* complexus est Hippocrates ipso *l. de humid. usu*, quæ sunt: *cutis duræ emollitio, distentæ laxatio, nervorum carnium humorum sub cutem effusio, sudoris secretio. Humectare prolectione, velut nares, vesicam, flatus. Incarnare, attenuare, liquefacere, minuere, calorem revocare, calorem dispergere. Somniferum est, & in caput & in alia membra, convulsionum, tensionum mitigativum, dolores stupefacit, auris, oculorum, & quæcunque talia.* Et inferius: *Calida oculis convenit, doloribus, suppurationibus, lacrymis, mordacibus, siccis omnibus.*

CAPUT

CAPUT III.

De aquæ frigidæ usibus.

Sed *aqua frigida* & *calorem ipsum excitat*: quod etiam ab Hippocrate declaratum est *lib. de humid. usu*; ita, ut uteros prolapsos & refrigeratos ita foveat *l. 2. de morb. mul. num.* 28. & 29. *Nota* vero 42. hystericam mulierem, quæ apoplecticæ modo jacet mortua, affusa ad crura & manus liberaliter frigida revocare docuit. Adhuc & *calorem repellit*, 2. *de simpl. m.* & 1. *de comp. med. per. gen.* Quare locis superioribus imponi pro descendentibus humoribus arcendis & dolori prævertendo solet: ut fecit Celsus; qui *l. 7. c. 7. concisis & confectis palpebris frigidam imponit ex spongia. Frigida* quoque ad id rei *fovet partes ad contegendam glandem dissectas l. 7. c. 25. f. Cogit* & *claudit cutem*, 3. *de sanit. tuend.* & *comm.* 5. *aph.* 20. & 5. *de simpl. med. fac. c.* 14. & Aëtius *serm. 2. c.* 228. Quæ etiam ad *solidas prolapsas partes revocandas* valet. Quare ad *reprimendam contumescentem uvam ea* usus est Cornelius *l. 6. c.* 14. Et ad *procidentem oculum* (proptosin dixere Græci) *frigidam affundendam* vult Avicenna *l. 3. fen. 3. tr. 3. c.* 32. Omnium vero primus Hippocrates *l. de steril. nu.* 17. *prolapsam vulvam aqua frigidissima sub divum exposita restituit.* Item *corpus roborat*, & *cutem densam* & *duram facit.* 2. *de sanit. tu.*

Et frigida (inquit Hippocrates *l. de humidorum usu*) *convenit doloris exortibus valde rubicundis*, & qui collectiones *tuberculorum juxta venas habere solent*; *qualia sunt ulcuscula capitis manantia*, & *circa thoracem*, & *alia dura.* Et rursus idem *sanguinis profluvia sisti per frigidam* advertit 5. *aphor.* Et *l. 3. de off. med. tex.* 30. *ad fluores uteri rubros*, quos recens mactatæ victimæ comparat & grumis pellucentibus prodire dicit, *compescendos aquam frigidam ventri* profundit, ac linteum tenue molle rasum (ita credo equidem dicere voluit, non, rasuram) aut spongiam madentem ipsi adhibet. *Hæmorrhagiæ* vero *sistendæ ad caput frigidam* affundit Alsaravius *tract. 2. pract. c.* 5. Ex nivali imbutans spongia Princeps *l. 3. fen. 3. tr. 2. pract. c.* 15. *ad ægilopis ustionem*, oculum defendens cir-

Aquæ frigidæ utilitates.

Uteris prolapsis ac refrigeratis.

Hystericis.

Depellendis fluxionibus.

Cogendis humoribus.

Claudendis partibus.

Prolapsis partibus.

Columellæ reprimendæ

Proptosi bulbi oculi.

Prolapsæ vulvæ.

Collectionibus.

Tuberculis.

Sanguinis profluviis.

circumponit: quod ex Aëtio *lib.* 7. *c.* 85 potuit didicisse. Eodem modo eam Celsus adhibet *l.* 5. *c.* 26. & *l.* 6. *c.* 18. §. 3. qui est de *cancro colis*, & Paulus *l.* 6. *c.* 34. & *Albucasis l.* 1. *cap.* 48. & *l.* 2. *cap.* 3. qui & *nivali* ad hanc rem utitur: verum tamen servata norma per D. Hippocratem proposita *l.* 5. *aph.* 23. ut non super ipsas partes unde fluit, sed *circa* adhibeatur. Quanquam aliquando & *indissitis imponi frigidam nivosam* ex usu est. Atque ita *stillicidium ad caput ex aqua frigida* facit *ad hæmorrhagiam* M. Gattinaria; fortasse quod ex Aristotele *sect.* 33. *problem.* 6. didicerat: *frigida aqua affusa in faciem ejusque hæmorrhagiam patitur hanc finire.* Thomas Campanella conterraneus noster *large cuidam profluente sanguine de naribus, testibus in aqua frigida detentis symptoma sustulit.* Quod credo legerat apud Galenum *l. de secretis*, aut qui & *calidum pedibus* adhibet, apud Avicennam *l.* 3. *fen.* 4. *tr.* 1. *cap.* 9. aut ad hujus viri vestigia sequutum Savanarolam *tr.* 6. *c.* 5. *rub.* 3. Et Alex. Benedictus *lib.* 5. *cap.* 8. *liquorem gelidum* adhibet: qui alias *lib.* 5. *curat. c.* 11. *frigidam testibus affusam consensu quodam occulto vasorum sanguinem fluentem revocare* testatus est, non sola aut vulgari avertendi ratione. Simili consilio & Nicolaus Piso *cerebri membranarum inflammationem contemperans in phrenitide testibus aqua gelida madefactis* curationem instituit *lib.* 1. *de cur morb. int. c.* 10. *Aqua aceto mista testes in hæmorrhagia madefaciendos* meminit Amatus Lusitanus *cent.* 6. *cur.* 6. Sed Hercules Saxonia *lib.* 1. *panthei medicinalis c.* 2. ut *testes madefaciendos viris*, sic *mammas fœminis* docet. Quippe mirum, quantum adeo conmunicent hæ cum supremis istis partibus & capite.

Historia. Hæmorrhagiæ narium.

Consensus pudendorum cum supremis partibus. Catarrhis.

Quam rem quidem divine cognoscens idem Princeps *l. & fen. iisdem tr.* 1. *c.* 13. *eosdem testes cum ano perungendos sampsuchino* atque aliis hujusmodi collyriis *in pertinaciori catarrho* decrevit. *In catarrhis* vero *sanandis calidam ad testes affundit* Mesuæus *l.* 2. *summa* 4. *cap.* 8. & hunc sequutus Michaël Savanarola *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 5.

Hæmorrhagiæ narium.

Et eosdem ad infrænandam hæmorrhagiam narium astringit. Quod & Gul. Rondeletius facit 1. *de cur. morb. c.* 63. & hunc secutus Jacobus Pons medicus Lugdunensis *in Isagoge medica. Hæmorrhagiæ narium sistendæ frigidam omnibus modis admini-*

mini-

ministrandam Michaël Savanarola *citato* modo *loco* præcepit; atque etiam *ore continendam*, *gulæ ex panno adhibendam*; *ad spatulas*, & *sumen*, & *ad sedem affundendam* aut *admovendam*. *Continendam quoque ore & sæpe remutandam frigidam*, *egresso è calido balneo*, *aquam homini*, *cujus gulæ hirudo inhæret*, jubet etiam Savanarola *tr. 6. c. 9. rubr: 4. Dolentibus* vero *dentibus panniculos duplicatos exteriori loco respondenti nivali aqua imbutos sese imposuisse perpetuo cum fructu* refert idem *tr. eod. c. 7. rub.* 3. ea scilicet beneficii ratione, vel quod stupefacit, vel quod per accidens attrahit ad partem calidum, quo discutitur dolor. *Ad idem* vero *symptoma sanguinis tollendum*, & *capiti* & *spatulis frigidam aquam affundendam* idem vir præcepit. Quod nudo homini faciendum voluit Gabriël Ferrarius *l. 1. sylv. chirurg. adversione* 14. & Gualterus Bruelis *in prax. med. In aquam nivalem immersionem inferiorum artuum*, *donec isti torpescunt*, laudavit Alexander Benedictus *l. de morb. c. 9. Ad pedes* vero *frigidissimam affundendam in eadem hæmorrhagia* voluit Octavius Horatianus *l. 4. ad Eusebium. pag. 90.* Quod imitatus est fortasse Jac. Sylvius, qui *adversus mensium profluvia fœminæ tibias adusque femora immergenda* voluit *l. de mens. mulierum cap. isto. Ad hepatis regionem imponendam è madido panno nivalem aquam ad eandem hæmorrhagiam* propositum nobis est à Bertruccio Bononiensi laudato in re medica viro *tr. 5. sect. 1. c. 1.* Qui vir & *tr. 5. sect. 3. c. 2. insessu aquæ frigidæ usque ad umbilicum prolapsum intestinum* docuit reponi. *Tollit* & *frigida singultus inopino affusa homini*, *qui insolenti ejus molestia torquetur*, *remedio felici*; si credimus Ant. Guainerio *com. de pass. stomachi c. 57.* Quoniam autem *nivalis aquæ* meminimus, hæc insuper dicemus. *Et ambustis affusa prodest*, autore Rhaze *in l. 7. ad Mansorem c. 18.*

Dolori dentium aquæ nivalis.

Prolapso intestino. Singultui.

Ambustis.

Ad summam tam *amplivaga* varieque *utilis* est *aqua* sive *calida* sive *frigida*, ut Hippocrates & hujus maximus observator Celsus nil usitatius, nil celebrius omnibus in morborum curationibus habuerint. Atque hæc quidem *dulcis* sive *potabilis aqua* valet.

CAPUT IV.

De aquis aliis commiſtitiis.

Aquæ permiſtitiæ omnes exſiccant. Aqua hordei neque exſiccandi facultate caret. Exſiccantium quarundam aquarum comparatio & gradus. Thermales aquæ. Oxycratum. Hydromeli. Oenomeli. Vini aqua, ardens dicta. Lixivium. Inflationi artuum. Vulneri ſordido. Vulneratis nervis à putredine vindicandis Contuſis item Aqua hordei perluendis thoracis tranſfoſſi vulneribus commoda. Lixivium & aqua calcis apta œdematis, emphyſematis, hydrocelæ, podagræ, arthritidi. Ulceribus difficilibus. Baptiſta Porta. Jacob. Vecherius.

SEd de *aquæ potabilis* uſibus ubi peroravimus, jam de *aliis* doctrinæ complemento diſſeramus. *Has omnes exſiccare* profeſſus eſt Galenus 1. *de ſimpl. medic. facul. c.* 6. Itaque *hordei aqua* ſimpliciter non ſic *humectat*, ut vulgus credit. Superat hanc longe *aqua fabrorum* & *marina*, quæ liquido *exſiccat.* 5. *ſimpl. c.* 2. *atque ita*, *ut incorruptas carnes ſervare queat*, Galeno auctore *in l.* 2. *de nat. ſuc.* *His* accedere proxime *thermales aquæ* videntur, quæ ſalis aut aliorum foſſilium infecturam à natura ſunt nactæ, ſicut & Hippocrati *l. de humid. uſu* placet. Ab his *oxycratum* eſt, præſertim *acrius:* ſed hoc *hydromeli* valentius eſt, & hoc etiam *œnomeli.* *Vinum* vero *exſtillatum* penetrabili virtute maximum eſt. Sed ſuper omnia *lixivium cinerum* & *aqua primæ calcis loturæ* maxime ſtrenuæ ſunt *exſiccandis humoribus.* Porro *lixivium ad inflationes artuum & muſculorum* probat Galenus 14. *meth. c.* 4. & *ad ſordes vulnerum abſtergendas l.* 2. *ad Glauc. c.* 8. & *ad vindicandos à putredine vulneratos nervos* 6. *meth. c.* 2. & *ad contuſos nervos etiam à putrefactione tuendos. l.* 3. *de comp. med. general. c.* 2. *His* quidem *omnibus ad ulcera*, *& ad tumores*, *atque abſceſſus apertos non apertoſque* utimur.

Hordei aqua celebratiſſimi uſus eſt *in proluendis vulneribus thoracis penetrantibus.* Cui *ad pleniorem abſterſum ſaccharum* immiſcent: *ad pleniſſimum* vero adhuc & *mel* addimus; qua *ad abſceſſuum ſinus extergendos & ad oris ulcera ſordida* utimur.

Pituitoſos, *aquoſos*, *ventoſos*, *miſtoſque ex his materiis tumores*, ad hæc *podagricos*, & *arthriticos*, & hoc genus omne, *vulgari lixivio fullonum* aut *calcis aqua* diſcutimus, Guidone, Gulielmo Rondeletio, ac Hieronymo Fabricio auctoribus. Galenus vero *œdemata lixivio* fovet *l.* 2. *ad Glauc. c.* 111. *Aqua* autem *lotæ calcis difficilia curatu ulcera madefacimus.* Quod Jo. Baptiſta Porta *in magia naturali* & Jac. Vecherius *in ſecretorum opere* docuerunt. *Idem ex ablutis*, *quæ exuruntur*, *medicamentis aqua valet.* Etenim *ex his aqua reſidua calidæ facultatis eſt* Galeno *l.* XI. *ſimpl. c. de oſtreis.*

Aqua

Aqua fabrorum adstrictoria atque *exsiccatoria* non parum est: unde *ad sedem prolapsam* est adhibita *l. de remed. parat. facil.* Ad hæc *adstringendis proserpentibus ulceribus* convenit. Quare & *ad malum mortuum* ea usus est Guido *tr. 6. doctr. 2. c. 7.*

Aqua maris ad incipientes gangrænas ex erysipela transmutatas lavat Galenus 14 *meth. curativæ cap. 3. provolutos* vero *anum* & *vulvam* Celsus *l. 6. c. 78. tit. proprio. Ad tentatos fluxione articulos ea* utitur Oribasius *lib.* 10. *collectan. c.* 39. utitur quoque *ea* Celsus *ad excrescentes fractorum ossium callos l. 8. c.* 10. *F.* sed Paulus *ad perniones l. 3. c. 79.* & *ad contusa l. 4. c. 29.* & *ad mydriasin* Aëtius *tetrab.* 1. *serm. 3. c. 52.* & *ad expressionem oculi* idem *ibidem c. 55. Ad scabiem* autem & *pruritum marinam* valere Q. Serenus *Hexametræ medicinæ c. 9.* testatur his verbis:

Pruritus autem salsos lavat humor aceti
Sive maris rapidi sudor.

Et Aurelianus *hanc phthiriasi* commendat *l. 4. c. 2.* uti *ad pediculos oculorum* Auctor libri *de remed. parab. c. 12. Majus* autem *est, quod hydropi quaqua parte discutiendæ ejusdem ex spongia vaporatus* approbat idem Aurelianus *l. 3. chron. c. 8. & ad mordicantes affectus vesicæ encathismata*, id est, *insessus ex marina* probavit *ejusdem operis c. 4. Ad decutiendas adhærentes gulæ hirudines gargarizandam marinam* voluit auctor *l. de remed. facil. parab. c. 21. Ad vermes ulceribus diluendos* Azaravius *tr. 13. c. 14. Ad prohibendas* vero *in coalitum palpebras recens dissectas etiam esse usus marinam* indicavit Albucasis *l. 2. c.* 18. qui *eadem* ad *idem operæ* usus est *ibidem.* Quod intelligens Joannes Langius *in epist. concisis scarificatione locis gangræna prehensis marinam aquam* aut *sale infectam affundendam* voluit. *Ad ulcera lavanda & detergenda eam* probavit Avicenna *l. 4. fen. 4. tr. 3. c. 5.* qui & *ad sugillata eandem* fecit valentem *l. 2. tract. 2. c. 59.* verum audi quæ de *aqua maris* Hippocrates *l. de humid. usu* scripta reliquit. *Mare*, inquit, *pruriginosis, & qui ab acribus humoribus vellicantur, prodest, ut & lavent & foveant ex calida. Aptum est puris. Bonum est & ad attenuandum, & ad piscatorum ulcera; hæc enim neque suppurantur, si non vellices. Et ad ulcera cuniculosa* & *depascentia proserpendo sedat, ac sistit, veluti sal, salsugo, nitrum.*

Aqua fabrorum usui est. Sedi prolapsæ. Proserpentibus ulceribus. Malo mortuo.

Aqua marina Gangrænis incipientibus. Erysipelis jam livescentibus. Prolapso ano & vulvæ articulis fluxione tentatis. Excrescentibus callis. Pernionibus. Contusis. Mydriasi sive ampliatæ pupillæ, Scabiei. Prurigini. Phthiriasi. Hydropi; Mordicanti affectui vesicæ. Hirudini refigendæ. Vermibus ulcerum. Prohibendis à coalitu palpebris. Sectis jam gangrænis. Ulceribus lavandis Sugillatis. Pruriginosis. Puris ulceribus Attenuando. Ulceribus cuniculosis & depascentibus,

Aquæ thermales.

Aquæ thermales, præcipuè quæ *ferream ac magneticam*, *naphtheam* aut *bitumineam ſcaturiginem*, aut *miſturam tincturamve* referunt; *omnes curandis teredinoſis oſſibus atque his vitiatis expellendis ſunt accommodatæ*, certis quoque partibus benefaciendi prærogativa gaudentes. Sed *de his* lege Andreæ Baccii *opus de thermis*.

Teredini. Oſſibus vitiatis expellendis.

CAPUT V.

De Vino.

Ulceribus medendis & perluendis.

Succedit poſt *aquam* de *vino* dici; cujus magna laus eſt *in ulceribus medendis*, indicante luculenter hanc rem Hippocrate *initio de ulcer.* per id: *Ulcera omnia humectare non oportet, niſi vino.* Confirmat autem Galenus *in* 3. *de meth. med. c.* 4. his verbis: *vinum igitur omnis ulceris, qua ulcus eſt, optimum eſt medicamentum.* Ad *ulcus* vero *humidum* plurimum commendatum eſt ab eodem 4. *meth. c.* 2. Et *ad vulnera diuturna commodum eſt dulce vinum aſſidue adhibitum*, inquit Hippocrates *l. de humid. uſu.* In univerſum vero *lavat ulcus vino* Galenus *l.* 2. *art. cur. ad Glauc. c.* 1. Et Celſus *exciſum hoc genus vino ex ſpongia* curat. *l.* 7. *c.* 2. *F.* Nimirum quod *lenit* 3. *de compoſ. med. per loc. c.* 1. Ita *auſterum* atque *acerbum* propterea quod *adſtringit comm.* 2. *aph.* 20. & *l. de hum. uſu num.* 9. *frigidumque eſt* 3. *de comp. med. per loc. c.* 2. *Repellit* etiam ... *meth. c.* 7. Convenit neceſſario *corrodentibus herpeticiſque* vitiis 2. *ad Glauc.* 20. item & *dyſepulotis*. Convenit & *prolapſis*, utpote *ano* vel *vulvæ*; ſicuti facere conſuevit Celſus *l.* 6. *c.* 18. *Quo vino auſtero in lana pro fluxione coërcenda* vult utendum Galenus *in* 2. *de art. curat. ad Glauc. c.* 2. Nihilominus *vis expurgatoria vino non deſideratur*: quod *aures expurgare* ſcribit auctor *l. de cathart.*

Ulceribus humidis.

Repellendo. Herpeticis corrodentibuſque vitiis, itemque dyſepulotis. Prolapſis ano & vulvæ. Coërcendæ fluxioni. Expurgandis auribus.

Ad dolores vero *levandos* non parum *proficuum* eſt *vinum*. *Pro mitigando* enim *valentes habere vires* dicebat Galenus 14. *meth. m. c.* 7. Quamobrem & *oculos* inter cætera quædam *levare* ſcripſit Hippocrates *l.* 6. *aph.* 31. Credo equidem per narcoſin ex ſulphurea aliqua portione, quam ei Chymiſtæ attribuunt. Quare & *dentibus dolore levandis illud ore continendum* vult Celſus *l.* 7. *c.* 12. *Externis* etiam *medicamentis podagricorum & arthriticorum non inutiliter admiſcetur*; ſicut traditum eſt 4. *de ſanit. tuen. c.* 8.

Doloribus levandis. Podagræ. Arthritidi.

Ex

Ex vino collyrium aspritudinibus accommodatum fecit Galenus 4. *de comp. med. per loc. c.* 1. *ex passo* vero & *sycite* i. e. *passis uvis* & *ficubus* confecto *vino*, *tonsillis* & *columellæ* paravit *l.* 6. *de comp. med. local. c.* 3. Aspritudini. Tonsillis: Columellæ.

Post hæc *ad fracta tam utiles sunt ex vino tinctæ fasciæ, ut nihil his frequentius habeat* Hippocrates *l. de fract. toto* 3. Factum autem id propterea, quod *repellit*; ut *comm.* 3. *de fract. tex.* 3. Galenus ostendit. Quin etiam *glutinare* videtur. Quæ causa est, quod in *fracto osse capitis* hoc loco cavisse auctorem certum est detecto jam osse. Nos vero *ad obducendum cicatrice ulcus, quod sanescere occepit*, eo utimur; approbante illud vulgo, quod ore protritum habet: *occallescere per vinum ulcera*. Illud autem eo amplius fiet, si *austerum* sit *illud*, & maxime *rubrum*: quale *ad adstringendum & reprimendum & ad plagas cruentas cogendum* cumprimis est laudatum ab Hippocrate *l. de ulcer.* & à Galeno *sexcentis fere locis.* Ossibus fractis. Expositus Hippocratis locus. Obducendis plagis.

Hi quidem atque *alii*, quos recensere non licet omnes, *vini* sunt *usus in re chirurgica.*

CAPUT VI.

De Aceto.

Vino proximum est *acetum*: quod *refrigerandi*, *exsiccandi*, *reprimendi*, *incidendi*, *discutiendi*, *absorbendi*, *adstringendi*, *putrilaginem sistendi*, *medelas in profundum provehendi*, *dolores sopiendi*, atque alia plura *commoda inducendi* usibus valet. Quæ facultates omnes cum *oxycrato* insint explicatæ posterius; non est, quod hic eas inculcemus & duplici legentes labore gravemus. Usus aceti generales.

Aceto gargarizatus ulceribus oris putridis aptus est usu bonorum & Avicennæ *in l.* 2. *tract.* 2. *c.* 77. quo loco peculiariter *aceti facultates* proposuit. *Aceto madentem pannum, ne inflammatione proximæ partes concitentur, ulceribus imponit* Hippocrates *l. de ulc.* & *circa luxatos articulos* Celsus *l.* 8. *c.* XI. Quamquam *hydrelæum* legendum utendumque velint Tagaultius & Fuchsius *cum aceti momento commistum*. Idem Celsus *ulcera innocenter aceto comprimi* dicit *l.* 4. *c.* 4. §. *de diffic. spirandi. Aceto dentes male gingivis hærentes firmat* idem Celsus *l.* 6. *c.* 13. Ulceribus oris putridis. Tuendis ab inflammatione partibus. Luxatis articulis. Dentibus nutantibus.

Hæmorrhagiæ.

c. 13. & *inflammatas* levat Rhazes. *Aceto ſanguinem ſupprimit* Celſus *gingivis inciſis l.* 7. *c.* 12. *& inciſa cute capitis l.* 8. *c.* 4. & *exciſis ſcroti membranis l.* 7. *c.* 19. *ſub F.* & *exciſo ad calculum eximendum perinæo l.* 7. *c.* 26. §. de curatione poſt evulſum calculum. Simpliciter autem *omnem ſanguinem aceto ſupprimit* idem auctor *l.* 4. *c.* 4. & *l.* 5. *c.* 26. §. 18. qui inſcriptus eſt *de profuſione ſanguinis*, profeſſus *vehemens illud ad ſanguinem ſupprimendum eſſe. Lib.* vero 8. *c.* 4. præterquam *in cutem capitis profundentem ſanguinem*, etiam *in membranam id infudit.* Albucaſis item *lib.* 2. *cap.* 34. *exſectum jam linguæ vinculum* non alio quam *aceto diluit.* Et *cui calculus veſica exſectus,*

Ulceri ex gangræna reſiduo cicatrice obducendo. Callis. Scarificatis jam locis. Grumis ſanguinis diſſolvendis. Ecchymomatis generum. Hordeolis.

hic ſedeat in acri aceto, vult Antylus apud Raſin x. *Continentis. Eryſipelas & herpetes aceto reprimit* Avicenna *l.* 2. *tract.* 2. *c.* 77. *Aceto etiam ex ſpongia cicatricem evigilat ulceri ex gangræna reſiduo* Celſus *l.* 7. *c.* 37. *Et ipſo* etiam ad *exſiccandam*, ut videtur, *fiſſi calvariæ oſſis cariem; ne menynges inquinet*, utitur idem *c.* 4. *l.* 8. *Aceto exeſt callos l.* 5. *c.* 28. §. 11. *qui eſt de fiſtulis. Scarificata* jam *loca ex acri aceto diluit* Hippocrates *l. de ulcer. Aceto grumos ulcerum diſſolvit* idem *l. de humid. uſu.* 5. & *lib. de ulc. Partibus ſcalpro exaſperatis panniculos aceto incoctos* laudat Avicenna *l.* 3. *fen.* 4 *tr.* 1. *c.* 7. Idem laudat & Aëtius *tetr.* 4. *ſer.* 2. *c.* 26. & Galenus *l.* 4. *de medic. local. cap.* 8. & *lib.* 5. *ejuſdem operis cap.* 9. & *lib. de remed. paratu facil. cap.* 10. *fine. Tumores circum oculos ex ictu factos aceto diſſipare & hordeolum diſcutere* confidit Avicenna *l.* 3. *fen.* 3. *tr.* 3. *c.* 19. Immo & *ſugillata & incipientes phlegmonas ab eo diſſipari, ambuſta reprimi, & vulnera ne in abſceſſum abeant conſervari*, ſcri-

Gravi auditui. Dolentibus auribus. Bullis ab exuſtu inhibendis. Reciſæ columellæ. Scirrho molliendo. Doloribus partium.

pſit *l.* 2. *tr.* 2. *c.* 77. *Eodem* Auctor *libri de remed. parab. gravem auditum emendat.* Et *eodem dolentes aures levat* Aurelianus *l.* 2. *tard. paſſ. c.* 3. *f. Aceto bullas ambuſtis inhibere* docet Guido *tract.* 6. *doct.* 1. *c.* 6. *Ad reciſam columellam acetum cum alumine continuo adhibet* Savanarola *tr.* 6. *cap.* 9. *rubr.* 6. *Aceto vaporato*, qui ſuper candentes ſilices aut molares lapides recipitur, *ſcirrhos diſſipamus* vulgato remedio: quemadmodum ex bonis auctoribus in *Pyrotechnia* deſcripſimus. *Ad dolores* quoque *partium finiendos utiliſſimum acetum* ex eo comperimus, quod *M. Agrippa*, ut eſt apud Plinium *l.* 23. *c.* 1. *graviſſimo pe-*

Hiſtoria.

dum dolore tentatus demerſis in acetum calidum cruribus evaſit.

Sed

Sed quæ Hippocrates *l. de humid. usu* sapienter *de aceto* professus est, non debemus hic silere. *Acetum*, inquit, *ad corpus & ad articulos simile est mari, & potentius ad perfundendum, & ad fomentum, & ad ulcera, recens vulneratis, & ad sanguinis grumos, ubi nigredines sunt in pudendis. Collutio est ad aures & ad dentes. Calido autem hæc fiunt & alia, sed ex tempore conjecturam facere oportet. Eliquat velut sal, & ut alia, quæ impetigini, lepris & vitiliginibus conducunt, affusum ad calidum solem. Maxime vero conducit unguibus leprosis. Superat enim post tempus. Verrucas formicarias attenuat, & sordes in auribus sanat. Mollit autem & corpus, & multos alios locos, si non odor offenderet, & maxime mulieres. Valuerit & ad podagram, si non corpus vulneraretur. Eadem etiam fæx aceti facit.* Hippocr. de aceto.

Acetum achoribus & *œdematis utile* est. *Fæx* autem *ejus mammas nimio lacte turgentes reprimit*; si Fallopio credimus *in l.* 1. *operis secretorum* hoc dictanti. Verum enimvero, quod mirum plerisque sit, *aceto ad parotidas suppurandas* utitur Apsyrtus Hierocles *l.* 1. *veterin. c.* 21. & *ad strumas* idem Apsyrtus & Hierocles *c.* 20. Mihi quidem hæc interpretanti *extenuatio* verius quam *suppuratio justa auris* dicetur. *Delet* & *rubras maculas* & *guttam rosaceam*, A. Paræo teste *l.* 25. *c.* 45. Item *residuas abolet impetigines*: quod in sodali quadam D. Francisci cœnobii Iesu Neapoli sorore vocata Pacifica Carmineana primum cognovi. Ad extremum *odore efficax est acetum* adeo, ut Razes *in febribus æstate flagrante parietes conclavis obvelet linteis aceto madidis.* Achoribus & œdematis. Mammis lacte turgentibus. Parotidis. Strumis. Guttæ rosaceæ. Impetiginibus. Febribus.

CAPUT VII.

De Musto.

Hujus quidem *medicamenti* etiamsi *permulti usus* esse possint: nihilominus *perpauca* sunt *exempla*. Illud autem unum singulare, cum *ad residuas fractorum ossium duritias illud Chirurgiæ parvæ F. ac podagris tr.* 6. *doctr.* 1. *c.* 1. proposuit Guido. *Stupidis* vero *artubus musti remedium sub vindemiis* approbat Gulielmus Rondeletius *l.* 1. *cur. morb. c.* 34. *Ex hoc* quoque *balneum ad digerendum fieri* licere meminit Andreas Baccius *in opere de thermis.* Residuis fractorum ossium duritiis. Podagris. Stupidis artubus. Digerendis crassis humoribus.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Sapa, vel Defruto.

Nervis nudatis. Contusis musculis.

Hepsema Græci vocant, nos *coctum vinum. Quo aqua calida tepefacto nervos ex ictu nudatos tractat* Galenus. *Ad contusos* vero *ex ictu musculos l.* 14. *meth. c.* 7. & 6. *de morb. vul.* 6. *tex.* 5. Similiter & Avicenna *l.* 4. *fen.* 4. *tr.* 4. *c.* 2. & 3. *sanescentes nervorum plagas vino cocto adhibito fovet, & his putrescentibus trochiscos Andronis imponendos non nisi cocto vino diluit. Aures* vero *inflammatione dolentes* Alexander Trallianus *l.* 2. *sui operis c.* 2. Nos vulgo *ad digerendum refrigeratum sanguinem incipientibus jam gangrænis in cataplasmatis admiscere* consuevimus. Quod credo deductum à citato 6. *epid.* ubi *hepsemate corrodentes acrimonias temperat* Galenus.

Auribus inflammatis. Digerendo sanguini in gangrænis.

CAPUT IX.

De Lacte.

Inflammationibus.

Lac ex omnibus humidis *temperatissimum* & sensu tangentium *æquabilissimum* ac propterea *anodynum* ad *inflammatoria* quæcunque *vitia primum* est; nisi sordes aut putredo aliud quærat. Commendatum à Galeno x. *simpl.* propterea, *quod ab affusu adhæret non aliter, quam pinguia & cerata ex oleo eloto ceraque confecta.* Partibus omnibus *convenit*, præcipue *oculis, auribus, coli, vesicæ, partibusque omnibus calida quavis affectione dolentibus. Podagræ, erysipelæ, igni sacro* non inutiliter usitatum. Quibus postremis rite medendis, & cum rosaceo, loto præsertim, sæpissime commisceri solitum est. *Ad hypopia* etiam & *hyposphagmata* proposuit Galenus *l.* x. *simpl.* & *ad uteros ulceratos*, & ad *ulcera sedis* præ acrimonia dolorem inferentia; item ad *ejus phlegmonas* & ad *plicas*, quæ intumescentes fiunt postmodum *condylomata*. Sic & ad *ulcera pudendorum* eo utitur, & ad *omnia*, quæ *leniri* postulant, sive ob *phlegmonem*, sive ob morsum sive ob *malignitatem*. Eapropter & *cancrosis* applicat *ulceribus* medicamentis *anodynis* commistum. *Ore contentum*, inquit, *collutum, gargarizatum, vel maxime phlegmonas ejusdem mitigat: quemadmodum tonsillas, & columellam, &* *anti-*

Oculis, auribus, coli, & hoc genus partibus inflammatione dolentibus.

Hypopiis, Uteris ulceratis. Ulceribus & phlegmonis sedis & pudendorum &c.

antiadas phlegmone affectas, *ac proinde synanchen ac parasynanchen.* Sic Galenus. Sed Aurelianus ad *dentes dolore levandos lac asininum* proposuit *l.* 3. *chron. c.* 4 At auctor *l. de rem. fac. parab. ad Solonem*, *gingivas semicorrosas lacte asinæ* colluit. Gargarizatur quoque *faucibus exulceratis* utilissime, Plinius *l.* 28. *c.* 9. Sed *dysenteriæ ulceri*, ad quod curandum nonnunquam & chirurgicus accitur, *lac acidum*, quod fit lacte per noctem serenam in aëre deposito, ac deinde ebutyrato, lapidibus ignitis ter quaterve ustulatum probat Jac. Sylvius *in practica methodo c. de dysenteria.* Præter *inflammationem* autem atque *ulcera* & *cicatrices fœdas abstergere illitum lac* tradidit Avicenna *l.* 2. *tr.* 2. *c.*442. Qui & de privato quarundam pecudum *lacte* docuit, *lacte asini buccis utrisque diductis labantes dentes firmari*, *laxatas humoris vitio gingivas adstringi.* Quod maxime tum confidas eventurum, si medicatum ignito ferramento *lac* fuerit. *Lacte* vero *camelarum recenter fœtarum* dicit *hæmorrhoidas juvari*, *atque eo inducto super phlegmonas ani & ulceribus hujus*, *superque phlegmonas femorum & horum ulceribus*, *sedari dolorum acerbitatem. Ulceribus vesicæ* & *pudendorum utilis* est etiam *lactis medicina* Baricello *c.* 3. *de sero. Ad ulcera* quoque *intestini primi diluenda ac glutinanda lac caprillum aut bubulum cum lycii terræ Samiæ & amyli triti cuminive ptissanæ q. s.* per clysterem injicit Oribasius *l.* 8. *c.* 23.

Cancrosis ulceribus. Tonsillis & columellæ. Dentibus dolore levandis. Gingivis semicorrosis. Lac acidum ut paretur.

CAPUT X.

De Sero.

Serum *extergendi* potestatem habet. Quare si quis *ulcera*, quæ *sanie* infestantur *acri*, vice aquæ *hoc* colluat, optime sane fecerit. Præterea quæcunque medicamenta digerere solent *ecchymomata* & *livores*, ea præstat *sero* quam aqua *diluere.* Sic etiam *eo* utimur ad *sugillata* & *hyposphagmata*, peculiaribus ad hæc medicamentis admiscentes. At *caseosum illud* & *crassum ipsius lactis magis illitum adhæret*, & eo nomine *acrimoniam retundit* magis. Hæc ex Galeno *l.* x: *simpl. c. isto*: cui consentit in integrum Aëtius *l.* 1. *ser.* 2. *c.* 96.

Virulentis ulceribus. Ecchymomatis & livori. Sugillatis. Hyposphagmatis.

E Neotericis ad *oculorum ulcera serum*, aut *serosum lac* laudavit Jac. Hollerius *Perioche* 4. *ad libros Galeni de comp. medic.*

Oculorum ulceribus.

Intestinis exulceratis. *secund. locum. Ulcera intestinorum sero saccharato diluit* Baracellus *l.* 3. *de sero.*

CAPUT XI.

De Melle.

Ulceribus expurgandis, *Mel ulcera expurgat optime* Celso teste *l.* V. *c.* 26. & *ad exustas marcoris* corrigendi gratia *gingivas id illinit lib.* 7. *c.* 12.

Odontalgiæ. *Mel* quoque *simplex* eum invenit usum, ut in ovi testa *calefactum dolenti denti per tiltum* applicetur. Ita quidem Rolandus atque Rogerius *in chirurgia sub eo capite.*

CAPUT XII.

De Oleo.

Auribus inflammatis. *Oleum* universim *anodynum* est: quapropter *inflammatis dolentibusque auribus* utiliter instillatur, *simplex*, quidem ab Alexandro *l.* 2. *c.* 2. cum *aqua* vero *commistum* à Galeno *l.* 3. *de comp. med. local. c.* 1. *prope F.*

Doloribus universis. Similiter *ad dolentium locorum fomenta frequentissimum* est adeo, ut exempla plus suppetant, quam recitanda sint. Quod cognovit etiam Pindarus *Pyth. ode* 4. ubi dixit: *Oleum remedium adversus duros dolores esse. Ad ulcera* vero *lenienda* non mediocriter facit; ut scriptum reliquit Galenus 2. *simpl.* &

Frictionibus. *lib.* 3. *de fracturis comm.* 2. *Insecto oris uteri abscessu*, præcavendæ credo inflammationi, *ad pecten & lumbos eo in lana* usus est Aëtius *ser.* 16. *c.* 86. *Ad frictiones* quoque *celebris* erat ejus *usus veteribus*; testantibus certe omnibus, qui *de frictione* scripsêre.

Sanguini fluido reddendo. Hirudinibus alliciendis. Auribus à refrigeratione defendendis. *Oleo in venæ secturam instillato sanguinem fluidum reddit* Galenus *l.* 2. *de comp. med. local. Oleo post hirudinum exsuctum illinendum locum* vult Oribasius *l. de hirud.* & *cucurb. c.* 21. & hunc sequutus Vidius *l.* 2. *chir. c.* 9. Cujus rei gratia & phlebotomum eo illiniunt nostro tempore ejus secturæ ministri. *Defendendis* quoque *auribus*, *ne refrigerentur in capitis irrigatu faciundo*, idem *instillat* Oribasius *l.* 9. *collect. c.* 23. qui idem author *lib.* 10. *ejusdem operis c.* 21. alium ejus tradit usum. *Ad*

sectæ

sectæ venæ ecchymosim & grumum sanguinis, qui ex angustiori plaga contingere solet, *oleum cum amurca* tum oleo puro atque aliis omnibus præfert Albucasis *lib. 2. chirurg. c. 97.*

Ad dolorem icti nervi leniendum olivum etiam laudavit Averrhoës *l. 7. colliget c. 3.* Sed *calidum hoc ad non detectum nervi corpus* præcise præcipit; quando si carne aut cute liber ac nudus exstet idem; adversantem huic substantiæ liquorem habeto, atque ab eo abstineto; nisi doloris acerbitas te cogat. Ictis nervis sed cum cautela.

Ad *maturandos* etiam *crudos exteriorum partium abscessus commodissimum olei stillicidium* experimento didicimus; propositum aliquando à Joanne Baptista Cortesio professore Messanensi clarissimo in D. Ferdinando Carracciolo Principe Maidensi. Maturandis abscessibus.

Sed *ad tergendum prohibendumque viscidorum medicaminum adhæsum manibus* atque aliis partibus, *oleo inter operas* utuntur chirurgi, itemque ad *fortium medicamentorum exsolutionem*, ut traditur 1. *de comp. med. local. c. 2.* Viscidorum adhæsui prohibendo atque tergendo.

Lubricitate servit oleum, ut transcurrere manus operatrix facile queat. Ita quidem Paulus *l. 6. c. 115. F. instaurando luxato cubito*, post aliquem ægrotantis & ministrorum apparatum postque deligatum, *agentis medici manum prius oleo* jussit *tingendam.* Luxatis.

Oleum ambustis recens partibus abunde affusum magno esse remedio perhibet Prosper Alpinus *l. 2. de medic. Ægypt. c. 3.* Ambustis.

Illud etiam ad *necandas bestiolas, quæ in aures se condidêre*, usitandum vult Jo. Heurnius *l. de morbis aurium c. 8.* Vermibus in aures illapsis.

Hactenus *olei puri* plurimos usus audisti, nunc cum *infectu aliquo* parati *rationem unam* memorabo, quæ pro multis valere poterit in re vulneraria. Propositum autem medicamentum est à primo Raymundo Minderero *in l. de medicina militari c. 9.* apud Petronii Arbitri Scholiasten novissimum.

CAPUT XIII.

De humidorum misturis, & primum de Oxycrato.

Humidorum misturæ chirurgicos in usus venientes sunt *complures*; quæ singulatim omnes breviter exponemus primas ordine facturi *mellis compositionis. Quam* factum

Pectoris vulneribus abluendis. *cum melle melicraton* dixere Græci, nos vero *mulsam. Ex hac plagas pectoris in vacuum penetrantes perluimus* ex Galeni doctrina in v. *meth. med. c.* 8. Universim vero magis *vulnus* ex *hoc* & *oxycrato* multoque abluit 2. *art. cur. ad Glauc. c.* 2.

Ambustis. Ulceribus agglutinandis. Epiphoris & xerophthalmiæ. Sanguinis eruptionibus. Ulceri humido. Columellæ inflammatæ atque exulceratæ. Herpeti. Diruptæ anginæ. Contusis. Oedematis. Herniis. Calidis influxibus intercipiendis.

Sed *oxycratum* privatim *omne cum leni terra* commistum *ambustorum* peculiare remedium facit Galenus, sic, *ut venientes ab igne bullas prohibeat*, *l.* 9. *simpl. tit. de terra Samia.* Cæterum *aliorum ulcerum agglutinandorum gratia* probat idem *l.* 1. *simpl. c.* 33. Eodem fovet *oculos epiphora & arida lippitudine exasperatos* Paulus *l.* 3. *c.* 22. & Avicenna *l.* 3. *fen.* 3. *tr.* 1. *c.* 9. Qui Paulus *l.* 6. *c.* 34. ad *compescendum in abscessibus dissectis sanguinem* idem adhibet, ut & auctor *l. de remed. parat. facilib.* & auctor *Introductionis c.* 13. & Albucasis *l.* 2. *c.* x. qui & eodem *sectarum amygdalarum plagam diluit l.* 2. *c.* 3. 6. Galenus vero & eodem *ulcus humidum lavat* 4. *meth. med. c.* 2. *tonsillas* vero & *columellam inflammatas & exulceratas procurat. l.* 6. *de comp. med. local. c.* 3. & *herpetem* 2. *ad Glauc.* 2. Quo similiter *diruptam anginam ex gargarismo diluunt* pragmatici scriptores omnes, ex quibus Ambrosius Paræus idem ad *contusa* adhibet *l.* xi. *c.* 7. sumens ex Galeno, qui *l.* 4. *pharm. local. c.* 8. *simplici aceto* usus est ad *oculos sugillatos. Oxycraton* etiam ad *œdemata* infundit Galenus *l.* 14. *meth. c.* 14. Et *ad hernias puerorum spongiam ex hoc* adhibet Rasis *in l. de ægr. puer. cap.* 22.

Ita quidem hi. Nos illud usu quotidiano accipimus *humidorum calidorum influxibus intercipiendis*; sive quidem *inflammatas* jam *sponte naturæ* sive *ex ictu* aut *violatu* quocunque *partes curemus*, sive *futuris eventibus provideamus* & *occurramus.*

CAPUT XIV.

De Oxalme sive Muria.

Oris cancro. Pterygio. Pediculis. Sironibus manuum.

Sed *muriam* aut *oxalmen*, quæ *resoluti salis* est *acetum*, infundit *oris cancro* Cornelius. *Pterygio detracto* infundit Aëtius *tetr.* 1. *ser.* 3. *c.* 58. & ad *pediculos eam* adhibet *c.* 65. (ex quo viro discens fortasse Rondeletius *l.* 1. *prax. c.* 3. *sirones manuum* sic curat:) & ad *hypopia tetr.* 4. *ser.* 4. *c.* 29. & *seq. Muria crassa calidæ aquæ commista pedum intertrimenta, scissu-*

ras

ras & perniones sanat Auctor libri *de remed. fac. parab. c.* 203. *In erysipela ad gangrænam transmigrante* Galenus utitur *l.* 14. *meth. med. c.* 3. & *in* 5. *remed. local. c.* 1. *acri muria sugillata dissipat.* Aëtius vero *muriam sedi puerorum provolutæ* adhibet *serm.* 4. *c.* 24. Aurelianus *phthiriasi l.* 4. *chron. cap.* 2. Ad *ulcera putrida* adhibent Galenus & alii. *Post extractos dentes* Albucasis *l.* 2. *c.* 30. Ad *grumos* vero *sanguinis exsolvendos* etiam *aquam* & *salem* commiscet Albucasis *l.* 2. *c.* 60. Quod imitatus est Johannes Riolanus *in chirurgia cap. de carbunculo*, ne scilicet effusus scarificatione sanguis grumescat. Ad *sanguisugam è gula repellendam*, *muriam ebibendam* aut *gargarizandam* vult Avicenna *l.* 3. *fen.* 9. *tract.* 1. *c.* 7. E recentioribus vero nostris Bernardus Penotus ita de *oxalme l. de med. chym. c. isto* scribit: *Valet contra viperarum, araneorum, serpentum, canum morsus, herpetas, exedentia ulcera.* Item *vulnera cruore manantia obstruit. Exempto ramice calculo vesicæ illico infunde oxalmen.* Item *contra vulnera putrescentia, porrigines & ulcera capitis, lichenas, omnesque malas & fluentes scabies &c.* Ad hæc *ambustis corporis locis empyreuma*, id est, *ignis vim extrahi muria* scriptum est ab Aëtio *tetrab.* 1. *serm.* 2. *c.* 26. & Josepho Quercetano *in Sclopetario cap.* 6. *Muriam* Avicenna *lib.* 2. *tr.* 2. *cap.* 494. *proficuam* dixit *ulceribus putridis.* Confecta ex *piscibus atro sale conditis*, *ulceribus* adversatur *fraudulentis.* Collyrium ex *ea* prohibet *pustulas*, quæ ex *variolarum affectu* proveniunt *oculis.*

Hypopiis. Interrimentis & scissuris pedum. Erysipelis in gangrænam transmigrantibus. Sugillatis. Sedi puerorum prolapsæ. Phthiriasi. Ulceribus putridis. Extractis dentibus. Grumis sanguinis exsolvendis. Hirudini refigendæ. Demorsibus ferarum. Herpetibus esthiomenis. Sanguini sistendo. Vulneribus putrescentibus. Ulceribus capitis. Lichenibus. Scabiei. Ambustis. Pustulis variolarum in oculis.

CAPUT XV.

De Melicrato sive Mulsa.

Melicrati seu *mulsæ usus* discrete satis exposuit Alexander Trallianus *l.* 2. *c. de mulsa* his verbis: *De mulsa quoque mentionem facere duxi necessarium, ut ex qua magnos longo temporis usu & experientia successus sim expertus. Nam ulcera sordida & præsertim maligna, carbunculorumque naturam referentia, hac etiam sola persanasse scio. Item eos, qui pus jam in alio congregarant, & immodice dolebant: nec non illos, qui in siderationem, quam* Græci σφακελὸν *dicunt, inciderant. Ad hæc ubi viscosi humores aut crassiores constricti vel impacti erant. Ignoro autem, an quis medicamentum hoc præclarius, aut efficacius, aut blan-*

Ulceribus sordidis & malignis.

Sphacelo.

Oculorum vitiis. *blandius invenerit. Præcipue vero valet etiam, in quibus multa pituita crassior oculis innascitur: nam præterquam quod ipsam purgat & sine dolore eluit, non sinit eam rursus procreari. Præstat hac uti, quam spongia continue palpebram madere, ut quæ exasperet doloremque faciat. Novi enim lippitudines ex crassiore pituita ortas etiam nullum prorsus collyrium admisisse; mulsam vero solam ipsis gratam fuisse ac collyrii usum abunde satis explevisse.*

Lippitudinibus. Auribus ulceratis.

Mulsæ usuum particularia sunt exempla hæc. *In detectam ex plaga capitis membranam* Eudemus & chirurgi veteres *oxymel* effundebant 6. *meth. c.* 6. Ad *diluendam saniei crassitudinem*, quæ in *sectis empyicis* reperitur, *mulsam in cavitatem* immittit Galenus v. *meth. c.* 8. *In aures ulceratas hanc* infundit idem Galenus *l.* 3. *de med. local. c.* 1. *tit. illo.* Atque etiam *in aures*, è quibus cum molimine sunt extracta quæpiam, *eandem* instillat Alexander *l. c.* 3. *F. Parotidem ex ea diluendam* vult Aëtius *l.* 2. *ser.* 4. *c.* 25. *Ad sordida atesicæ ulcera* per clysterem *hanc* immittit Aurelianus *l.* v. *chron. c.* 8. *Ad sectam* vero *corneam sub hypopii vitio* destillat *eandem* Albucasis *l.* 2. *c.* 22. qui & *ad injectiones abditis sinubus faciendas hanc* capit *l.* 20. *c.* 90. *Ad ulcera* vero *interiorum auricularum* infundit Heurnius *l. de morbis aurium c.* 8.

Sordidis vesicæ ulceribus. Sectæ ad hypopium extrahendum corneæ.

CAPUT XVI.

De Galactomelite.

Galactomeli, i. e. commistum *lacti mel*, *in sordida vesicæ ulcera* jubet infundendum *per clysterem* Aurelianus *l.* v. *chron. c.* 8. Leonidas vero apud Aëtium *l.* 14. *cap.* 2. & 8. *ustam sedem* non alio medicamento tractat.

Sordidis vesicæ ulceribus. Ustæ sedi.

Universim igitur nobis & *ad oris gutturisque impura sed inflammationi obnoxia*, & ad *alia hujusmodi*, quæ memorare non oportet, *ulcera eo* licebit uti.

CAPUT

CAPUT XVII.

De Oxymelite, Hydromelite, Rhodomelite, Omphacomelite.

Longe *plures* in medicina *corporis interioris* quam *exterioris usus* nacta sunt *oxymeli* & *hydromeli*: tamen hunc utriusque locum vacuum non relinquam.

Coctum cum aceto mel impetiginem curat: quod Avicenna docuit *l. 2. tr. 2. c. 497. quo eodem & sugillata deleri* tradiderat. *c. 76.* Impetigini. Sugillatis.

Hydromeli in saniosas auriculas instillat Razes *l. 9. ad Mansorem c. isto.* Saniosis auriculis.

Sed *rhodomeli* tum ad *vulnera* tum ad *ulcera repurganda*, tum *per se* tum etiam *cum hordeacea farina* usitatissimum medicamentum est nostris. Pro *isto* vero *syrupo è rosis*, ut leves ubi oportet medeatur, uti consuevit Petrus Pigræus *l. chirurgiæ c. 3. & 4.* Vulneribus & ulceribus repurgandis.

Omphacomeli ad usta loca, quod repellat empyreuma, & putredinem arceat, & crustam detrahat, imponit Paulus *l. 6. c. 66.*

CAPUT XVIII.

De Elæomelite.

Elæomeli i. e. *mel* & *oleum* commista, *purulentis* & *graviter dolentibus auribus* instillat auctor *l. de remed. fac. parab. ad Solonem. c.* x. Aurium dolori.

Elæomeli ad cerebri membranam nunc primum detectam *ex panniculo* imponit Gulielmus Placentinus, referente Nicolo Florentino *in ser. 7. tract. 4. sum. 2. c. 54.* Idem quoque moris retinuit Guido Cauliacus, & qui hunc sequitur Petrus Pigræus *l. 3. chir. c. 9.* Esto autem volunt *mel dupla portione.* Pro *melle* vero alii, referente Pigræo, *syrupum de infusione rosarum rubrarum immaturarum* admiscent. Detectæ cerebri membranæ.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Lymphato Vino.

Refrigerato elapso intestino.

A*quatum vinum* permiſtas eas facultates obtinet, quas & ſimplices ſuæ materiæ. Ejus in præſenti illud ſuccurrit exemplum, quod dedit Albucaſis, *cum infrigidatum elapſum inteſtinum tum ex aqua tum ex vino per ſpongiam fovit*, *l.* 2. *c.* 82.

CAPUT XX.

De Oenomelite.

Vulneribus in cavitatem penetrantibus. Gangrænæ vulneris. Scabris oculis. Tonſillis. Parulidibus. Auribus purulentis. Ulceribus detergendis. Anginæ ruptæ. Hydrocephalo.

Sed *œnomeli* cur ab uſu deſierit, plane neſcio; quando *magni* ſane *momenti ad detergenda penetrantia cuncta in cavitatem ulcera* ſcimus eſſe. Uſa autem *hoc* fuit omnis antiquitas. Et Celſus quidem *cancrum*, ab aliis dictam *gangrænam*, vulneri ſupervenientem non alio diluit *l.* 7. *c.* 27. & *ad ſcabros oculos id* adhibet *l.* 6. *c.* 6. *tit. illius rei proprio*, & *ad tonſillas l. eod. c.* x. & ad *paradontidas*, i. e. *juxta dentes gingivarum tubercula dolentia*, *ibid. cap.* 13. *Ad aures* vero *ſordidas eluendas eodem* uſus eſt *ibid. c.* 7. Nam & *carnis inductorium* & *expurgatorium* expreſſis verbis fecerat idem Celſus *l.* 7. *c.* 3. & *l.* 5. *c.* 28. §. 11. *qui eſt de fiſtulis.* Avicenna vero *l.* 4. *fen.* 4. *tr.* 3. *c.* 5. *ad ulcera quælibet detergenda* probavit. Ex noſtris vero Guido *tract.* 3. *doct.* 2. *c.* 5. *idem ad vulnera thoracis penetrantia*, & *ad purulentas aures* infundit *tr.* 2. *doc.* 2. *c.* 2. & *ad anginæ ruptum abſceſſum eod. tract. c.* 3. Ad *hydrocephalum* quoque *ſectum* Albucaſis *l.* 2. *c.* 1. *embrochas ex eodem conficiendas ad quinque dies* voluit: *ad ſinus* vero *cum lixivio cinerum l.* 2. *cap.* 90.

CAPUT XXI.

De Oenelæo.

Suppuratis.

O*enelæum in thoracis cavitatem*, *quæ jam ad evacuandum empyema pertuſa fuit*, *per fiſtulam* infundit à die decimo Hippocrates *l. de int. affect. n.* 25. ne pulmo imtemperatum exter-

extersum sentiret. Et *in suppuratam peripneumoniam per fistulam id* quoque infundit *l.* 2. *de morb. n.* 44. ne pulmo à pure humectari solitus de repente resiccetur.

Oenelæum ad leniendam doloris acerbitatem in lana molli carpta capit idem Hippocrates *l. de ulc. n.* 16. quem sequitur Avicenna *l.* 1. *fen.* 3. *c.* 23. Senex *tumores ex deligatu* sic curat 2. *de fract. tex.* 72. Celsus *l.* 8. *c.* x. *inter omnes luxatorum reponendorum observationes fascias, quæ fractis ossibus accommodantur, eodem intingit, sicut* & *linamenta l. eod. & capite.* Sed *l.* 7. *c.* 29. *F. in vulvam mulieris, è qua fœtus mortuus extractus est*, immittit: *eodemque* in aliis plurimis *fracturarum* casibus utitur passim *eodem opere. Quem* quidem *vulgatum* suo seculo usum fuisse testatus est Columella *l.* 7. *c.* 5. *Nervosis* quoque *dissectis partibus, & si hyems fuerit, convenit œnelæum calidum* Paulo teste *l.* 6. *c.* 34. simpliciter vero frigidum in aliis omnibus. *Ad fracta* vero *simpliciter* id laudavit Galenus 3. *de med. gener. c.* 2. & *introduct. c. ult.* Paulus *l.* 4. *c.* 44. *ulceribus proserpentibus & phagedænis jam acri medicamento tractatis ex duplicato linteo* adhibet. *Abscessibus desectis* infundit Aëtius *l.* 4. *ser.* 2. *cap.* 32..

Doloribus levandis. Tumoribus ex deligatu. Vulvæ mulieris ἐμβρυοτομίαν passæ. Nervosis dissectis partibus. Fractis. Ulceribus depascentibus & phagedænis. Abscessibus. Vesicæ inflammatæ.

Et *in vesicis bubulis semiplenis vesicæ inflammationem causanti* adhibet *l.* 3. *ser.* 3. *c.* 26. *Scabros oculos levari melle atque vino* scripsit Celsus *l.* 6. *c.* 6. §. ad *oculos scabros. Fronti propter epiphoras hypostrathismo desectæ primum ex œnelæo* medetur Albucasis *l.* 2. *c.* 4. Qui *idem* factitavit & *aperto aneurismati l.* 2. *c.* 49. & *apertis varicibus l.* 2. *c.* 92. & *sectæ ad calculum educendum vesicæ l. eod. c.* 60. & *punctæ hydrocelæ l. eod. c.* 62. Paucas igitur insecturas partium videris, quibus dolore levandis & ab inflammatione tuendis propositum ab hoc viro *œnelæum* non reperias. Similiter autem Hippocrates fecit; qui *l.* 1. *de morb. in suppuratæ pulmoniæ secturam œnelæum* injicit *per fistulam.*

Scabris oculis. Epiphoris. Aneurismati aperto, Varicibus dissectis. Vesicæ sectæ. Hydrocelæ punctæ.

Hactenus credideram exposuisse cunctas *œnelæi* utilitates. Verum quid eam, quæ *vulneribus* ac *plagis recentibus est singularis*, imprudens præterii, nec primam omnium posui, quæ pretii dignitate præve omnibus potest? Cum autem *hoc ad vulnera* laudo, neque *ictus capitis* excipio; in quibus reddendis & *oleo rosaceo misturam hanc* antepono. Quod oleum

Vulneribus recentibus. Ictibus capitis.

ungendi &, ut dicam verius, maculandi, madefaciendique necessitate non potest non incommodare: corrigitur autem ineptitudo ista facile *vino*, *quod* suapte natura *commodum* est *ulceribus*. Quamquam autem rejecit *hoc* Hippocrates à *capite recte curando*; tamen *simplex id* facile intellexit: *tantam* enim *adstringentiam*, *quantam habet vinum*, *deponit oleo commistum*. Mirum autem est, quod quantum recipit ab oleo commodi, ut in plaga quod concoquatur leniaturque, tantundem huic rependit, ut minus quam par est, laxetur atque ad putredinis qualem affectum ducatur eadem aliquatenus adstricta roborataque vino: Itaque contemperatissimum medicamen apparet si quod aliud hæc compositio. Utinam igitur in *procurandis sauciis hominum capitibus*, in medentium omnium usu esset hodierno die Neapoli. Non sic fortasse misere præterque opinionem sæpe cederent levissimæ plagæ. Porro sentiunt rectius quam nos, medici Melitæi, qui, quod audio, non meliorem volunt in his (*capitis* scil. *vulneribus*) curandis esse, quam medicinam Christi & Samaritani. Evenitque his res feliciter ita, ut ex vulneratis centenis vix depereat unus. Quemadmodum contra è centenis vix servatur unus nobis. Causentur cœlum: objiciant tenuitatem, humiditatem, varietatemque aëris & ventorum. Equidem medicamenti importunitatem perniciei mortisque hominum causam maximam opinor: atque id eo maxime, quod quam maxime adstruunt medentes corporum humiditatem atque languorem, madefacientibus ad putredinem non oportet foveri conterique.

Animadversio in medicos.

Hactenus *de œnelæi experimentis ad vulnera capitis*. Cæterum ad alias communiter corporis partes miro cum fructu adhibetur *idem*; atque ita, ut *in partibus aspectabilibus & in facie factæ secturæ quam minima cum cicatrice claudantur*. Possumque historiam ejus rei narrare in urbe Neapoli notissimam. In nares ictus ex acuto gladio inflictus fuit Francisco à Judice Magdalunensi tonsorique Neapolitano, qui cum hoc medicamento vicesimo die fuerit curatus feliciter, & ita ut nunc vix apparente ad extremum plagæ nota visatur.

Minimæ cicatrici inducendæ. Historia.

CAPUT XXII.

De Hydrelæo.

H*ydrelæum* vero nobilis eſt uſus ad *omnes dolores*, *diſtentiones*, *inflammationes*. Cujus exemplum *ad luxatam maxillam* exhibet Paulus *l. 6. c.* 112. *F.* Qui & *in diſſectis carnoſis partibus æſtate eo* utitur *l. 6. c.* 34. quem ſequitur ad unguem Albucaſis *l.* 1. *c.* 4. *Hoc* & *in ſecto vulvæ abſceſſu poſtridie* uſus eſt Aëtius *l.* 4. *ſer.* 4. *cap.* 86. *Laſſitudini* vero *optime faciens* dixit hoc Galenus 2. *de ſimpl. med. fac. c.* 5. qui *ad ulcerum phlegmonas idem* approbavit *l.* 2. *ſimpl. c.* x. *quod idem ad puris generationem* commendavit *l.* 5. *ſimpl. c.* 9. Nempe *tepidam generat caliditatem & emollit*, ut *comm.* 4. *de vict. rat. in ac.* traditur. Doloribus Diſtentionibus Inflammationibus. Diſſectis partibus. Laſſitudini. Phlegmonis.

Ob id *vomicis ſuppurandis illud* adhibuit Aurelianus *l.* v. *tard. paſſ. cap.* 8. *Sordidas aures ubi nitro aceto irrorato implevit* Galenus *in* 3. *de medic. loc. c.* 1. *F.* & hunc ad unguem ſequutus Alexander Trallianus, *hydrelæo diluit l.* 2. *c.* 3. *F. Attritis unguibus hoc* bonum fecit Avicenna *l.* 4. *fen.* 7. *tr.* 4. *c:* 17. *Decutiendis* vero *è gutture vel gula hirudinibus ſorbendum hydrelæum* voluit Ambroſius Paræus *l.* 20. *c.* 29. Vomicis ſuppurandis. Sordidis auribus. Unguibus attritis. Hirudinibus refigendis

Ad ſecundinas, menſeſque mulieribus ducendos, antequam pharmacum interne valens offerat, fomentum ex hydrelæo facit Hippocrates *l. de nat. mul.* 29. *Sub doloribus & abſceſſu eum, cui veſicæ calculus exſectus eſt, invadentibus, inſeſſum ex iiſdem aqua & oleo* præcipit Avicenna *l.* 3. *fen.* 19. *tr.* 1. *c.* 6. *Ad ulcera ſicca accommodatum hydrelæum* fecit Fallopius *l. de ulcer.* itemque Hieron. Fabricius *eodem trac. c.* 5. Secundinis menſibuſque Sectæ veſicæ. Ulceribus ſiccis.

CAPUT XXIII.

De Oxelæo.

O*xelæum ad primos oſſium fractorum caſus ad reprimendum* uſitatum eſt à Celſo *l.* 7. *c.* 2. Et *ad grave quodcunque vulnus lana ex eodem circumdata eſt* ab eodem *l.* 5 *c.* 26. §. 20. *Ad luxationes* etiam *ex lubrica præſertim emotione factas ſpongiam novam aut ſuccidam lanam ex aceto atque oleo imbutam* impo- Reprimendis ad fracta defluxibus. Luxatis.

Aurium vermibus & fervori.

ni voluit Aëtius tetrab. 4. *ser.* 2. *c.* 71. Et *ad capitis fracti medelam quæ circumponitur id* probat Nicolus *ser.* 7. *tr.* 4. *sum.* 2. *c.* 54. *Ad aurium vermes* vero Tralliano commendatur *l.* 6. *c.* 3. *F.* & *ad igneum aurium fervorem* à Galeno *de rem. parab.* & *ad contusos articulos* à Paulo *l.* 4. *c.* 29. *Fronti propter medendos oculos concisæ idem principio* imponit *ex gossypio veteri* Albucasis *l* 2. *c.* 4.

Articulis contusis. Fronti propter oculos concisæ. Vulneribus curandis.

Oxelæum etiam *vulneribus curandis usu probatum* non vulgariter commendavit Josephus Quercetanus *in Sclopetarii c.* 5. quod *defluxioni*, *inflammationi*, *putredini*, præsertim in *contusis ab ictu sclopeti locis*, occurrit.

CAPUT XXIV.

De minus præcipuis accidentariisque usibus humidorum.

Nunc *accidentarios minoresque humidorum usus* enarremus. Primum autem adnotes velim, quæ subscribenda sunt maxima parte ad *aquam* pertinere, & quo magis hujus naturam participant alia, eo magis hæc quæ mox dixero præstare posse.

Diluendo. Saniei è fasciis excutiendæ: Extergendo medicamento.

Primus igitur hujusmodi *usus* est ad *diluendum*, qui est apud Cornelium *l.* 5. *c.* 26. §. 22. & *l.* 6. *c.* 27. §. qui est inscriptus *ad gravem auditum*, & *l. eod. c.* 13. Sed & *aqua temperata* utitur Paulus *l.* 4. *c.* 9. *ad saniem excutiendam è fasciis*, *dum è longo fractis adhæsu detinentur. Acetum* vero *ad hanc eandem rem* capit Hippocrates *l. de ulc. n.* 12. Maxime vero servit *diluendo aqua calida*, cum qualitas aliqua nocens ex adhibito medicamento est extergenda; naribus puta, facto nasipurgio peracri. Quam rem oculate notavit Mesuæus in *Grabadia l.* 2. *sum.* 7. *c.* 3. in hoc *aquam furfurum* nominatim commendans. *Diluendi* quoque *usu* est Cornelio *l.* 6. *c.* 7. §. 1.

Angiotomiæ.

Servit & *angiotomiæ*, id est, *patefaciendis subcutaneis discindendis vasis*, *quæ se vel tenuitate sua vel carnis multitudine abdidêre*; sicut adnotavit autor *lib. de anat. vivorum*, *c. de venis pag.* 55. *B. Varices* porro *sic retegit Palus l.* 6. *c.* 82. & Albucasis *l.* 2. *c.* 92. *Ad evocandas* vero *arterias temporum eadem* idem utitur *l.* 2. *c.* 3. *Evocat* & *hac ratione hæmorrhoidas* Hippocra

Vasis delegendis.

pocrates *l. de hæmorrhoidibus n.* 3. *&* 4. *Ad venas* vero *manus pedisque tum inveniendas tum exhauriendas utilis est calida*, autore Oribasio *l. de cucurb.* qui & *ad exsuctum jam ab hirudinibus locum necessariam illam* fecit *eodem loco.* Apud Celsum vero *l.* 7. *c.* 30. §. 2. *adjuvando condylomatum per astrictum linum resectui, quo tenerescerent nimirum ipsa, adhibita per spongiam est calida.* Condylomatibus ad resectionem præparandis.

Præter *aquam* autem minime tacendi sunt *usus*, *quos aliæ* communiter præbent *diluendis acribus medicamentis*; quales sunt *pulveres* metallorum exusti, chymici sales & cineres, & in summa omnia, quæ *empyreuma* habent. Acribus medicamentis diluendis

Ad hæc *refrigerandis ferramentis excisoriis*, *quæ in calvariæ osse agitata & circum acta fervorem concepêre*, adhibentur. Intingendis fervidis ferramentis.

Neque etiam tacendi sunt *injectus*, quos frequenti usu facimus *ex fluida materia ad sinus corporis* seu naturales seu morbosos oportune *detergendos*, *carne implendos*, *agglutinandos*, *dolore liberandos*, & *exsiccandos.* Item *ad detergendos* accurate *locos*, *qui circum ulcera putrida proluvie sordescunt*, *pruritumque excitant*, *& tetrum odorem habent.* Similiter vero ad *detergenda detegendaque ulcerum vitia*, quæ sæpe illa conservant ac fovent, *necessaria est humidorum affusio. Simpliciter* vero ad *detergendam saniem* usus est *frigida* Celsus *l.* 5. *c.* 26. §. 22. Sinubus detergendis, carne implendis, & obducendis. Prurigini levandæ. Detegendis sanie vel caruncula obductis vitiis ulcerum.

Item *ad madefaciendos crebro panniculos*, *quos super calida vitia jam impositos non expedit inarescere*, usurpantur. Item *ad perfundendas turundas ac petiolas lineas partibus inæqualibus imponendas*, quæ deligari non licet; aut quas licet perfundi fascias, ut melius inhærescant, simulque partis ictæ substantiam salubriter tueantur, imminentique inflammationi resistant, prosunt. Quæ quidem utilitas tam magni momenti visa est Galeno, ut & *plagulas* & *fascias per solidos dies ac noctes vino austero nitro crasso madentes perpetuo conservet.* Verum ut ne vinum defluens stratum, ubi æger cubat, polluat, corium bubulum subjecit, quod promptum det transitum vino transcurrenti. Affusibus assiduis. Perfundendis linteis commode atque fasciis.

Præterea *ad everrenda atque eruderanda calvariæ ramenta*, dum cycliscis, terebris, aut modiolis exscinditur, *nullo non usui* sunt *humida*; sive *gossypio*, sive *lana*, sive *linamentis*, sive *spongiis* excepta. Everrendis calvariæ ramentis.

Serviunt etiam *ad madefacienda impacta plagis lintea panniculosque*, *qui adhærentes firme particulis*, *quæ sanguinem profu-* Resolvendis linteis arcte inhærentibus.

 de-

derant, difficile aliter & cum refricandi ulceris periculo avelli possent. Atque isto quidem usu fuit *calens acetum* Hippocrati *l. de ulcer. num.* 12. *Qua eadem ratione ad resolvendas fascias glutino illitas* usus est Cornelius *l.* 8. *c.* 5. *Ad resolvendos* vero *panniculos citra vesicarum abstractum in ambustis* Gabriel Fallopius *tr. proprio. Ad resolvendam vero spongiam, quæ exarescens naribus adhæreret ad sistendam hæmorrhagiam immissa*, Galenus *l.* 4. *de componendis medicamentis partium cap.* 4. Et *l.* 5. *meth. c.* 7. *ad resolvenda ex articulo vulnerato quatriduana vincula spongia madente* utendum voluit.

Defendendis ab igne particulis. Deinde *compliciti panniculi madentes, ne alterne appositi defendant ab igne particulas exurendas candentibus ferramentis.* Ita profecto Paulus *l.* 6. *cap.* 22. *in exurendis angulis palpebrarum spongiam aqua frigida madentem oculo* imponit.

Naribus depurgandis. Quanto autem *ad nares depurgandas attracta per ipsas humida, vinum* potissimum, adjumento sint, advertit primus Hieronymus Cardanus *in lib. de aqua pag.* 1435.

Pulveratis materiis commode retinendis. Taceo, *quod præmisso humidorum affusu, commode partibus adhærescunt pulverata medicamenta.* Atque ita quidem Aëtius *lib.* 4. *ser.* 2. *c.* 55. *fistulæ, oculo per affusum vinum humectato, pulvisculum aridum* philosophi descriptoris inspergit. Idemque observat *serm.* 4. *tetr.* 2. *c.* 14.

CAPUT XXV.

De assiduo ad plagas humidorum affusu.

Nunc *humidorum usibus enarratis* consentaneum & affine sermoni videtur, ut *de assiduo ad plagas humidorum affusu* dicamus. Nempe *utilissimus plerisque medendis exterioribus noxis*, etiamsi parum hodie cognitus est idem. Galenus utique *l.* 4. *de comp. med. secund. gen. c.* 2. scripsit hæc: *Ubi ulceris cavitatem medicamento impleveris, platysma emplastri labris attenuandis accommodati extrinsecus superdandum est, atque huic rursus linamentum undique æquale foris injiciendum, cui spongiam ex aqua aut vino tinctam applicabimus. At in primis curandum est, ut spongia frigida permaneat: quod ex facili fiet, si frigida ipsam continue citra deligaturæ solutionem foveas. Sed fasciam ei injicere ac circumdare debes; ut Hippocrates in commentario de fracturis edo-*

edocuit, maximam offensam fore ratus ex deligatura, quæ ad elegantem formam, non usum, conducit & est; sive tibia, sive talus, sive cubitus, sive manus, sive lumina, sive alia quævis pars laboraverit. Quod si duabus uti velis, ut in fracturis; altera à parte desinet, eodemque cum priore perveniet. Sed illa insuper observatio est adhibita, ut tertio quoque die, non singulis, solvendum membrum est sic, ut aqua non adhibita, molli, quo dixi nuper, puro siccoque linteo saniem abstergas ulceri. At si ambientes ulcus partes phlegmonodes quippiam repræsentent, humidum medicamen latum extrinsecus platysmati super accommodandum est ex phœnicino non simpliciter liquefacto, sed cui plurimum, quoad fieri potest, vini adstringentis adjectum sit. Neque tamen obvio quovis oleo liquari convenit emplastrum: verum si rubor aut calor in circumpositis ulceri partibus appareat, adstringente ac refrigerante aliquo faciendum est; quale myrteum, melinum, omphacium, aut omotribes est.

Hæc ibi quidem; & similia *libri ejusdem c.* 14. *F.* ferme Galenus. Quæ quidem ut comprehendi possint, eadem secundum singulas sui partes necessarium est expendi. Quam rem hoc loco fieri digredique non est quod vetet, si medendorum difficilium ulcerum operæ pretium attendimus. Sententiæ Galeni disquisitio.

Porro *difficultas* nec una nec parva subest in his. *Prima*, quod tot & tam multa, quot proponuntur, injecta sunt sane onerosa, ulceri sic, ut mirum sit; aut quod oneris vitandi gratia cataplasmata ab ulceribus abstinenda caverit Hippocrates, aut quod hanc ipsam ejusdem legem aut non adverterit aut contempserit ejus remedii auctor. *Secunda* etiam, quod aut non adverterit aut contempserit similiter præceptum Senis, qui *ulceri non humectanda aqua* voluerit. Quam rem quidem tum *hoc loco* tum 4. *simpl. c. de plumbo* proposuit idem Galenus. Adhuc, & qui decreverat etiam (quæ *tertia* difficultas est) *frigidum ulceribus & mordax & inimicum esse*; quod emplastrum humidis & saniosis his ulceribus ut imponatur, ipsemet prohibet. *Quod medicamenti genus* conceptis verbis Hippocrates *in lib. de ulceribus cavendum* censuit. Præterea non videtur neque explicat auctor, quot & quibus usibus tot & tam multa congerantur. Adhuc etiam neque explicavit Fallopius; qui miris medelam laudibus extulit.

Prima difficultas atque ambiguitas in Galeni medicamento.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Sume-

Sumemus igitur hoc laboris nos, & non pigebit in rem pro ſtudioſorum profectu diſquirere: quippe & rationis & artificii plenam hanc medendi rationem putamus.

Ad primam difficultatem. Quod enim ad difficultatem *primam* pertinet: admitto equidem oneroſas res multas & cataplaſmata evitari in ulceribus, quæ inflammationem ſubire poſſunt; non in pervetuſtis atque calloſis. Illud autem caloribus aut noxæ, quod inducere poſſent impoſitæ materiæ, corrigit & caſtigat *aquæ perfuſæ* copia. Quæ ipſa cum non ſola ſit, ſed emplaſtrum & linteum & ſpongia intercedant; neque humiditate neque frigore incommodare poteſt. Sicut neque ſane incommodabit emplaſtrum & linteum ulcere non ſanioſo ſimpliciter ſed aliqua parte ſicco. Humiditas alioqui, quam in curando hoc ulcerum genere ſtatuerat Galenus, vitioſa magis quam multitudine peccans eſt. Adde quod Hippocrates ipſe ſententiam hanc & utendi modum approbavit apertis verbis conſequentibus, quæ ſunt: *Tum vero apponere oportet, ulcus autem ſæpe ſpongia detergere, & rurſus linteum ſiccum ac purum ſæpe adhibere, atque ſic impoſito medicamento quod conferre videatur deligare.* Et *lib. de ulc. num.* XI. *ſplenia*, inquit, *aceto imbuta ſuperne impoſito, & ſpongia ſuper ſplenia impoſita deligato, & paulo magis apprimito.* Ex quo quidem utroque loco tam certus ſum traductam hanc Galeni medendi rationem, ut nil ſimilius exſtare poſſe credam.

Ad ſecundam. Ita patet *nil incommodi venire ulceribus ex hac curatione.* Quin vero plurimum commodi monſtrabo inde futurum. Aridum nempe medicamentum, quod primo imponitur, neceſſum cognoſcitur ad cavitatem & modice detergendam & implendam. Quam operam & emplaſtrum phænicinum pariter ſua, qua gaudet, facultate & juvat & facit. Sed multo maxime ſervit emplaſtrum repellendæ humiditati, noxæque aquæ, quam ex frigore objiciebant futuram. Huic enim quid obſiſtat magis, quam & glutinoſa emplaſtri materia, & quæ hanc recipit neceſſaria vel aluta vel panniculus? Ad hæc ſpongia quam exſiccando ulceri valeat, abunde patuit ex ſuperioribus.

Ad tertiam. Servit autem adhuc excipiendæ aquæ, quæ, & ſpongiæ facultas exſiccatoria Galeno XI. *ſimpl. F.* ut actu valeat, facit. Ita enim & hoc conſilio magnus Hippocrates *l. de ulcer. n.* 9. *diſ-*

dispositæ circa ulcus spongiæ folia multa supponit. Quamquam aliam rationem commentus est Galenus 3. *de offic. med. contex.* 21. dicens *oportere, ut ulcus ex vino continenter madescat. Quippe ubi superjecta lintea paulatim siccentur, atque incalescant; ulcus inflammari necesse est & potissimum æstate.* Deinde & influentes humores ad ambitum repellit, caloremque roborat partis; quo tentamus prævalentem superare malignitatem. Huc *latam* quippe *spongiam* recta interpretatur Fallopius *recitato loco.* Sed neque equidem alio consilio credo per Celsum *l.* v. *c.* 26. §. 20. *ex frigida expressam spongiam impositam plagæ; neque ut inarescat committendum,* sicut inquit: & *c.* 28. post emplastrum in linteolo suppositum supra injectam spongiam ex aceto expressam ad fistulas. Hunc humorum repulsum ad extremum adjuvat & præstat fascia, sive simplex, sive duplex: quæ per se quidem hoc muneris alias idonee facit. Ita plane constat usu commodissimam & frugiferam esse Galenicam hanc in dysepulotis medendi rationem. Ad quartam.

Atque hæc quidem in *ulceribus.* Cæterum *in vulneribus plagisque recentibus agglutinandis* usitatissima fuit divinissimo Galeno *austeri vini perfusio: quam in gladiatoribus Pergami jussu Pontificum quinquennio curatis sic se confecisse* testatus est *comment.* 3. *de offic. med. text.* 21. *ut substrata pellis esset leniter à pedibus sinuata, per quam procederet infusum vulneri vinum, & quasi per canalem efflueret, atque inani pelvi receptum regestumque rursus refunderetur.* Imitatus autem hoc est Galenus à magistro Hippocrate; qui *comm.* 3. *de fract. particula.* 25. *descendenti ex fasciis madentibus vino* ἴξαλον *pellem subjecit, sic figuratam, ut humor per ipsam facile deflueret, & quod effundebatur reciperetur.* Imitatus etiam *hoc in dolenti atque inflammato propter fracturam brachio* fuit Paulus Aegineta *l.* 6. *c.* 99. & *in fracto crure l. eod. c.* 106. *Alia* insuper *humidi affusus* apud auctores bonos sunt *exempla:* sed satis hic numerus esto pro istiusmodi ratione promovenda.

Comprobatum etiam in vulneribus Galeni medicamentum.

Dux Galeno Hippocrates.

Paulus.

FINIS.

Externæ & rusticæ ex animantibus medicinæ capita.

In externam & rusticam ex animantibus medicinam Marci Aurelii Severini Præfatio.

Maxima & inter omnes *præcipua* communi doctorum omnium consensu ex *animalibus* est *medicina.* Cujus ea videtur causa, quod plurimum ad calorem nostrum accedit eorum substantia. Itaque in *chirurgia*, id est in medendis malis corporis externis, adjumenti multum habebit hæc ratio. Quo fit, ut non alienum ab instituto nostro neque addiscentium commodo videri debeat, quod agendum hoc loco de his assumserim. Assumsi tamen id vere, ut de *animantibus* & *eorum partibus integrantibus*, quatenus externis corporum noxis medendis succurrere possunt, non aliter dicendum sit. Quod ut faciam inde sit exordium.

CAPUT

CAPUT I.

De integris animalibus in medicum usum venientibus.

Quæ in medendi usum veniunt *animantia*, nullo ex genere possunt non esse. Quædam *quadrupeda*, *multipeda*, *aquatilia*, *volucria*. Sed horum omnium *corpora* vel ipsa & *integra* commodis ægrotantium parantur, vel eorundem *partes*.

Integra quidem accipiuntur pro *curandis his*, *qui de sublimi loco lapsi collisique sunt*: nimirum ut *in illis exenteratis & longe apertis*, perinde ut oblongo labro, *conditum & obtectum ejus*, *qui collisus est*, *corpus calore molli foveatur & recreetur*. Ejus rei gratia *sanguinea* maxime prompta sunt: illa observatione prospecta, ut *magnis hominum corporibus magna* parentur, *minora minoribus*, *media mediis*. *Jumenta* inquam & *armentaria viris* apte congruunt, *juvenci* atque *equuli adolescentibus*, *gregaria pueris*. In his omnibus dum calent, retinentur afflictati homines: mox, si necessum fuerit, & suppetant alia ejusmodi pecora, similiter præparentur & ordinentur. Si satis uno quadrupedis fotu factum fuerit, educitur homo, & in strato molli calidoque conclavi reponitur. Ita serviunt *quadrupeda laborantibus integra*.

Lapsis & collisis.

Observatio.

Item *jugulatis recens verveci*, *porco*, *vitulo*, *immissæ manus languentes ex omni convulsione juvantur*; ut adnotavit *in therapeut. meth.* Jacobus Sylvius.

Convulsis.

Atque *hæc* quidem *majores animantes* præstant. *Minores* vero sunt usui, vel *non concisæ neque divisæ* singulæ, secundum *totum corpus suum* adhibeantur, vel secundum *unam partem*, vel secundum *totum concisæ*.

Ex *primo* ordine sunt hæc. Primus est *gallus gallinaceus vivens* vel *columbus venerem non expertus*; *qui podice tenus deplumatus*, *secundum hanc partem buboni vel carbunculo pestilenti applicetur*. *Quo mortuo*, *alter atque alter secundo ac tertio succedere debet*. Auctores Theophrastus Paracelsus *l. de vermibus cap.* IX. & Julius Cæsar Arantius *l. de tumor. cap.* 30. & Jo. Tagaultius *l. de vulner. cap.* XI. Primus omnium autem Celsus

Primi ordinis animantium materia.

Buboni & carbunculo pestilenti.

l. 1. cap. 27. §. 3. ad venenatos morsus usus est ad hæc & *carne hœdi agnique, disscissis calidis.*

Iisdem. *Ostrea viva pestiferos bubones loco transferunt, & virus omne ad se trahunt. Sunt autem agglutinanda brachio, qua axillaris decurrit, si quidem bubo in alis est; si vero inguen obsidetur, lineamentis femoris, quæ vena cruris describit.* Hæc Hollerius *l. de materia medica c. de attrahentibus.*

Glandulis. *Talpa glandulas superalligata destruit.* Sextus *de med. anim. part. 1. cap. 22. n. 2.*

Paronychiis. *Vermiculi in medio echino plantæ dipsaci reperti paronychiis prosunt, si vivi affectis unguibus circumligentur.* Antonius Mizaldus.

Ad hæc *lumbricus vivens digito ex paronychio laboranti advolvitur, vel diei naturalis spatio, vel adusque moriatur.* Et remedium est singularis proprietatis, auctore Paracelso *in libello de vermibus c. 9.* & Baptista Porta *in Magiæ naturalis opere.*

Profluenti sanguini. Qua item substantiæ proprietate *Apis viva in linteo nodulo conclusa profluentem sanguinem sistit.* Auctor Hieronymus Fabricius *l. 2. de tumor. c. 11.*

Eversæ sedi. *Torpedo marina apposita eversam sedem prociduamque coërcet.* Dioscorides *l. 2. cap. 15.*

Prolapsæ vulvæ. *Cujus & corium recens detractum prolapsam vulvam repellere* scripsit Aëtius *l. 4. ser. 4. c. 76.*

Angustiis urinæ. *Cimices in fistulam penis inditi angustias urinæ levant*, tum *quod ingressu titillatum atque inde reddendi lotii facultatem excitant*, ut placet Sylvio ac Matthiolo, *tum quod simpliciter & exanimes alioquin ea vi pollent*, ut prodidit Dioscorides *l. 2. c. 23.* & repetiit Galenus *l. 10. simpl. med. fac.*

CAPUT II.

E per se vita cassis animantibus medelæ.

Uberibus lacte turgentibus. *Hippocampus marinus uberibus lacte turgentibus lac exhaurit atque abolet* occulta proprietate. Sic enim à polypharmaco viro Mario Scippano usurpatum effectum suum dedisse testis est Illustris Dominus Cocchia medicus solers Neapolitanus, qui rem oculis videns cognovit. Porro *exsiccantis extenuantisque facultatis est* Galeno 10. *simpl.*

Cimi-

Cimices ex aceto poti adhærentes ſanguiſugas ab inguine repellunt. Dioſcorides. Sanguiſugis refigendis.

Bufo reni adalligatus aqua libenter educta aſcitem ſolvit. Experti Varignana & Vierus *hiſtoriis* à Schenckio recitatis. Aſcitæ.

Vermibus, qui *ſub lingua rabioſi canis* inveniuntur, *exciſis, & circum arborem ſterilem ter latis; qui morſus ab eodem cane aſſumſerit, ſanabitur.* Sextus *de med. beſt. & pec. c.* 9. *n.* 8. Canis rabidi demorſui.

CAPUT III.

Ex diſſectis viventibus animantibus medelæ.

Ex *ſecundo* partitionis ordine ſunt exempla hæc. *Gallus gallinaceus vel gallina medii diſſecti calentes imponuntur à venenoſa fera ictæ parti*, Celſo primum *in l.* v. *c.* 27. §. 2. mox Joanni Serapioni *ſerm.* 3. *c.* 428. Petro denique Bayro *lib. de peſte & c.* 6. qui tamen *aves obſtructis roſtris applicandas* monuit, Fallopio proponente *lib. de tumor. Columbam ad hoc* nominavit Sextus Philoſophus *l. de med. avium c.* x. idem remedium laudantibus Vido Vidio *in opere de curat. gener. part.* 2. *lib.* 9. *c.* 4. Joanne Tagaultio *lib. de vuln. c.* 11. & Julio Cæſare Arantio *lib. de tumor. c.* 30. qui eſt *de carbone peſtilenti.* Confirmatur hujus remedii præſtantia ſingulari hiſtoria Valentini Borgii, Alexandri Sexti Summi Pontificis filii, qui *exenterato mulo incluſus vim omnem propinati per dolum veneni* depoſuit. Ad quem modum audio Rainutium Farneſium, *lethali prope ſingultu proditum, applicito ad ventrem aperto dudum vervece reſtitutum fuiſſe.* Urbano quodam Parmenſe medico rem induſtrie commento. Sed & *accipitris alvo lapide vulnerata, inteſtinis ſectam gallinam in fotum* adhibet Fredericus Georgius *in arte accipitraria.* Quid autem & nos *majuſculam beſtiolam* homini malum id paſſo non adaptemus, ubi diu refriguerint inteſtina? Secundi ordinis materiæ. Ictibus venenatis. Hiſtoriæ. Propinato veneno. Singultui lethali. Inteſtinis in vulnere ventris refrigeratis.

Mullus marini draconis, aranei, ſcorpii morſibus medetur, ſi crudus atque diſſectus admoveatur. Morſibus aranei, ſcorpii & marini draconis.

Catellis recens eviſceratis in caput inſopiti hominis applicitis ſomnum revocari ſcribit Jacobus Fontanus *lib.* 1. *pract. med. c.* 12. Ex ſopore exſuſcitando.

Ubi dependens ab ictu naſi particula refrigerata fuerit, hanc pullo recens aperto reſovet Guido *tract.* 2. *doct.* 2. *c.* 3.

Particulis ictis & ab aëre refrigeratis.

Similiter & *refrigeratis prolapsis intestinis porcellum exsectum* applicat idem *ibidem.*

Sanguinis profusioni in mutilatis artubus sistendæ. Historia.

Adhuc & *sanguinis profusioni è mutilatis artubus compescendæ mirificam hanc volucrium applicationem* ex Felice Platero legimus *Tomo 3. tit. de sanguinea excretione* hæc scribente: *Aliæ applicationes præter hæc emplastra alia forma ad vulnerum hæmorrhagias etiam fiunt. Qualis illa est, qua in utraque manu latronis cujusdam amputata sanguinem subito substitisse vidimus. Quod hoc modo factum. Carnificis uxor gallinaceo pullo juxta podicem eo in loco, ubi galli castrari solent, amplo foramine sectione aperto, brachium juxta carpum absectum hiatui ampliato introducebat, & corpus gallinæ cum plumis, fune brachii sedi vulneri propinquæ circumducto, fortiter adligabat. Atque sic citra magnam effusionem sanguinis eo usque, donec in locum supplicii ductus interficeretur, supervixit.* Quo remedii genere postea *in absectis digitis* cum successu feliciter usus sum.

Anginæ.

Anginæ medendæ suffivit hirudines licet odoratis quibusdam admistas Andreas Cæsalpinus *l. 6. praxeos c. 3.*

Hydropi.

In hydropem supra lumbos impositas virides ranas & bufonem aquas admirabiliter educere scripserunt Varignana *tract. 12. c. 14.* & Vierus *in historia.*

Sugillatis.

Ranarum quoque carnes impositæ sugillationem rapiunt, teste Plinio *l. 32. cap. 6.*

Hæmorrhagiæ inhibendæ.

Scriptis prodidit multiscius Gesnerus *Fredericum Saxoniæ Ducem bufonem acuto ligno transfixum, & in opaco diligenter arefactum, involutum linteo manu complectendum dedisse hominibus sub hæmorrhagia laborantibus, donec intra manus concalesceret. Ita sanguinem è vestigio repressum.*

Pastinacæ ictui. Ictui draconis.

Pastinaca divulsa & vulneri imposita ictus sui medela est. Auctor Dioscorides *l. 1. c. 6.* qui & *c. 14. ejusdem libri, Draco*, inquit, *marinus dissectus apertus & impositus, ictus spinæ suæ, qua ferit, medela est.*

Spasmo, ictis & recisis partibus.

Item *spasmosis* & *dolentibus ex ictu* atque etiam *recisis extremis partibus statim remedio sunt, si applicantur quadrupedis exsecti catuli. Ex avium* vero *genere* id præstant vel *columbi*, vel *pulli gallinacei*, vel *gallus* ipse; sed *hic* qui *nigro calore* est, sic maxime probatur.

Tonsillis pestiferis, & anginæ.

Ad tonsillas pestiferas & *anginam extrinsecus sub gulam im-*

posi-

positus apertus bufo seu rana calamaris nonnullam opem affert opinione quorundam.

Pulmonis pinnam transfosso pectore exsertam gallinaceo recens desecto fotam non aliter intromittit Rolandus *lib.* 3. *chir. c.* 25. Pulmonis pinnæ in pectus reponendæ.

Ex *tertio* rerum divisarum genere sunt hæc. *Cancer contusus & hujus succus expressus maximum igni Persico refrigerium* perhibet. Theophrastus Paracelsus *in libello de vermibus.* Tertii ordinis materiæ. Igni Persico.

Cephalalgiæ vero *cancri aliquot fluviales aceto rosaceo irrorati & contriti* singulare topicum sunt, eodem auctore *l. de verm. c.* 11. & Rulando *Cent.* 1. *curat.* 22. & 73. Cephalalgiæ.

Triti quoque *hi spicula è corporibus detrahunt, si his imponantur.* Mizaldus. Spiculis extrahendis.

Ad oculorum vero *defluxus limacem cum testa tusam fronti ac temporibus illitam probe facere* scripsit Auctor *libri de remed. par. facil. c.* x. Oculorum defluxibus.

Cochlearum caro furno siccata & lævigata cum pari pondere sacchari candi suffusiones ex alto extrahit, & albugines delet, abducta crusta; si Cæsalpino credimus id proponenti *l.* 5. *art. med. c.* 45. Suffusioni albuginique.

Contriti lumbrici terrestres anginæ præfocatoriæ extrinsecus impositæ mire subveniunt. Savonarola *in opere pract. tr.* 6. *c.* 9. *rubr.* 5. Anginæ præfocatoriæ.

Scorpio vero *tritus & suppositus puncturæ per ipsum factæ magno est auxilio*; quemadmodum scriptum reliquit Dioscorides *l.* 2. *cap.* XI. & Joannes Serapion *in lib. simp. sermone* 3. Scorpii puncturæ.

Denique *cochleæ terrestres contritæ vulnera cum alia tum quæ nervi acceperunt conglutinant: nec non aquæ intercutem tumores exsugunt.* Dioscorides *l.* 2. *c.* 9. *Arthriticorum* vero *tumores & ecchymomata dissipant* Galeno XI. *simpl.* Nervis concisis agglutinandis. Aquæ intercutem. Arthriticorum tumoribus & ecchymomatis.

Viperarum demorsibus harum contrita caro remedio est, Aëtio si credimus. Viperarum morsibus.

Ex decocta & emplastri modo imposita rubeta mirum in modum anginam suffocatoriam elevari prodidit Hieronymus Cardanus *in l.* 7. *de variet. cap.* 38. Anginæ suffocatoriæ.

CAPUT

CAPUT IV.

Ex decisis quadrupedum partibus medelæ; & primum ex eorum carnibus visceribusque.

Quarti ordinis materiæ. Venenatis ictibus.

Ex *quarto* ordine exempla fuerint hæc. *Gallina recens concisa ictibus venenatis adhibita prodest*; ut Fallopius *lib. de tumor. c.* 6. proposuit.

Cancro faciei.

Vel *gallinacei frustis impositis cancro faciei novo remedio sanatum quendam* ad miraculum refert Mauritius Cordæus *in lib.* I. Hipp. *de morb. mulier. comm.* 7. Quod experimentum & Guido Cauliacus & Joannes Riolanus *in chir. cap. isto* scripsêre. *Idem* pene recitat Guido *tract.* 4. *doct.* I. *c.* 6.

Linguæ cancro.

Audio vero & ex privatis hominibus, *suillæ carnis macræ diu sale conditæ igne concalefactæ crebro usu persanatum linguæ cancrum*; si credere dignum est.

Suppuratis. Spiculis extrahendis.

Suillum vero *laridum vetustum*, præcipuæ si *rancidulum* sit, & *aqua calente lotum ad suppurationes & ad harum dolores & inflammationes valere*; quis est, qui non norit?

Myrmeciis, acrochordonibus, clavis.

Sauræ caput contritum quidam *palos tum spicula extrahere* memoriæ reliquerunt, tum *myrmecias*, *acrochordonas*, & *clavos*: ait Galenus *l.* XI. *simplic.*

Infixis extrahendis.

Restat *partium è toto corpore decisarum* administratio. Primum occurrit *caput: quod ex lacerta* commendatur à Galeno X. *de simpl. medic. facult. ad extrahenda infixa.* Sed *parietariam hanc* privatim laudat Mizaldus *in Centuriis.*

Similiter *linguam vulpis mense Martio decisam, si ad spiculum proxime perspectum imponatur, arcana proprietate infixa quæ libet extrahere*, testes sunt Gesnerus, Quercetanus, Schenckius.

Morsui viperæ.

Caput à viva vipera resectum adhuc calidum, qua parte cum cervice jungebatur, demorsæ à vipera particulæ impositum venenum extrahit. Galenus *l. de theriaca c.* X.

Anginæ.

Per excisum & aridum lupi guttur venientem aquam qui bibit, ab angina liberatur. Joannes Agricola *l.* 2. *de medic. herbarum.*

Labellis leporinis.

Labella leporina curari initio mox per eadem oblita applicataque à partu constat. Moccius medicus.

Ad

Ad nævos nativos idem est obstetricum experimentum. Joannes Schenckius *in observationibus medicis.* Nævis nativis.

Ex hac autem *quadrupedis particula* non prætereundum est experimentum, quod narrat Olaus Magnus *in 2. libro rerum Septentrionalium*, ubi scribit *populos eos, qui frequentissime ob frigus aëris perniones experiuntur, sese non alio remedio sanare quam pulverata pelle leporina. Quod experimentum rationem habet, quia, ut notum est, pili leporini maxime valent ad unienda vulnera.* Ita quidem Hieronymus Mercurialis *l. 1. de Morbis puer. cap.* 13. Sed ego crediderim *remedii vim* esse potius *causam sympathiæ cujusdam ad pedes.* His enim maxime prævalet *leporis* natura. Unde etiam Latinum compositum nomen fuit. Pernionibus.

Viperæ generosæ filo serico rubro suffocatæ caput, ac dentis apri rasuram, anginæ maximum à proprietate remedium dixit Usualdus Crollius *Basilicæ chymicæ pag.* 260. & Joannes Finchius hunc sequutus *in Hermetico-dogmatico libello.* Anginæ.

Eandem vero *tritam ictibus ferarum, ulceribus etiam cancrosis & cacoëthis plurimum conducere*, scripsit Jos. Quercetanus *in Spagir. medic. præpar. c. 3. F.* Ictibus ferarum. Ulceribus cancrosis & cacoëthis.

Ex quo ipso Auctore *in lib. eodem capite 6. vermes millepedas contritos ad affectus oculorum præstabiles esse* discimus. Oculorum affectibus.

At *ossa lupi in levorem redacta morbo intercostali, ictibus & puncturis succurrere:* & *ossa parvula, quæ inveniuntur in prioribus leporis pedibus*, sicut & *os sepiæ, urinas morantes valenter pellere*, & *oculos cancrorum igne vehementi*, quem *reverberii* vocant, *calcefactos calculum feliciter dejicere* legimus. Pleuritidi. Ictibus & puncturis. Urinæ moranti. Calculo.

Sepiæ testa sycosi oculorum, nepheli, lentibus, impetigini, psorisque unguium commendatur Galeno XI. *simpl. Quibus vitia omnia cutis in facie dentesque tetros* addidit Dioscorides *l.* V. *c.* 20. Sycosi oculorum. Nepheli. Lentibus. Impetigini. Unguibus psorodeis. Faciei vitiis cutaneis. Dentibus tetris.

Res vulpis cervici imposita convulsis remedio est. Auctor Andreas Cæsalpinus *l. 5. art. med. c.* 27. Convulsis.

Jecur pastinacæ piscis percusso per hujus radium loco remedio esse comperit Rondeletius *lib. 12. de piscibus c.* 1. Pastinacæ piscis ictibus.

Jecur lacertæ erosis impositum dentibus hoc dolore liberare nonnulli scriptum reliquerunt; ait Galenus XI. *simpl.* Dentium molestiis.

Jecur suis crudum & calens velut cataplasma impositum capiti à ti-

Capiti à tineis exulcerato. *à tineis exulcerato, diebus novem vitium sanat. l. de dynamid. pag. 23.*

Nyctalopiæ. *Hirci jecur assum & ℥ij. comesum, nyctalopiæ medetur,* auctore Galeno. *in l. 4. compos. med. local. c.* 8. *&* XI. *simpl.* Cum quo viro est etiam Oct. Horatianus *l.* I. *ad Euporistum c.* X. & Celsus *l. 6. c. 6. §. de imbecillitate oculorum.*

Bestiolæ in aurem illapsæ. Sed *liquor hepatis vaccini dum assatur collectus, in aurem, in qua bestiola vermisve subest,* utiliter infunditur per Avicennam *l. 3. fen. 4. tr. 1. c. 23.*

Sternutamentis infantium. *Et liquor ex renibus dum assantur exstillans probatur* ab eodem *pro nasipurgio,* nimirum *sternutantibus infantibus, l. 3. fen. 5. tr. 2. c. 14.*

Nyctalopiæ. *Sanies ex hepate capreæ aut hirci dum assatur effluens, vaporque ejusdem dum elevatur, oculos nyctalopum qui exceperunt juvat;* si Galeno credimus *in* XI. *simpl Illud in aqua salsa decoquit* Sextus Philosophus *de med. animal. p. 1. c. 4. n. 2.*

Claviculis manus aut veretri. Item *liquoris, qui de pulmone arietis concocto exit, stilla superposita claviculo, qui in manibus nascitur, aut in veretro illita, medetur;* inquit Sextus *de med. pecorum. c.* 8.

Oculis caligantibus. *Liquorem hepatis mustelæ piscis in vitro exacte operto per filum demissi & ad solem æstate, post furnum hyberna tempestate expositi, defluentem, caligantes oculos mire juvare,* certo experimento refert Petrus Forestus *l.* II. *observ.* 35.

Intertrigini. *Pulmo agninus pariter & porcinus intertrigines à calceamentis curare* creditur Galeno XI. *simpl.*

Pernionibus. *Pulmo* vero *arietis aut porci assus pernionibus benefacit.* Guido ex Galeni sententia *tract. 2. c. 8.*

Unde equidem credo transtulit Petrus Bayrus, vel uterque horum ex Sexto Philosopho *l. de med. animant. part.* I. *cap.* 8. qui ad hæc *& sugillatis & nigris cicatricibus & calceamentorum illisuris* dixit *valere.*

Sugillatis. Calceorum illisuris. Livoribus. *Pelidmatis omasorum pulmo calens benefacit,* Auctor Marcellus *l. de medicam. cap.* 19.

Hypopiis. Chymosi oculorum. Item *oculorum hypopiis sanguis columbi calidus confert.* Gal. XI. *de simpl.* & Paulus *lib. 2. cap. 3.* & *chymosi oculorum,* Jos. Quercetanus *Diætetici sect. 3. cap. 5.*

Spasmo extremarum partium. *Spasmosis ictibus & doloribus extremorum* applicantur jam jam exsecti *catuli,* ut & *æluri,* vel *galli.*

Omen-

Omentum arietis calens, sive quod nuper evulsum est è ventre, sive quod aqua recalefactum est, ad dolores ventris finiendos præstare facit. Galenus 11. *simplic.* Doloribus ventris.

Ejus quod percussit venenati animalis hepar extractum recens impositum icto loco benefacit. Fallopius *l. de tumor. c. 6.* Ictibus ferarum.

Ex pastinacæ radio gingivis scarificatis dentes male affecti sanantur, Plinio auctore *lib. 32. c. 8.* Dentibus male affectis.

In felle vaccæ, qui concrevit tophus renum calculis deturbandis apto esse præsidio scribitur Michaëli Paschalio *l. pract. meth. c. 47.* Calculis.

Fel tauri purulentis auribus & fractis cum muliebri lacte medetur. Dioscorides *l. 2. c. 71.* Auribus purulentis & fractis.

Fel callonymi oculis caligantibus benefacere vulgatum est; ut & *fella rostricurvarum avium.* Oculorum caligini.

Fel hirci lusciosis prodest. Galenus 10. *simplic.* Lusciosis.

Fel suis pernionibus benefacere testis est Theodoricus *l. 3. chirurg. c. 6.* Pernionibus.

Fel capreæ facit ad cicatricem oculorum, & *argemata*, & *nephelion*, & *glaucomata*, & *pterygia*, si ex *eo* inungantur. Leucomati. Argemati. Nephelio. Glaucomati. Pterygio.

CAPUT V.

De Sanguinis usu medico.

Sed *sanguis*, ut de *hoc* nunc dicatur, *ex variis varie benefacit*; cum omnes *ejus* species ad *concoquendos abscessus* sint idoneæ: *Jugulatorum* vero *dum jam affluit, ad contractos nervos, & ad veteres à luxatu distentiones artuum* frequentissimo est in usu nostratibus. Quo remedii genere & Guido usus est *ad residuas fracturarum duritias Chirurgiæ parvæ. F.* & *ad podagras tract. 6. doct. 1. c. 1.* Abscessibus concoquendis. Contractis nervis. Veteribus ex luxatu distentionibus. Duritiis fracturarum. Podagris.

Columbi sanguis, præsertim qui ex ala elicitur, & ad medendam cerebri membranam, & ad oculos sanguine suffusos utilis est. Celsus *l. 6. c. 6.* & Paulus *lib. 7. c. de sanguine*, & Sextus *de med. avium c. 10. Farfen* hunc affectum dixêre Arabes. Cerebri membranæ. Oculis sanguine suffusis.

Et *ad alios oculorum affectus commodus est sanguis leporis. Impetigines purgat*, Sextus *de med. anim. par. 1. c. 2.* Item *alopeciæ conducit*, Galenus *de remed. par. facil. c. 2.* Similiter & *cervi*, & *testudinis sanguis* idem *pag. 99.* Impetigini. Alopeciæ.

Verrucis pupillarum. Cum *verrucæ pupillas* infestant,
Id poterit vitium sanguis curare lacertæ;
sicut Quintus Serenus *versilogæ medicinæ libro* prodidit.

Carcinomati. *Carcinoma* vero *valde non exesum sanguis canis persanat*, auctore Hieronymo Cardano *in libro de Aqua & Æthere. Cum* Tumoribus solvendis. *cinere* vero *vitis ex adipe suilla mistus omnes ferme tumores solvit.* Floravantus *Thesauri l.* 4. *c.* 65.

Calculo vesicæ. Historia. *Calculum vesicæ sanguis vulpis, ut elicitus est, calens impositus conterit*, si Nicolao Florentino credimus; qui refert *ab adhibito illo puerum calculosum post turbidam & cœnosam urinam emictam liberatum ab ea noxa fuisse.* Sunt autem, & qui per siphonem hunc in vesicam injiciundum velint. Quod etiam suadet Blasius Astarius *in consilio* 6. Verum enimvero *ne coaguletur sanguis, acetum fervefactum aut coagulum admistum facit.* Auctor Jo. Ruellius in *Dioscoridem eo capite.*

Vesicæ carunculæ. Sed *columbi sanguis minio ceraque & vini guttis commistus carunculam vesicæ discutit*, auctore Floravanto *l.* 4. *capric. c.* 34.

Trichiasi. *Trichiasi abolendæ muscæ caninæ, cimicum, & ranarum sanguis* probatur Paulo *l.* 3. *c.* 22.

Tuendis oculis. *Sanguis hirundinis tuendis ab externo casu oculis optimus est*, deinde *palumbi*, tertio *columbæ*; sicut Aurelio placet *l.* 6. *c.* 6. §. *ult.*

Ambustis. *Sanguis galli gallinacei proficuus est ambustis* apud Rogerium vetustissimum chirurgum *c.* 15.

Strabismo infantium. *Sanguis turturis strabis infantium oculis utilissime imponitur* juxta Avicennam *l.* 3. *fen.* 3. *tract.* 2. *c.* 29.

Hydropicis. *Sanguis coturnicis, ut, quæ veratro in victu delectatur, hydropicorum aquas exhaurit ex vino potus.* Michaël Paschalius *l.* 3. *pract. meth. c.* 44.

Scirrhosis. *Sanguis tauri cum polenta illitus duritias discutit emollitque* Vecherus *l.* 1. *antid. Special. c.* 24. *F.*

Ictibus ferarum. *Butyrum sanguini* succedat. *Hoc poto Musitani Indorum populi ferarum ex vulnere defixum ejiciunt.* Auctor Strabo *Geographiæ l.* 15.

CAPUT

CAPUT VI.

De Adipum vi medica.

Succedunt *his* modo *recitatis partes aliæ* præter *integrantes*, atque *illæ*, quæ ἐπιγενόμεναι per Græcos, nobis *adnatæ* dicuntur; item *rejectaneæ*, *decisæque de utilibus alimentis*. *Postremæ* vero fuerint *compositiones* ac *præparationes dictarum omnium*. A primis *adipibus* exordiamur Partes animalibus adnatæ.

Adeps vulpis liquata dolentes aures maxime levat. Auctor Dioscorides & Galenus *lib. de remed. fac. parab. c.* 10. Quod equidem remedium ob id ante omnia posui, quod expertum à nobis perquam feliciter fuit. Aurium dolori. Nostrum experimentum.

Aliis vero *vitiis* earundem *aurium anguis thimali piscis adipem benefacere* scripsit Joannes Finchius *in Hermetico dogmatico*, & Usualdus Crollius *in Basilica chymica.* Aurium vitiis.

Ursorum adipe alopecias curari professus est Galenus 11. *simpl.* Alopeciæ.

Item *pernionibus hoc eodem subveniri* scripsit Dioscorides. Pernionibus.

Viperarum adeps singulare est ophthalmicum Usualdo Crollio *in Basilica chymica pag.* 260 *F.*

Ranarum memorabilium adips radicitus eximendis dentibus valet. Guido *tract.* 6. *doc.* 2. *cap.* 2. *partic.* 5. *Ranarum adeps denti impositus cavo levat dolorem.* G. Phæd. *in Jatrochym. Frangendis* item *facit* ex Mesuæo *lib.* 2. *Grabadin. sum.* 8. *c.* 3. Dentibus eximendis.

Leonis adeps dolori cuicunque succurrit. Sextus Philosophus *l. de med. bestiarum.* Doloribus omnibus.

Asini adeps, *præcipue si per bal. mar. oleosa substantia detrahatur*, *cicatrices belle delet.* Andreas Vesalius *in lib. de vuln. c.* 10. Cicatricibus delendis.

Adeps ursi cum ladano & vino vetere capillos fluentes continet & conspissat. Sextus *partis* 1. *c.* 13. Capillorum defluvio.

Felis adeps dolentes ex venerea contage partes mulcet. Auctor Vindelinus *l. de morbo Gallico c.* 14. Doloribus syphiliis.

Gliris adeps remedium affert his, *qui paralysi tentantur*, itemque *verrucis superligata mox eas tollit.* Sextus *part.* 1. *c.* 13. Paralysi. Verrucis.

Gruis anserisque adeps locorum duritias & concretiones discutit. Sextus *de med. avium c.* 4. & 11. & Plinius *l.* 30. Duritiis & callosis concrementis.

Capreoli cervi & damæ sevum scirrhosis tumoribus emolliendis præstat. Andernacus. Scirrhosis tumoribus.

Torminosis. *Vervecinus adeps torminosis, tum pro balano inditus, tum & calens ano sedique illitus* quotidiano experimento *beneficientissimus est.*

Convulsis. *Rajarum adeps convulsis subvenit*, id est, *is, qui ex hepate ipsarum defluit:* Itemque *catus* & *anguilla concisi, in alvum anseris inditi, cum simul torrentur, qui destillat adeps.* Rondeletio auctore *in l. de cur. morb. int. c. de convulsione.*

CAPUT VII.

De Fimis & Urina.

Etsi *medicina* quidem *hæc sordida* est, sicut *eam* vocat Avicenna *l.* 3. *fen.* 6. *tr.* 2. *cap.* 22. ex *excrementorum* tamen *genere multorum animantium multa noxis externis corporis sentiuntur proficua.*

Parotidis cancrosis. Ex arthritide luxis partibus. Nervorum contracturis. Carbunculis. Colicis. Intestinis percussis. Mammarum tumoribus. Ulceribus difficilibus & desperatis. Corporis infixis refigendis. Oedematis scroti.

Inter omnes laudatissimus est *Caprinus fimus, qui ad cancrosas parotidas & ex arthritide luxas atque extumescentes partes corporis medendas cum melle; ad nervorum contracturam cum aceto; ad carbunculos discutiendos, & ad colicos dolores pro fomento; ad incisa intestina consolidanda cum pilis decoctus & contritus belle facere* proditus est à Sexto Philosopho *in lib. de med. pec. c.* 5. *nu.* 21. 24. 25. 26. 27. 28.

Idem rei ad mammarum muliebrium tumores dissolvendos ex vino meraco probe facere scripsit auctor *operis de fac. parab. l.* 3. *f.*

Idem, si Petro Foresto credimus id referenti *in l.* 7. *observ. chirurg.* 4. *ulceribus curatu difficilibus & desperatis tam bene facit, ut quam optime.* Quod desumpsisse potuit ex Octavio Horatiano *l.* 4. *ad Euseb. pag.* 99. qui tamen *ustum* imponit.

Sunt, & qui *deducendis corpori infixis fimum hunc* probent; quod testatur Jo. Ursinus *Prosopop. animal. l.* 1. *c. de capr.*

Nostri vero medici *ad œdematosas scroti fartturas* expertum habent.

Lepræ, psoræ, licheni, strumis & scirrhis. Sed Galenus 10. *simpl. lepram, psoram, lichenem explanare*; itemque & *chœradas & scirrhosos mammarum tumores ex aceto solvere* dixit. Sed *ex meraco vino imponit mammis* quicunque est auctor *lib. de remed. par. fac. c.* 235. *ex aceto* vero *ad*

Parotidis. *parotidas duras* idem *eod. l. c.* 8.

Hydro-

Hydropicis caprinum stercus in urina pueri venerem non experti; vel istius capræ urina coctum, & ad strigmentitiam spissitudinem redactum, atque impositum egregie purgat alvum, ex Archigene apud Galenum *de comp. med. loc. l.... c. 3. Hoc ipsum* & *genuum œdemata, quæ à collisu atttrituque ad terram ex adoratu fiunt, solvit* experimento probatissimum sodalibus soleatis Carmelitanis Neapoli. Hydropicis. Genuum œdematis.

Ad hæc & *viperarum ictibus ex aceto succurrere* dixit idem Galenus *lib.* 10. *simpl.* Sed *chersydri veneno adversari* voluit hunc Cornelius *l.* 5. *c.* 27. §. *de chersydri ictu.* Viperarum ictibus. Chersydri ictu.

Post hunc *canis est stercus celebratissimum ad anginam, sed ejus, qui ossa fuerit diutule pastus.* Alias autem *simpliciter paratum inveteratis summe ulceribus summeque malignis cum fructu adhiberi* scripsit Galenus 10. *simpl. Icterum quoque poto hoc excuti* scripsit Benedictus Faventinus *in empir. eo cap.* Anginæ. Ulceribus malignis. Ictero.

Post hunc *fimus est Asini*, propterea cumprimis *commemorandus*, quod *profluentem ex naribus sanguinem mire sistit*, multis & probatissimis fide viris hanc rem affirmantibus. Primo omnium *in hanc rem* illum laudat Hippocrates *in lib. de natura muliebri*: deinde ex junioribus Mich. Savonarola *in opere practico tract. 6. c. 5. rubr.* 3. Sed inter omnes maxime Rodericus à Castro *lib.* 1. *de morb. mul. c.* 5. narrat *huic uni sese sic vere confisum; ut arefactum in arcula paratum semper ad usus haberet. Nullumque paris efficaciæ medicamentum se scire* profitetur; præsertim, *si succo urticæ, nimirum arens, commisceretur: recens enim per se commode naribus adhibetur.* Hæmorrhagiæ narium.

Sed super omnes tamen *efficacissimum in hac re Leporis fimum esse* scripsit auctor *appendicis ad Centurias Mizaldi*, Antonius Guertæus, *pag.* 219.

Similiter *ad fluxus alios præcipuus est Asini fimus. Ad uterinos* tamen *eo* usus est Hippocrates *l. de nat. mul. sect.* 2. & *l. de superfœt.* & *l. de steril.* Hystericis affectibus.

Ad prociduum intestinum eum probavit Horatianus *lib.* 4. *ad Euseb. pag.* 96. Intestino prolapso.

Ad immodicas mensium purgationes ex adstringenti humore dilutum perhibet experimento probatum Michaël Paschalius *libr.* 2. *pract. meth. cap.* 55. Immodice fluentibus uteri purgationibus.

Sed *medicinam Equini fimi* flagitium propemodum esset relin-

Lui venereæ discutiendæ. linqui: *quem ad luem veneream absorptu quodam excutiendam mirificum esse* certa experientiæ fide perhibuit Jacobus Hollerius *in opere de materia chirurgica c. de attrahentibus.* Nostra vero observatione non minimo est usui *discutiendis doloribus ex frigido humore congestis.* *Lassitudinibus* quoque *pedum longa itinera emensorum* & *horum arthritidi sopiendis* tam belle valet, ut vili remedio summum accedat pretium ex medicina. Expertus *hanc quoque vim ejus maxime in spasmo & convulsione valere* testatusque est Ambr. Paræus *l.* 11. *sui operis c.* 25. *Eadem medicina & a loco sublimi lapsis approbata est* à Guid. Cauliaco *tr.* 6. *doctr.* 2. *c.* 5. Utendi modum descripsit Decius Fortis *in l. rudimentorum Pharmacopœi. Luxis* quoque *ac vi morbi distortis succurrere fimum hunc, quo se obruat homo*, scripsit Leonard. Bononiensis *in* 4. *Thesauri vitæ hum. c.* 63.

Doloribus ex frigido humore. Lassitudinibus pedum. Arthritidi. Spasmo. Lapsis à sublimi. Luxis & distortis.

Articulorum dolori. Ulceribus cancrosis. *Bubulus* vero *calide applicitus articulis dolore afflictis benefacit* Avicenna teste *l* 3. *fen.* 22. *tr.* 2. *c.* 13. atque Auctore *libri de fac. parab. ad Glauc. c.* 24. & *ad Solonem c.* 13. *Hujus* vero *mense Majo collecti aquam arte chymica paratam cancrosis ulceribus benefacere* scripsit Quercetanus *l.* 1 *de spagyr. med. præparat. F. Hunc* quoque *hydropicorum aquas ita discutere* perantiqua est observatio, *ut & Heraclitum intercute laborantem eo ad solem remedio usum* scripserint Historici & Quercetanus *Antid. spagyr. Hunc* quoque & *apum vesparumque ictibus mederi, phlegmonasque reprimere jam recens egestum*, tradidit Galenus 10. *simpl.*

Hydropicis. Historia. Vesparum ictibus. Phlegmonis.

Nervis induratis. *Fimum Ovinum emolliendis obduratis nervis mire benefacere* scripsit Leonardus Bononiensis *in* 4. *Thesauri vitæ hum. c.* 62.

Ambustis. Exitu matricis. Sed *Tauri fimus crematus ambustis conveniens* scribitur à Sexto *l. de med. best. c.* 21. *n.* 12. Et secundum Blasium Astarium medicum insignem Papiensem *suffitus idem sub pudendis mulieris mire valet ad revocandam intro matricem, quæ egressa est alveum naturalem.*

Ulceribus cancrosis & insanabilibus. *Pueri vel Virginis investis fimus combustus ulceribus cancrosis atque insanabilibus aspersus magno remedio est*, testantibus & Plinio *l* 28. *c.* 4. & Sexto *l. de med. anim. c.* 17. *n.* 9.

Albugini. *Hirundinis stercus ad albugines oculorum delendas mirabile* se dicit expertum Michaël Savonarola *tract.* 6. *c.* 3. *rubr.* 15.

Furunculis rumpendis. Serpentum morsibus. *Galli gallinacei fimus ruffus furunculos rumpit & dolorem tollit im-*

impositus; Sextus *de med. avium c.* 8. Sed *ex aceto illitum* proponit Plinius *l.* 30. *nat. histor.* Quem & *serpentum morsibus consulere modis omnibus administratum*, tradidit idem Plinius *l. eod. c.* 3. Itemque *& eo tractabiliora fieri ulcera sanarique celerius.*

Columbi fimus habet has vires, inquit Sextus *l. de med. avium c.* 10. *Omnes duritias discutit & humores exsiccat cum oleo, aut melle calefacto distemperatus & super duritias ligatus.* Alias *podagricis tophis hunc convenire* dixit Galenus 10. *simpl. nec non doloribus omnibus inveteratis*, & *phagedænis oportune mederi*; *atque in phœnigmis utiliter misceri.*

Corvi fimus cavo denti impositus dentem rumpit & dolorem adimit. Sextus *de medic. avium c.* 6.

Turturis fimus calculosis subvenit. Auctor *l. de remed. facil. parab.*

Sturni fimus gratiam habet in alphis exterendis, Paulus *l.* 4. *cap.* 6. Item *in stigmatis abolendis*, idem *cap.* 3. Et *intertrigini commodus est*, idem auctor.

Sunt & *aliæ variorum fimorum utilitates* à Dioscoride descriptæ, quas omnes huc producere visum non est.

Post *fimum* sequitur *Urina*; cumprimis autem *Humana psoris*, *lepris*, *pudendis affectu putrido laborantibus*, *achoribus*, *furfuribus*, *auribus purulentis*, *& digitorum ulceribus utilis est*, testante Galeno 10. *simplic.* Sed Sextus *impubis hominis urinam veteribus callis extenuandis utilem* perhibuit *l.* 1. *cap.* 37. Item, *oculorum exteriores hypochyses eam delere*, *quod fel humanum in se contineat*, scribit Hieron. Donzellinus *consil. apud Scholzium* 184.

Sed *Asinorum urina ex optimis est medicamentis ad narium graveolentiam*, ut retulit ex Galeno Mesuæus *l.* 2. *sum.* 7. *c.* 1.

Jam de *excrementis*, ut perorem, & *stercus bubulum* & *urinam expurgatorium suffitum uteris* affert Hippocrates *l.* 1. *de morb. mul.* In *quo ipso* & 2. *ejusd. oper.* & s. mirum est, quantum his materiis deferat. Sed enim statuere oportet, magnam & admirandam esse istorum vim propter *insitum salem ac nitrum*; quæ sunt *efficacissimi detersus.* Ut ne supercilium contrahas, videlicet, quod tantopere vilem animantium materiam hoc loco pertractavimus.

Ulceribus præparandis.
Duritiis.
Humori absorbendo.
Tophis podagricis.
Doloribus inveteratis.
Phagedænis.
Cavis dentibus eximendis.
Calculosis.
Alphis.
Stigmatis abolendis.
Intertrigini.
Psoris. Lepris.
Pudendorum vitiis.
Achoribus.
Furfurationi.
Auribus purulentis.
Digitorum ulceribus.
Callis extenuandis.
Suffusioni oculorum.
Naribus putridis.
Hystericis.
Unde tam magna vis fimis.

CAPUT VIII.

De aliis animalium excrementorum generibus.

Ad *excrementa* referri poteſt & *vernatio anguis*, vulgo *ſpolium*, quæ miris præſtat virtutibus. E quibus omnibus, quæ ad nos pertinent, ſunt *hæc*. Prima *alopeciis* laudata eſt à Galeno *l. de rem. par. fac. c.* 2. Dein *ex vino decocta dolori aurium*, *infuſu*: *dentium* vero, *collutione remedio eſt. Additur & in medicaminibus oculorum*, *ſed præcipue viperina*, ſicut ait Dioſcorides *l.* 2. *c.* 17.

Alopeciis. Aurium dolori, dentium. Oculorum vitiis.

Hujus decoctæ ex aceto mirabilis eſt proprietas ad levandos dolores dentium Galenus 11. *ſimpl.* & Meſuæus *l.* 2. *ſum.* 8. *c.* 2.

Dentium moleſtiis.

Hac etiam *cum cera celerrime dentes evelli* tradidit Plinius *l.* 30. *c.* 3. Qui vir & *l.* 32. *c.* 4. ſcripſit *eadem cum felle teſtudinis & aceto purulentas aures adjuvari.*

Dentibus evellendis. Auribus purulentis.

Cochleæ muco prolapſam ſedem oblinit Hippocrates *l. de fiſt. n.* 4. atque *ex eodem & thure collemata componit* Galenus 11. *ſimpl. c. illo.*

Sedi prolapſæ.

Cochleæ terreſtris abraſus acu lentor palpebrarum oculis incommodos pilos, *quos attigerit*, *replicare* creditus eſt à Dioſcoride *l.* 2. *c.* 9.

Palpebrarum pilis replicandis.

Limacum caro vulnera cum nervi percuſſu & contuſu impoſita conglutinat. Galenus auctor *l.* 11. *ſimpl.*

Nervis percuſſis atque tonſis.

Araneorum tela à phlegmone tuetur ſummæ cutis ulcera. Galenus 11. *ſimpl. Plagis* vero *minoribus conglutinandis* paratiſſima eſt vulgata experientia.

Vulneribus ſummæ cutis.

*Uſnea capitis humani (*muſci genus eſt) *naribus indita harum hæmorrhagiam valenter ſiſtit.* Jo. Finchius *in Hermetico dogmatico libello.*

Narium hæmorrhagiæ.

CAPUT IX.

De partium animalium præparationibus & compoſitionibus in uſum medicum.

Jam vero *præparamenta* & *compoſitiones* multas ex *animantium partibus* & *ipſis* etiammet *integris* referamus. Primum autem *cineres* & *trituræ* veniant in ſermonem.

Hip-

Hippocampi cinis alopeciis utilis est. Galenus. Alopeciis.

Hirundinum pulli usti faucium morbis medentur. Sextus *de med. avium c.* 12. & Aëtius *l.* 2. *serm.* 4. *c.* 47. Faucium morbis.

Huic etiam *malo & cinis cancrorum idoneus est.* Crollius & Finchius. *Qui cinis & morsui canis rabidi subvenit*, auctore Quercetano. Morsui canis rabidi.

Coriorum vetustorum cinis ambustis, intertigini, & attritioni calceamentorum probatur. Galenus 11. *simpl.* Ambustis. Intertrigini.

Ostreorum testæ combustæ rebellibus & putrescentibus ulceribus, diuturnaque fluxione tentatis, & quæ compleri facile non possunt cavitatibus, nec non hypersarcosibus exterendis, laxitati mollitiæque gingivarum bonæ sunt Galenus 11. *simpl.* Ulceribus contumacibus, putrescentibus, rheumaticis, dyscp ulotis sinuosis. Hypersarcosi. Gingivis laxis.

Idem & *buccinæ purpuræque* ferme valent.

Caput cati omnino nigri in nova olla aduritur & incineratur: ex eoque ad lævorem & tenuissimum pollinem deducto nonnihil per tubulum pennæ mundæ in oculum quotidie ter insufflatur. Ad oculorum vitia, unguem, nebulam, albuginem & alia remedium præstantissimum est. Oculorum vitiis.

Alibi vero *cinerem ustorum ostreorum ad parotidas dissolvendas cerato* miscet remedio singulari. Parotidibus.

Ranarum ustarum cinis sanguinis profluviis occurrit: Dioscorides & Galenus 11. *simpl. Bufonem* alii præferunt. *Exsiccatus enim ac tritus* (inquit Finchius *in Hermetico-Dogmatico*) *& tenui rubro linteo involutus alisque superpositus, vel palma detentus usque dum incaluerit, ceu Gorgonis conspecto capite continuo rigescit sanguis. Inveteratos tendinum rigores solvunt.* Dioscorides *l.* 2. *c.* 25. Hæmorrhagiæ. Tendinum rigori.

Oleum vero *ex his* & *podagræ molestiis occurrit illitum*, auctore Joanne Langio: & *cancris remedio est* secundum Jacobum Vecherium *in Antidotario.* Podagræ. Cancro.

Sperma ranarum aut ex hoc aqua exstillata inflammatoriis omnibus tumoribus & hæmorrhagiæ mire subvenit. Josephus Quercetanus *in Pharmacopœa* & *Spagyricæ præparationis libro.* Inflammationi. Hæmorrhagiæ.

Vermium millepedum pulvis ad affectus oculorum valet. Quercetanus. Affectibus oculorum.

Vermium terrenorum cineres, aut stercoris murium vel cervi dentis, dentium exesorum cavernis immissi, illos absque ferro & machinis eradicant. Mizaldus *in Centuriis.* Dentibus eradicandis.

Vulneribus carnis glutinandis. *Lumbrici terrestres fricti tritique & inspersi carnium plaga conglutinant.* Auctor *l. de remed. fac. parab. c. 59. Præcisos nervos jungere* dixit Dioscorides *c. 61.*

Nervis jungendis.

Lepris & psoris. *Salamandræ cinis septicus, & lepris omnibus psoricisque bonus est* Galenus.

Labiorum fissuris. *Labia fissa* hoc modo curat Arnaldus Breviarii *lib. 1. c. 42. Apes complures in olla rudi seu pasta, seu luto magisterii conclusas, ustasque ad ignem & pulveratas cum melle despumato conficito in unguenti modum. Quo labra collinita sanabuntur.* Experimentum enim id docuit.

Morsibus serpentum. *Ex viperarum cano*, aut etiam *serpentum spoliis exsiccatis* & *præparatis* secundum artem *pulvis vulneribus serpentum & bestiarum virulentarum appositus* multum confert. Item, *ulceribus cancrosis & malignis curandis.*

Ulceribus cancrosis.

Alopeciis. *Cantharides ustæ tritæ & cum melle mistæ, alopeciis explendis impositæ* bonæ sunt. Galenus *l. de remed. fac. par. ad Solonem c. 3.* Quam rem & nos experti sumus non semel.

Clavis. Lepris. Psoris. Fistulis. *Ungues psorodes, clavos, lepras, psorasque exæquant.* Galenus *11. simpl. Has* quoque *viventes in aceto salso præparatas & sole exsiccatas inque pulverem detritas fistulis indit* Joannes Platearius *l. pract. F.*

Ceriis capitis. Nos vero & *ceriis capitis*, quas *tineas* vulgus vocat, *utilissimas has tritas* & *emplastro diachalcitis* vel alii cuique idoneo, tum *commistas*, tum desuper *inspersas* comperimus. Itemque *herpeticis* & *cacoëthis* & *dysepulotis ulceribus* valentissimum est eccatharticum.

Ulceribus malignis.

Porris. *Cantharides cum calce chirurgici scalpelli loco esse* prodidit Plinius. *Hæ* quoque *tritæ* & *impositæ recisos porros dissipant.* Quod nostrum est experimentum.

Urinæ incontinentiæ. *Urinæ incontinentiam (animas* nostri vocant) *in furno arefactæ tollunt ex vino potæ.* Gesnerus *in l. de piscib. f. 48.* Verum *tribus ante diebus, quam ad id remedii veniatur, lac, ut vesica inde lædenda muniatur, bibendum*, si Aretæum audimus, qui monitos ejus rei nos voluit *in primo diuturn. morb. therapeutico c. 4.*

Adversio. Aretæus.

Stranguriæ. *Ad stranguriam* vero *& vesicæ dolorem vesica apri cum lotio infuso suspensa, & passa, donec aquaticus humor effluat, & discocta manducetur. Sic qui patitur vitium, mire sanabitur.* Sextus *in l. de pec. medicina c. 7.* & Plinius *l. 15.* Sed *vesicam simpli-*

simpliciter assam esui dat per triduum Galenus *l. de remed. facil. parab c. 127.*

Butyri fuligo ulcera celeriter ad cicatricem perducit Dioscorides *l. 2. cap. 66.* Ulceribus brevi obducendis.

Caseus recens oculo applicatus acres maxime influxus in iisdem cohibet, auctore *Paulo l. 3. c. 22.* Acribus oculorum influxibus.

Caseum veterem ac jam putrem cum jure, in quo suilla perna præpinguis ferbuerit, subactum valentissimum ad dura corporis emollienda fecit Jacobus Hollerius *in l. de materia chirurgica c. 4.* & ante hunc Aëtius *l. 1. serm. 2. c. 102.* Qui utrique ab uno Galeno id didicerunt, historiam ejus experimenti describente *l. 10. simpl. c. illo.* Duritiis emolliendis.

Ad ulcera glutinanda recentem lævigatum caseum bonum facit Paulus *l. 4. c. 37. oxygalactinum* vero *ad ulcera* idem *ibidem.* Ulceribus glutinandis.

Contra arthritidem & quodvis ulcus depascens summe prodest humani brachii vel tibiæ os combustum: facto pulvere ex eo, quod album intus remansit, & parti affectæ imposito. Geber apud Vecherium. Arthritidi. Ulceri depascenti.

Compositiones.

H*æmorrhoidas dolentes millepedæ in oleo nucum expresso coctæ mire levant*, teste Josepho Quercetano. *Dolori* quoque *aurium conferunt.* Mesuæus *l. 2. sum. 6. c. 2.* Huic quoque & *asellos, oniscos* Græcè, *probe facere* scripsit Galenus 11. *simpl.* quem sequitur & Alexander Trallianus *l. 3. cap. 2.* addens & *lumbricos.* Cum his quoque est Jacobus Hollerius *l. de med. internis corporis malis eo cap.* Hæmorrhoidis dolentibus. Auribus dolentibus.

Ex lacerto viride expressum oleum replicandis capillis plurimi bonum faciunt, & Auctor *de remed. fac. parab. ad Solonem c. 12.* Capillis replicandis.

E limacibus, ranis, testudine, vespertilione, serpentibus aliis, olea atque unguenta multum levantia podagricos & arthriticos refert Guido *tr. 6. doct. 6. c. 1.* Podagræ. Arthritidi.

Nervi chordæve bovis arefacti ac triti, aut lini modo pexi, & ulceribus impositi, miro remedio sunt; auctore Leonardo Floravanto *in 4. Thesauri vitæ hum. c. 61.* Ulceribus.

Salsamenta piscium ulceribus detergendis usui esse, & antiqui Ulceribus sordidis.

Græci teſtati ſunt, & ex Arabibus Avicenna, & è junioribus Andreas Cæſalpinus *l. 6. art. med. cap.* 18. qui præter hæc & *verrucis, & pſoræ delendis utilia* fecit *eadem illita.*

Verrucis. Pſoræ.

Saliti ſiluri caro aculeos & infixa corpori ſpicula extrahit. Dioſcorides *l. 5. c.* 26.

Infixis extrahendis.

CAPUT X.

Ex colla piſcium medelæ.

Impetigini. Lepræ. Ambuſtis. Plagis.

R*eſoluta ex aceto impetigines lepraſque cutis delet. Colla* quoque *in piſcibus parata puſtulis ambuſtorum inhibendis optima eſt ex aqua calida diluta. Plagis* vero *ex oxymelite madefacta prodeſt.* Dioſcorides *l. 3. cap.* 85.

CAPUT XI.

Jura decoctorum animalium medicamentoſa.

Paralyſi.

J*us anguis decocti ad paralyſin abolendam* propoſuit Johannes Arculanus *in 9. Rhazæ c. 9.*

Artubus dolentibus.

Ex folliculorum ſericorum, excluſis incluſiſve vermibus ſeribus, decocto nonnihil levaminis accipiunt dolentes artuum partes. Quam rem uſus docto Neapoli.

Hactenus nos materiam ex *animantibus pro vitiis in Chirurgia medendis*, quantum licuit & ſatis fuit, deſcripſimus. Cæterum ex his longe plurima dabit Plinius *à libro* 28. *uſque ad* 33. Cujus auctoris, ut & Dioſcoridis, & Sexti Philoſophi, cuncta ferme metrice compilavit *in Animantium Proſopopœia* Joannes Urſinus, Doctor, Medicus & Poëta Laureatus. Alia nova pleraque protulit Serapion *in ſerm.* 3. qui eſt *animalium*, item Razes, *in libr. de ſexaginta animalibus*, & Avicenna *l. 2. tract. 2. per totum*, & Oſwaldus Crollius *in l. de Signaturis.*

Joh. Urſinus:

CAPUT XII.

De uſibus Ovi in medicina.

M*edia humidi ſiccique natura eſt ovo; cujus* cum ad quam plurima ſint *uſus*, de *his* etiam hoc loco non alienum eſt dici.

Ovum

Ovum quidem *in universum medicamentorum est materia*, Galeno auctore *in* 11. *simpl.* qui inquit: *Crudo ovo toto utimur admisto rosaceo ad palpebrarum, aurium, mammarumque phlegmonas; quæ scilicet aut ictis illis, aut alio quovis modo evenerint; aut extiterint in nervosis corporibus, puta cute cubito, & digitorum tendonibus, aut articulis; idque in pedibus pariter, & manibus.* Hæc Galenus. Sed Dioscorides *l.* 2. *c.* 44. & Plinius *l.* 29. *nat. hist. c.* 3. *tota ova igne & calore durata sedis vitiis prodesse* scripsêre. Quam rem quidem transferre potuerunt ex Hippocrate, qui *l. de fist. nu.* 3. *cocta ex odoro vino ova inflammatæ sedi* adhibuit. Sed Blasius Astarius *in cons.* 6. scripsit, *ovum sub incubante diu gallina putrefactum, si conteratur & utero prolapso ex linteis applicetur, hunc intro revocare.*

Ovum medicamentorum materia. Phlegmonis. Sedis vitiis. Utero prolapso.

Est autem *ovum* secundum *omnes sui partes utile, testam, membranam putaminis, aquatum, luteum.*

Et *testa* quidem *usta sisti sanguinem profluentem* testis est Plinius *in citato* 29. nec non Aëtius *l.* 2. *serm.* 2. *c.* 135. Taceo autem, quod medicamenti cujuspiam conservandi gratia & *hac* utitur Galenus *l*... *pharmac. local. c.* 2. *col. M.* Majus vero illud est, *quod ad tuendum in suffitu palatum atque internumos ex perfusa utrimque ovi testa ad fistulam suffitoriam inserta & ore accepta* excogitavit Hippocrates *l.* 2. *de morb. nu.* 26. & Aurelianus *l.* 3. *chron. pass. c.* 2. Maximum vero illud, *quod calculo, sive dirumpendo, sive pellendo mire serviunt putamina incubaticiorum sub gallina pariente ovorum.* Sed *promiscua ovi testa trita pannum oculi deteri* scripsit Isaac *l. pract. cap.* 53. *Cutem* quoque *ea extenuari* Avicenna *l.* 4. *fen.* 7. *tract.* 2. *cap.* 2. Præparat autem *eam* & Avicennam secutus Hercules Saxonia *l.* 1. *Panthei med. cap.* 19. *per decem dies in aceto acerrimo, ebulliens una hora, deinde contusam & in lævorem tenuem redactam cum æquali sacchari portione ad suffusionem, maculas & albugines oculorum* imponit.

Sanguini sistendo. Medicamento conservando. Tuendo in suffitu palato. Calculo. Oculorum vitiis.

Membrana putaminis detracta, sive cruda, sive cocta labiorum fissuris medetur. auctore Plinio *sub eodem loco*, & Avicenna *l.* 4. *fen.* 7. *tract.* 3. *c.* 17. Cum quibus est & Honus *de morb. curatione, cap.* 126. *Ulcusculis* vero *obducendis perbelle valet.* Experta autem à me *in digito patienti.* Coalescit enim prope-

Rhagadis labiorum. Ulcusculis obducendis.

pemodum cum carne corrugaturque cum ipsa. Quo tempore, si *doleat pars*, *oleum ceræ* licebit illinere, atque *acu*, *si sanies subsit*, *suppungere*, nil summota tunicula, & *exprimere*.

Intemperaturæ cuicunque.

Oculorum præsertim inflammationi.

Sedis & pudendorum ulceribus.

Hæmorrhagiæ membranarum cerebri percussarum.

Ulceribus rebellibus.

Ambustis.

Albumen ovi ex numero est *medicaminum minime mordicantium*, quale & *lac* est, *temperatura symmetro frigidius*: Quare nonnunquam *effectu frustratum ex ulla tali intemperie* se perhibet Galenus 11. *simpl.* Qui *ad oculos* non tantum *illud utendum* dixit, verum *ad alia etiam omnia vitia*, *quæ medicamenta requirunt suavissima minimeque mordacia*; *ut sunt universa sedis & pudendorum ulcera contumacia*. *Miscetur* quoque idoneè *medicamentis profluvium sanguinis ex cerebri membranis supprimentibus*, *quæ* nimirum *citra morsum illinuntur atque adstringunt*. Sed *ad ulcera rebellia miscetur his*, *quæ absque morsu possunt exsiccare: cujusmodi medicamen est pompholyx*, *& alia quædam metallicorum elota. Sed ad ambusta impositum protinus est utile*; *sive quis seorsum albumen duntaxat ipsum in lana molli excipiat*, *sive etiam cum vitello commiscens confundensque applicet. Etenim mediocriter refrigerat*, *& citra morsum exsiccat. Tale cum sit*, *& ad anacollemata vocata*, *quæ fronti videlicet imponuntur*, *eo utimur. Ex hoc & pilos palpebrarum agglutinamus*, *nimirum admisto quopiam idoneo*; *cujus generis est thus*, *potissimum si pingue fuerit ac non inveteratum & siccum.* Hactenus hæc *ibi*. Sed 2. *de comp. med. local. c.* 1. *ad aures dolentes eo* est usus; itemque Avicenna *l.* 3. *fen.* 4. *tr.* 1. *c.* 8. *qui l.* 4. *fen.* 7. *tr.* 3. *cap.* 117. *adversus adustiones solis hujus linimenta laudat.* Hæc Galenus. Quo prior Dioscorides *l.* 2. *c... spiramenta cutis occludere*, *ambustis se ipso præoccupatis pustulas inhibere*, *faciem à solis ustione tueri*, *fronti impositum cum thure fluxiones arcere avertereque atque alia quædam* facere scripsit.

Anacollematis & frontalibus.

Pilis palpebrarum agglutinandis.

Auribus dolentibus.

Solis adustionibus.

Ambustorum pustulis inhibendis.

Defluxionibus coërcendis.

Post hunc virum Plinius *l. citato ad ignes sacros*, (hoc etiam affirmat Sextus *l. de med. av. cap.* 9.) *ad procidentes puerorum sedes*, *ad pedum rimas*, *& ad hæmorrhoidum morsus*, *atque ad alia corporis vitia valere* prodidit. E Latinis etiam Octavius Horatianus *l.* 4. *ad Eusebium ex ovi albo pulverem factum vulneribus antiquis imponit usque ad sanationem.*

Igni sacro.

Sedi puerorum procidux.

Pedum rimis.

Hæmorrhoidum morsibus.

Vulneribus antiquis.

Sed Hippocrates *ad excidentes uteros eo* usus est *l.* 2. *de morb. mul. sect.* 3. *vers.* 337. & *ad dolentes uteros ibid. vers.* 431. *&* 439. *& ad faciem ornandam ibid.* v. 125. *&* 135.

Avi-

Avicenna vero commendavit *illud, cum vesicam incendiosus urget mictus l. 3. fen. 19. tr. 2. c. 4. Ad exasperatam œsophagi faciem internam quasi incrustandam & obducendam* Antonius Cermisonus *ovi aquatum tepide vorandum* proposuit; ut refert Michaël Savonarola *tract. 6. c. 13. rubr. 3.* Qui idem vir & *ovi glutinosum cum pagyri vulgaris rasura commistum hæmorrhagiæ narium tollendæ* imponit *tr. 6. c. 5. rubr. 3. A.* Utero prolapso. Uteris dolentibus. Faciei ornandæ. Incendiosæ urinæ. Oesophago læso. Hæmorrhagiæ narium.

Ad mordicationem sedandam olei sulphuris ulcusculis penis, aut aliarum partium syphiliis medendis adhibiti lenimen ex aquati ovi spuma imponi licere, docuit Euonymus *l. 2. Thesauri chymici cap. de oleo sulphuris. Si fontium calidorum aqua sulphurea, vel aluminosa in aurem subierit, ovi candidum ex muliebri lacte frequenter infusum* salutare tradit remedium Alexander Benedictus *l. 4. c. 12. Ad defendendam à solis æstivi torrore ac ventorum molestia faciem ac manus urbanorum hominum, qui rusticantur, aut peregrinantur, illitum ex ovi aquati cum gummi tragacanthi mistura* probat Avicenna & Razes, referente Nicolo *in serm. 7. tr. 6. sum. 2. c. 16.* Mordicationi nonnullarum rerum.

Sed *ovi luteo* usus est idem Hippocrates *ad duritiem emolliendam l. 2. de morb. mul. sect. 2. vers. 301. & 338.* & *l. de nat. mul. sect. 2. vers. 162.* ad *uteros* vero *inflammatos ibidem*, & *ad eosdem ulceratos ibid. vers. 357. ad intestinum rectum inflammatum cum dolore & frequentibus egerendi desideriis l. de fistul. vers. 71.* Duritiei emolliendæ. Uteri inflammationi & ulceri. Intestino recto inflammato.

Sed Dioscorides *ad dolores oculorum, & ad sedis inflammationes, & ad condylomata inassatum luteum* probe facere scripsit. Similiter Galenus *ovi assi luteum imponit oculis acri fluxione dolentibus 4. de compos. med. local. c. 8.* semel, atque inferius *ad hæmalopas*, id est, *ad cruentatos sugillatosque oculos.* Porro *paregoricum* & *stypticum illitum externe vitellum* dixit auctor *libri de simpl. medic.* qui legitur inter Galeni opera. *Cocta ovorum & in olla passa lutea vino temperat, ut collyrium componat, quo oculorum lentores tergantur*, Curtius Marinellus *l. 3. de mul. ornam. c. 6.* Doloribus oculorum. Condylomatis. Oculis sugillatis. Oculis mundandis.

At *ovi album coctum resectum, ita ut commodum sit, palpebris, quo pediculi necentur, calens* applicat Arnoldus Villanovanus *l. 2. Breviarii c. 19.* Palpebrarum pediculis.

Hæmorrhagiam ovorum cinis comprimit. Auctor Jac. Pons Hæmorrhagiæ.

medicus Lugdunensis *Isagog. tyron. med. p.* 150.

Hæmorrhoidibus dolentibus. Ani rhagadibus. Hæc illi de *ovis gallinaceis*. Cæterum *columbina igne durata pro fomento ad hæmorrhoidas dolentes & ad ani rhagadas* prætulit Celsus *l. 6. c.* 18.

Pilorum proventus prohibendo. *Ova formicarum, ne pili locis procreentur, prohibent.* Mesuæus *Grabadin l. 2. sum. 5. c.* 18.

Quoniam vero remediorum, quæ ex *coctis ovis* sunt, meminisse incepimus, alia quædam, quæ ex *ipsis* quomodolibet *præparatis* capiuntur, parcus non ero tradere.

Cutaneis quibusdam vitiis. Primum *liquor, qui ex recens parto dum coquitur exsudat*, non minime commendatur à fœminis rem expertis *ad vitia maculasque cutis extergendas*. Rondeletius vero *in officina pharmacopœorum c. de ol. myrrhæ pag.* 1223. si recte memini, *ex cocto ovi integri albumine, quod transversim resectum tritam ad levorem myrrham supra plumbum sub dio vel udo subterraneo loco diutule suo sinu foverit, liquorem accipit pro stacte*, id est, *liquida myrrha jam diu desiderata & usibus theriacæ componendæ deficiente* perquam vere laudatum. Verum alii *ad commendandam limpidandamque faciem aliqua levi nota fœdatam* probarunt.

Liquor instactæ locum succedens. Faciei emaculandæ.

Oleum ovorum. Doloribus sedandis. Cicatricibus æquandis. Sed cui non notum *oleum, quod ex ovorum vitellis, vel exprimitur*, vel *exstillatur?* quantumque virium & in *sedandis doloribus*, & in *coæquandis cicatricibus* habeat? illud non tacebo, quod. . . . . scripsit Amatus Lusitanus. . . . . .
. . . .

FINIS.

DE

DE
FOLIORUM VIRIDIUM
IN MEDENDIS ULCERIBUS USU.



oliorum ulceribus imponendorum usus veteribus non infrequens fuit. Quippe, si à primo Hippocrate rem repetamus, is varie *hæc* adhibuit. *Libro* enim *de ulcer. ad spongias prius impositas adjicere* consuevit. *Numero* quidem *ejus libri* 3. *ad profluentem sanguinem: num.* vero 6. *ad ulcus exsiccandum.* Sed *num.* 21. *herbam aro similem, bechion* credit Vidius, *cum vino* imponit. Judico equidem *vino intinctam.* Quemadmodum & *comm.* 4. *operis de artic. contra inflammationem pugnans tussilaginis & betæ folia semicocta* imposuit. Et *l. de humidorum usu nu.* 9. *betæ folia atque hederæ albæ & rubum, & rhoën coriariam & salviam* intinxit. Celsus vero *l.* 5. *cap.* 28. §. *de acrochordone, myrmecias medicamento exustas foliis contegit, ne ea, quæ circa sunt, exulcerentur: erysipelas* vero *betæ folio contegit,* &c. Varie quoque, sed multo locupletius administravit hæc Dioscorides *toto opere de materia medica.* Cujus *universam hanc herbarum ad peculiares externos morbos applicationem* minime præter instituti rationem facturi sumus, si quam brevissime repetamus, perinde ut per tabulas in hunc modum.

Sanguinis eruptioni.

Ulceri siccando.

Inflammationis arcendæ.

Ulceribus maleficis & dolosis utiliter inducuntur.

Tabula ex Dioscoride collecta.

Bryoniæ & Plantaginis folia.

Ulceribus diuturnis.

Personatæ folia.

Expurgandis iisdem androsæmon Alpinus adhibet *med. meth. l.* 9. *c.* 3.

Ulceribus depascentibus.

Sedum majus. Solanum hortense. Petasites. Isatis. *Ulceribus tibiarum folia ungulæ caballinæ* Guertæus *in app. ad centur.* Mizal. *p.* 217. *P.*

Artubus luxatis.

Filicula. Urtica utraque.

Ambustis.

Malvæ, Androsæmi, Helxines folia.

Infixis è vulneribus detrahendis.

Tragii folia.

Vulneribus inflammatis.

Stratiotis.

Vulneribus glutinandis.

Ulmi folia. Viticis. Brassicæ sylvestris. Achillea. Sideritis. Verbasci ex aceto. Stratiotis. Isatidis. Dracunculi.

Tumoribus.

Isatidis. Verbena supina.

Inflammationi.

Lonchitis. Lichenis. Papaveris. Sambuci. Verbena supina.

Gangrænis.

Galeopsis.

Erysipelæ.

Tussilaginis. Verbenacæ. Sempervivi. Stratiotis.

Herpeti.

Plantaginis. Rubi.

Strumis.

Plantago cum sale. Mandragora.

Panis.

Isatidis folia. Mandragoræ. Conyzæ.

He-

Hæmorrhoidibus.

Stratiotis. Millefolii. Quinquefolii. Iſatidis. Plantaginis. Stœbis.

Eryſipelati.

Folia arundinis. Avicenna *l.* 2. *tr.* 2. *c.* 67. Perſicariæ. *Tumoribus inflammatoriis & eryſipelæ folia lactucæ, intybi, plantaginis, ſolani, cotyledonis, lonchitis, violarum, nymphеæ, lenticulæ paluſtris, frondes ſalicis, alni, liguſtri, roſarum* imponit Felix Platerus *Tomo* 2. *pag.* 805.. Tumoribus inflammatoriis & eryſipelati.

Fraxini frondes inflammato capiti Joannes de Vigo *in Antidotario.* Capiti inflammato.

Ulceribus glutinandis folia ſalicis, braſſicæ, oleaginis, fruticis, quæ chamælæa dicitur, rumicis, vitis, betæ, lactucæ, iſatidis, &c. Paulus *l.* 4. *c.* 37. Item *folia virgæ aureæ,* Græcis *clymeni.* Auctor Arnoldus *in* 7. *Breviarii c.* 21. Ulceribus glutinandis.

Hæc illi. Nos vero incertum quo primo auctore *impoſito prius ad ulcus panniculo, linteo ſeu puro, ſeu cerato imbuto non aliter hæc adjicimus.* Nec mehercules injuria, vel ſine fructu: quemadmodum hoc ſermone poſterius exponemus. Itaque inuſitatam antiquis medendi rationem cum nos maxime uſitemus: non alienum à re noſtra judicavi, ſi tantiſper ea de re diſputetur, ut conſtet, *quæ retinenda medentibus ſit via.* Noſtrorum Medendi mos.

Antiqui igitur *medicamenti* modo ſemper impoſuêre *folia:* nos rarius quidem *medicamenti* modo, ſed etiam vero *adjuvandis medicamentis prius impoſitis* frequentiſſime. Quod medendi diſcrimen credo equidem profectum inde, quod per *ſimplicia* curandi potiſſimus uſus fuit antiquis: nos vero, qui noſter in abundantibus eſt defectus materiæque medicinalis abuſus, præterquam in *compoſitis* non delectamur. Ad *compoſita* igitur, ſive *cerata,* ſive *cataplaſmata,* ſive *unguenta,* ſive *linimenta,* quæ *linteolis* inducuntur, adjungere ſolemus *folia.* Adjungimus *hæc* quoque *ſiccis linteolis* non raro. Cujus utriuſque medendi ritus rationes illas facere licet. Medicamenti modo ſemper impoſita folia veteribus. Folio nos adjuvandis medicamentis utimur fere perpetuo. Cauſa diſcriminis.

Prima, quæ ſpectat ad partem priorem, tradi poteſt illa, *quod medicamentum conſervatur ita viridius.* Obſiſtit quippe ex- Compoſitis induci conſueta folia. 1 Cauſa

Inducendorum ad cerata vel pura lintea foliorum.

exterior in fronde humiditas, quo minus labefactetur ejusdem virtus ab agente contra calore partis. Nec dico tantum de *cataplasmatis* & hoc genus, quæ facile citoque particulæ viventis objectis objectu exarescunt: etiam de *pinguioribus* loquor, quæ non immutari contra a passo loco repugnante &, ut scholæ loquuntur, reagente queunt: *Metallica* propterea præstare certo creduntur ἐν τῇ ἐξιατρείᾳ externa medicamenta, quia diutius firma manentia contra repulsus naturales locorum corporis vim suam fructuosius exerunt.

2. *Altera* ratio est, *quod & secundum materiæ & formæ affectiones feliciores redduntur compositorum medicaminum functiones.* E materialibus equidem qualitatibus dico humiditatem, quæ laxando poros cutis, quasi penetrabiliores & liquidiores medicamentorum suppositorum facit particulas. Humiditas nimirum sæpe deducit in actum facultatem sopitam medicamentorum. Id quod cognoscere licet *in hydrargyro præcipitato* ac *sublimato*. Quæ cum pyrotica sint magna, tamen arida cuti imposita nihil operantur: humidis commista sunt energetica. Sed & *secundum formæ virtutes adjuvant folia medelas vegetabili insidenti spiritu*; fortasse etiam & *sale recondito* per primos chymiæ opifices detecto, qui dum *folia* contabescunt elicitur atque expromitur ad defungendum sua opera.

3. *Tertia* ratio, quæ spectat *ad peculiarem applicandorum foliorum, cum panniculis puris modum, est ex utrorumque congruitate oportuna.* Porro humidum ex se folium parum extraheret ac digereret, tum quod difflueret & minime adhæresceret, deinde etiam contereretur cito per alienum calorem. Verum, ut ab interjectu aridi fit attractio accidentaria, fit essentialis alteratio à vegetabili rei virtute. Itaque *siccitas panniculi adjuvatur ab humore folii, foliumque digerens extrahensve adjuvatur ab ariditate panniculi vel papyri.* Hac ratione *neutram* nos *solam ex istis rem* imponimus in *fonticulis ulceribus emissariis.* Verum tamen non negarim *sola folia* interdum feliciter imposita *ad levandos dolores acres.* Quemadmodum *ulceri cruris doloroso* Vincentii Beneventi hominis saginatissimi dum consultaretur quid remedii optimum esset, Petrus Castellus Medicus Romanus perillustris, tum Neapoli degens magno cum hominis levamento *folium lactucæ* adhibuit, *supinum* tamen.

Historia.

Petrus Castellus Medicus Romanus.

Pe-

Postrema ratio spectans ad *utrumque medendi modum est*, *quia* 4.
folium actuali frigore remittens intro calorem insitum partis, *qui perpetuo exspirat ab ulcere*; *substantiam ita hujus auget atque conservat*, ad eum sane modum, quo *emplastica adjuvare* Galenus est auctor. Succedit autem hoc magis, *cum folium pingui medicamento*, *vel cerato superponitur*.

Verumtamen advertas velim, id non facit, *ut cum sane-* Adversio 1.
scunt ulcera, *atque exsiccationem maximam ad cicatricis obductum postulant*, *folia sint adhibenda*, *nisi fortasse frondes minime humidæ*, quales inter omnes sunt *vitis vini*, vel *ulmi*, vel *salicis*, aut *populi*, *quercus*, &c. hujusmodi possunt adhiberi.

Aliud quoque adverteris ad *detersionem* atque ad *puris extra-* Adversio 2.
ctionem pertinens: quæ *acrioris* sunt *qualitatis folia*, *hæc maxime ad eam rem proficere*. Utiles quippe comprobavimus *frondes aurantiorum*, *cyclaminis*, atque *hederæ*. *Smilacis* etiam *folium* non improspere facit. Porro & cum externo compagis istorum robore, & internum conjungi par est; si credimus elegantissimo Poëtæ Tuscho, qui ait, si recte memini,

Sicome ò fiore, ò frondæ
Nostra di fuor sua natural virtute.

Ita sane videtur neque abs re, neque inutiliter usitari per nostros ad *ulcera*, & ad *externa quædam vitia corporis foliorum impositum*: quem veteres minime cognovisse, non autem neglexisse credendum est.

FINIS.

DE

DE RATIONE COMPONENDORUM MEDICAMENTORUM LIBRI CAPITA.

M. A. SEVERINI PRÆFATIO.

De Ratione Componendorum medicamentorum tractatus compendiarius.

MARCI AURELII SEVERINI PRÆFATIO.



Curationi quo magis propinquant opera & instrumenta per medicum quæsita, eo præstabiliora subinde dignioraque habentur. Porro nos ex universo genere pharmaceutico præcipua nonnulla capita tradidimus, quorum disciplina magnæ futura esset frugis curatori chirurgo. Verum *medicamentorum componendorum notitia tam longe superat omnia, quam postrema cognitu res est & usu.* Terminat, inquam, & hic consistit omnis medici industria sic, ut præter unam medicaminum afferendorum oportunitatem, quoad

quoad eſt medici, nil ſit reliquum. Et dixi equidem quoad eſt medici: nam ſanitatem ex his induci, ſicut cuique medenti eſt optatiſſimum; ita, quod omnes uno conſenſu recepêre, haud in ejuſdem eſt manu: ſed ſicut Imperator, orator, navis gubernator in recto rerum agendarum officio, non obtinendarum felicitate rem ſuam collocant & conſtituunt; ita & medicus. Jam igitur, quoniam poſtremus eſt hic & tam neceſſarius labor inſtituendis; hos equidem hortatos velim non vulgariter, ut pari qua decet cura doctrinam hanc excipiant: atque eo præſertim nomine, quod breviſſimo quam per nos fieri poterit ſermone rem peragemus.

CAPUT I.

De Medicamenti definitione ejuſdemque compoſitione.

Ante omnia quid *medicamentum* ſit, quidve *medicamenti compoſitio*, diffinire oportet.

Medicamentum eſt, quod corporis noſtri naturam alterare poteſt, vel immutare, prima, ſecunda, tertia, quarta qualitate, vel tota ſubſtantia.

Compoſitio medicamentorum eſt, multorum ſimplicium viribus quidem variorum, cum ratione à medico facta mixtio.

His rite perceptis diſſerenda eſt, *primo neceſſitas medicamenta componendi.*

Secundo, quæ ſint neceſſaria medicamenta interna vel externa componere volenti.

Tertio, in quibus conſiſtat ratio componendi.

Hæc ſatis in hanc rem videntur. Nam qua ratione medicus recte *compoſitis* uti poſſit, aliud eſt negotium.

CAPUT II.

De medicamentorum componendorum neceſſitate.

Quantum ad *neceſſitatem*, multas ob cauſas coacti ſunt medici *medicamentorum compoſitionem* invenire.

Prima eſt propter *compoſitos affectus*, *qui* nonnunquam etiam ſunt *contrarii*. *Contrarias* ergo *qualitates* & *formas in medica-*

dicamento requirunt. Quas cum *ſimplex medicamentum* habere non poſſit; reliquum eſt, ut ex *duorum mixtione* acquiratur. Talis eſt *Theriaca* & *Mithridatium*.

Secunda eſt *propter defectum alicujus qualitatis in ſimplicibus*, quæ vel *ſimplicem*, vel *compoſitum affectum* expugnatura erant. Ut ſi forte ſit *intemperies totius corporis*, vel *partis alicujus uno gradu calidior*; tunc *illa medicamentum* indicat *uno gradu frigidius*, ut valere poſſit contra *ipſam*. Sed ſi medicus tunc *duo* habeat *medicamenta*, quorum *unum* ſit *temperatum*. *Hoc ſufficiens* quidem non erit; quoniam *debilius* erit, quam ut *intemperiem calidam unius gradus* profligare poſſit. Habeat quoque & *alterum medicamentum ſecundo gradu frigidum*. Hoc neque *accommodum* erit, neque *oportunum*; quoniam validius eſt, quam par eſt pro *exigentia affectus uno gradu calidi*. Igitur, ſi *utrumque medicamentum æquali portione miſcuerit*, habebit tunc medicus in *primo gradu frigidum medicamentum*, quod oportunum fuerit curando malo. Cognoſcis ergo, quod præſtare non poterat *ſimplex medicamentum*, *compoſita duo* plane perficere.

Amplius curare velit medicus *ulcus cavum*, *quod* docente Galeno *lib. 2. meth. opus habet abſtergentibus & exſiccantibus*. Habeat *ceram*, & habeat *æruginem: neutrum ipſorum diviſim idoneum* erit. *Cera* enim *pro abſterſione ſordem induceret: ærugo* vero *pro repletione magis excavaret*. Quid ergo? *Miſceat utraque* medicus, videbitque, quod cum hæc ſecum pugnantia & affectui nocentia ſint, concorditer tamen ad effectum unius rei conſpirent, & parti non incommodent.

Refertur quoque *ad inſufficientiam medicamenti defectus conſiſtentiæ*, *defectus virium*, *defectus generationis*, *timor noxæ* ex aliqua *ejus* qualitate.

Privatio conſiſtentiæ; ut cum *affectus emplaſticam formam* requirit, *hanc* autem *ſimplicia medicamenta*, quæ per ſe forent accommodata, non habent.

Herbæ ſolæ emplaſtrum non faciunt: *mixtæ* cum *cera*, *pice*, *reſina*, *bitumine*, aliiſque lentis & glutinoſis, probe hoc faciunt.

Defectus virium; ut cum *rhabarbaro ſpicam* miſcemus vel *cinnamomum*, ut Annot. Joſephus Donzellus *in Antid. Neapolit.*

De-

Defectus penetrationis; ut cum *aqua rosacea in inflammationibus gutturis paucum acetum* miscemus. Sic *succo lactucæ pro epithemate hepatis*, & *succo sonchi pro epithemate cordis idem acetum* addimus.

Timor noxæ; ut cum *cassiæ fistulari*, quæ flatulenta est, *cinnamomum*, & *agarico*, quod nimio lentore nocet, *sal gemmeum* admiscemus.

Tertia causa *componendi medicamenta* est *universi corporis*, *vel partium* natura, ad quas deferri *medicamentum* volumus. Ut si medicus habeat *simplex medicamentum adversus viscerum obstructionem potens*; *miscet cum eo quæcunque juvant partem à proprietate & similitudine substantiæ*, ut validior facta virtus viscerum humiditates superfluitatesque morbificas, & ipsa pars concoquat, digerat, & à se propellat.

CAPUT III.

De iis, quæ medico ad medicamentorum rectam compositionem scitu sunt necessaria.

Perstringemus hic breviter *ea*, *quæ* medico sunt *necessaria*, ut recta cum ratione *medicamenta componere* sciat.

Primum igitur requisitum est, ut omnes corporis humani morbos & symptomata quasi in numerato habeat. *Secundum*, ut subjecti corporis naturam & temperamentum recte cognoscat. *Tertium*, ut omnium simplicium facultates exacte teneat.

Affectus quidem, sive *similares*, sive *dissimilares*. Ut si *calidus*, *frigidus*, *humidus*, *siccus*, *simplex* ex *simplici qualitate*, vel *compositus*. *Primo ordine*, *secundo*, *tertio*, vel *quarto*. *cum materia*, vel *sine materia*. & hæc *humoralis*, vel *vaporosa*. *multa*, vel *pauca*. *benigna*, vel *maligna*, *præsente* jam *causa*, vel *absente*. rursus *habituali*, vel *incipiente*. Præterea an *morbus* sit *in profundo*, vel *in summo corpore*, *in parte principe & nobili*, vel *ignobili*. *recens*, vel *vetus*. Et aliæ plus satis multæ considerationes faciendæ sunt, quas onerosum foret singulas annotare. Qua de re legendi sunt Galeni *libri omnes ad pathologiam*, *ætiologiam*, & *semeioticam* pertinentes. Sic quoqe quæ spectant ad *partium cognoscendarum naturam*, in *physiologia* abunde per Galenum descripta perdisces.

Jam vero *medicamentorum ſimplicium facultates* audies, tum ex eodem Galeno *in lib. de ſimplicium medicamentorum facultatibus*, tum à Dioſcoride *in tota ſua hiſtoria medicinali.* Ab his doceberis primas, ſecundas, tertias uſque ad quartas eorum facultates.

Primæ quidem *calefaciendi*, *refrigerandi*, *humectandi*, *ſiccandi.* Et *hæ* quidem *ſimplices*, vel *compoſitæ.*

Secundæ emolliendi, *indurandi*, *attrahendi*, *aperiendi*, &c.

Tertiæ maturandi, *concoquendi*, *digerendi*, &c.

Quartæ juvandi & *roborandi particularia membra*, ut *cerebrum*, *ventriculum*, *hepar*, &c. Et *hæ* omnes, vel *ſimplices* ſint, vel *compoſitæ.*

Deinde *quo gradu hæc* faciant, *primo*, *ſecundo*, *tertio*, vel *quarto:* & in horum ſingulis gradibus *in principióne*, *fine*, vel *medio.* Hæc & alia pleraque vide apud Galenum *lib.* 3. *de medic. compoſ. per loca*, apud Dioſcoridem, apud Matthiolum *in ſuo indice.* Porro ſatius eſt tibi in his fontibus abunde potare, quam in tenuiſſimis noſtris rivulis labra perluere.

CAPUT IV.

De ratione & methodo medicamenta componendi.

Exſequimur jam promiſſum tertium, quod eſt de *methodo componendi.*

Conſiſtit omnis recta ratio *componendi medicamenta* potiſſimum in *tribus. In electione* ſcilicet *ſimplicium miſcendorum*, *in eorum quantitate*, & *in forma compoſiti.* Exemplum *primi*, ut *ſolutivum* accipiamus, vel *compreſſivum.* Exemplum *ſecundi*, ut *ad libram*, vel *ad unciam*, vel *drachmam*, vel *ſcrupulum.* Exemplum *tertii*, ut *forma ſolida*, vel *potabili.*

Porro ſub *electione ſimplicium quatuor* cadunt circumſtantiæ. *Prima*, ut tale *medicamentum* eligatur, *quod morbum ejuſque cauſam & ſymptoma depellat.* Hoc *baſis* proprie dicitur. *Secunda*, ut *ea* commiſceantur, *ſine quibus medicamentum agere non valeret. Tertia*, ut etiam adhibeantur *ea*, *per quæ melius medicamenti fit actio.* Quarta, ut *non* dimittantur *quæcunque fovent conſervantque prædicta*

CAPUT

CAPUT V.

De Basi medicamentorum.

Dicitur *basis* id, à *quo primaria* & *præcipua medicamenti totius actio proficiscitur*, & *cujus causa cætera commiscentur*, videlicet *sine quibus*, *per quæ melius*, & *conservantia*. Sumta autem *basis* est appellatio similitudine quadam à *basi*, cui tota columnæ fabrica totaque domus innititur.

Præceptum ergo Galeni est *in lib. 5. de sanitate tuenda in fine*, *ut medicamentum, quod basis est, eligatur tale*, *quod contrarium sit morbo*; *nec tantum contrarium*, *sed æquipollens. Contrarium quidem*, *opponendo calidum frigido*, & *contra*; *humidum sicco*, & *contra*; *relaxans tenso*, & *contra*; *tensum laxo*, & *contra. Æquipollens* vero, *ut cotus fuerit excessus à temperamento in morbo, tantus sit accessus a moderato in medicamento contrario.* Dico quidem, ut tot gradibus sit calidum medicamentum, quot fuerit morbi excessus frigidus. Atque quod dixi de primis qualitatibus medicamenti, idem quoque & in secundis & tertiis observandum. Dico quidem, ut in valde laxo adhibeatur valde adstringens, & contra; in parum laxo adhibeatur parum adstringens, & contra; & sic de aliis. Omnino autem hanc tibi velim regulam proponas, ut nihil ultra vel citra modum facias medicamentum exhibendo: illud enim novum morbum facit, hoc reliquias in corpore ægrotante dimittit; ut colligitur *ex Galeno 9. Meth. sub finem.*

Notandum vero est, quod *basis* quandoque *una* & *simplex*, quandoque *plures* sunt & *diversæ*. Tot nimirum numero, quot sunt actiones à medicamento requisitæ. Accipimus ergo tunc multa simplicia pro *basibus*. Vel, si unum & idem medicamentum ea omnia possit præstare, illo sane contenti sumus, & aliud non exquirimus. *Plures bases* habent *Theriaca*, confectio *Mithridatis*, &omnia medicamenta *polychresta*, id est, quæ multis affectibus præter naturam utilia sunt.

Notandum porro est, quod *basibus* quandoque *pluribus* egemus, quandoque *una. Una* quidem, cum *una* est *indicatio*, v. g. repellendi tantum, ut in incipiente phlegmone. *Pluribus basibus* utimur, cum *plures* sunt *indicationes*; ut in phleg-

mones augmento utimur repellentibus & digerentibus. Verumtamen si quas virtutes inquirimus, *simplex unum* medicamentum habeat, ab eo non est recedendum. V. g. velimus bilem ab ore ventriculi evacuare, illudque corroborare; cum hæc utraque possit facere Rhabarbarum, illo sumus contenti.

Præterea notandum, quod quandoque *basis* medicamenti est *imbecilla:* tunc vel *duplicanda* est *dosis*, ut euphorbium vetus duplicatur in hemicrania veteri, 2. *de compos. medic.* vel alia sunt adjicienda, quæ *basim* adjuvent, ut agarico aliquantulum debili ad educendam pituitam turbit adjungitur, rhabarbaro spica vel cinnamomum. Accidit etiam, ut eadem *basis* sit plus justo *valida.* Et eo casu est *corrigenda aliorum mixtione*; ut Galenum legis *lib.* 1. *de compos. med. alopeciam curantem, euphorbio & thapsiæ oleum & pinguedines commiscere.* Vel est *corrigenda alia ratione*; nimirum *ustione*, *lotione*, aut aliis viis, quas docuit divinus Mesues.

CAPUT VI.

De iis, sine quibus basis non potest effectum præstare.

Poscit *compositionis artificiosæ* ratio, ut inventa jam *basi*, cujus primario interest morbum propulsare, apponenda sint quoque alia, *sine quibus basis per se sola non potest effectum integre præstare.* Hæc autem in eo *basim* juvant, ut *faciant vel a parte affecta basim attrahi*, vel *ipsam ad partem de se perducunt, diuque in ea retinent.*

Faciunt a parte attrahi illa, quæ similitudine substantiæ appetuntur & amantur à parte. Cephalica à capite, Cardiaca à corde, Nephritica à renibus, Arthritica ab articulis. Propterea *hæc* cum *basi* miscentur.

Perducunt ad partem ea, quæ acrimoniam & substantiæ tenuitatem habent. Acrimonia quidem *juvat*; ut acetum additum melli in obstructionibus viscerum, *oxymel* appellatum. *Substantiæ tenuitas* est quidem *duplex*; *naturalis*, & *artificiosa. Naturalis*; ut in cinnamomo & myrrha, quæ mensibus ciendis utilissima sunt propter tenuitatem partium in natura sibi inditam. *Artificiosa* vero, ut in rhabarbaro levissime trito ad movendum lotium. Quamquam & utraque tenuitas aliquando copulatur.

Diu

Diu retinent medicamenta ſine quibus craſſa & lenta; ut bolus Armenus, mel, ſuccus mororum in gargariſmis, cera, oleum, adeps in unguentis ulcerum.

CAPUT VII.

De iis, per quæ melius; & conſervantibus.

Sub hoc nomine, *per quæ melius* comprehendimus *quæcunque medicamenta baſis actionem reddunt meliorem*, perfectiorem, efficaciorem, ſalubriorem, tutiorem, celeriorem, ſi celeritas optanda eſt, tardiorem, ſi tarditas, valentiorem, imbecilliorem. Item, quæ coloris, odoris, ſaporis conſiſtentia gratiam ægro jucundam in medicamento faciunt. Hæc quoniam difficile non eſt intelligere ex præmiſſa doctrina, ſingula non explicamus.

Non explicamus quoque aliud caput, quod ſequeretur de *conſervantibus:* nam hæc certe pars ad pharmacopœos potius attinet.

Et ſi duo hæc capita, *per quæ melius* & *conſervantia*, & narrari tibi deſideras, perlege quæ diſerte tradidit doctiſſimus Quercetanus & peritiſſimus Caleſtanus *in ſuis de Pharmacopœa libris*.

CAPUT VIII.

De Quantitate ſive Doſi medicamentorum.

Q*uantitas* ſive *doſis in medicamentis certa* præſcribi non poteſt; *conjectura* tamen *artificioſa deligitur* pro laborantis natura, humoris qualitate, viribus vitalibus, habitu, ætate, ſexu, conſuetudine, ſenſus conditione acri vel obtuſa; aëris conſtitutione, anni tempóre, regione, ſitu loci, & cætera: affectus magnitudine, antiquitate, profunditate, difficultate, cacoëthia, pertinacia, multiplicitate, partem occupante talem, aut talem. Decet ergo medicum maxima ſolertia in his uti cum experientia conjuncta, ut *convenientem* deſcriptis particularibus *medicamenti quantitatem* adhibeat.

CAPUT IX.

De Forma compositi medicamenti.

Compositi medicamenti forma quoniam multiplex medendo est; multiplices quoque fines habeat necesse est, quorum ratione varietur. Atque hi sunt, vel quod *forma hæc*, quæ eligitur, ad id, quod volumus, assequendum *conducibilior* videtur; vel *ægro anti gratior*; vel *medicamento diu conservando* atque *utendo accommodatior*. Itaque istorum ergo suadebitur largior parciorve *medicamenti quantitas*. Ut si colluendum sit os lacte cum tritis foliis pruni: sunt utique multo lacti folia pauca miscenda. Si vero sit illinendum, è contrario pauco lacti multa pruni folia commiscenda.

Oculorum collyria, quæ adstringentibus præsertim metallicis præpollent, multo dissolvi liquore desiderant. Crocus, myrrha, castoreum, thus, lycium, ubi aliorum quantitatem superant, multo parciore gaudent liquore, crassiusque medicamentum faciunt. Si *linimentum* paratur parti cuicunque, ceræ pars sexta oleo miscenda; sicca quæpiam admisceas quoque: tunc enim minuenda est quantitas ceræ. Si *cerotum liquidius* velis, quartam impones ceræ: si *solidius*, tertiam. Si ad *emplastri* formam expetas, secunda ceræ pars sufficit.

Accidit autem aliquando ut *compositi forma mutetur* nulla cogente ratione, sed medici placito. Ut cum 4. *de sanit. tuen. diospoliticon*, *diatrion*, *pipereon*, *diacalaminthes*, *vel sicca*, *vel melli admista* adhibet Galenus. Sicut contra *mutatur* impellente ratione, quo efficacius reddatur medicamentum. Ut hiera picra absque melle ex aqua sumta, roborat magis ventriculum, humoresque vitiosos tunicis ejusdem impactos generosius extrahit. Melle autem despumato excepta ventrem non adeo roborat, magisque solvit & purgat: quamobrem minus affectui prædicto utilis apparet.

Si *fotus*, *inunctiones*, *cerata*, *emplastra* paras: crassiore sunt substantia componenda, quæ diutius hærere partibus velis. At vero *sinibus* liquidiora injicimus quatenus angustias loci omnes attingant. Liquidiora item *expectorandis*, tum à pulmone, tum à thorace *materiis* medicamenta deligimus. *Clysteresque*

Clysteresque

ſtereſque quos diluere tantum volumus, aquoſiores: quos vero diutius hærere alvo cupimus; ex adipibus, butyro, unguentis, mucilaginibus, cremoribus hordei, tritici, oryzæ, craſſis nimirum lentiſque materiis paramus. Nec diſſimili ratione pulveres, quos urinas, ſudores, menſeſque ciere volumus, tenuiſſimos illos leviſſimoſque facimus, damuſque ex liquore tenui puroque.

Inſuper *variatur medicamenti compoſiti forma*, pro affectus partiſque affectæ natura, figura hujus, & ſitu; proprietate ægri; & modo præparationis ſimplicium ad formam aptam neceſſario, & medicamenti componendi differentia.

De *affectu* ſit exemplum phlegmone externa; quæ durorum medicamentorum & emplaſtrorum appulſum non fert: neque item ulcus, ſive ſimplex, ſive cavum; ſed liquida omnino amat. Emmota item, & diſſoluta, ſive oleo, ſive alio liquore emplaſtra, vel linamentis imponenda, vel inſtillanda, vel in ſinum injicienda. Similiter fotus petit phlegmone linimenta, cataplaſmata, cerota mollia.

Hæ quidem formæ ſunt medicaminum compoſitorum fini propoſito utiles. Sed quæ aſſumenti gratiores quæruntur, paucis accipe. *Amara* & alia quacunque ratione nobis ingrata cum non ferat guſtatus, ea in *catapotia*, vel *formam* aliam redigimus, ut ne ſentiantur: item re aliqua *incruſtamus obtegimuſque* quo eludatur contactus.

Apta præterea *compoſito forma datur parti affectæ reſpondens*; ut peſſi uteri collo, balani recto inteſtino, clyſter craſſis inteſtinis magis quam tenuibus eluendis. Sic ſtomatica, arteriaca, & ſtomachica parantur media conſiſtentia nonnihil tenaci. Errhina, liquida aut pulverata. Apophlegmatiſmi in nodulo, vel aliter ſolida.

Catapotia item aut *boli* formantur, cum à *longinquo trahendæ materiæ*: *potiones* vero, cum *primæ alimenti viæ purgandæ*. Alia denique omnia tenuiſſima & liquidiſſima, cum uterum, renes, veſicam, articulos, cutim penetrare contendimus.

Inſpicienda autem in his *ægri conſuetudo*, vel *natura*, rogando quibus & quantis catharticis fuerit uſus, & quo in affectu, & quid ab iis boni, vel mali retulerit. Quippe varietatem iſtorum maximam experientia comperies: & quod uni

perplacet & conducit, alteri exoſum erit & noxium.

Ad prædictas omnes eſt *alia formæ compoſiti ratio*, *quæ utendi facultatem tantum præbet*. Ut ſi ex ruta utraque, ſilphio, baccis lauri, abrotano, aphronitro, cucurbita ſylveſtri, cardamomo, ſulphure vivo, & ſimilibus, quæ non glutinoſa ſunt, ſed ſicca, medicamentum conficere velim iſchiadi commodum; addo prædictis glutinoſa quædam, ut ſunt: pix, terebinthina, adeps, cera. Vel addo gummata quatuor, aut quæ emplaſtica ſunt. Tum hæc, tum illa compoſiti forma, ut uti ad finem propoſitum medicamento poſſimus, facit.

Quot igitur, & quæ medicaminum compoſitorum ſint formæ, quæve ipſorum componendorum ratio ſit; jam ex his ſatis conſtat.

20. Octob. 1616.

FINIS.



DE

DE PROPRIIS CHIRURGORUM MEDICAMENTIS LIBRI CAPITA.

De Propriis Chirurgorum Medicamentis, quibus uti nostro tempore privatim consuevêre,

Tractatus alter compendiarius.

CAPUT I.

De propriis Chirurgorum medicamentis in genere.

Hactenus *de ratione componendorum medicamentorum, quæ communis est utrisque rei medicæ professoribus*, diximus: nunc de *his, quæ* peculiariter *chirurgi* tractant, agemus; hoc est, de *unguentis*, *ceratis*, *malagmatis*, *cataplasmatis*, *emplastris*, & si quæ sunt alia. Quibus in omnibus, sive nominandis, sive utendis non est facile concordare veterum juniorumque diversitatem. Cum autem non mediocriter Latini discrepent à Græcis; ab his maxime Arabistarum schola, & qui cum his profitentur, dissentiunt. Verumtamen operæ pretium est cum veteribus sentire, recentiorum usu non neglecto. Celsus igitur ita de his prodidit. . . . .
. . . .

CAPUT II.

De Unguenti, Cerati, Linimenti, discrimine & materia.

His ex Celso expositis non inutile quoque est, hæc genera medicamentorum secundum recentiorum usum atque sententiam enarrari.

Primum autem de *Unguentis*: quæ antiquis erant *olea* (id est omne genus oleorum, quibus & odoramenta & alia simplicia medicamenta admista erant) *odoratis aliquot rebus condita, & diu ad solem vel ignem exposita*; peculiariter ad *exercitationes*, & ad *vitæ defensiones*, & ad *delitias*. Quod si oleum, resinam, aut ceram (hujus ad oleum ratio erat quadrupla) recepissent; *myrocopa* dicebantur. De quibus Paulus *l.* 7. Oribasius *lib.* 57. *synops.* Athenæus *l.* 24. & 15. & Plinius *l.* 13. *c.* 1. *De odoratorum unguentorum* multis generibus late explicavit Dioscorides *in l.* 1. *à cap.* 20. deinceps.

Nos vero vocamus *unguenta* ea, quæ componuntur ex *oleis*, *adipibus*, & *cera*. Quod genus compositionis veteres appellabant *cerata*, sive *cerota*, deducto à *cera* nomine, quæ oleis admista & liquabilibus materiis faceret, ut hæc illita non diffluerent. Sed *cerata* veterum sunt apud nostros *unguenta illa*, quæ *crassiusculam* & *minus mollem* adsciscunt *consistentiam*: mediæ inter *emplastrum* atque *unguentum* substantiæ. Quamquam non una semper ejusdem est forma: sed nunc quidem *humidior*, nunc *siccior* est *hyparxis*. *Sicciora*, ut videtur, ex Galeni doctrina *l.* 7. *de comp. med. per gen. cap.* 18. sunt à Græcis scriptoribus vocata *emplastra* & *malagmata*. Nostra vero tempestate præter *adipes*, *oleum*, & *ceram* recipiunt, & *resinas*; nimirum ut diutius tenaciusque adhærescant partibus: quæ Galeni fuit sentent. 1. *med. gen. c.* 12. Recipit etiam, ut dicam plenius, *omnes materias*. Nam & *plantarum* partes ad unam *omnes*, etiamnum *cortices*, & *ligna*, *ossa*, *cineres*, *metallica*, *vinum*, *acetum*, *mel*, *ovi partes omnes*, *mucilagines*, & alia multa, ad varios medentium usus admittunt. Sed *humidi cerati* Galenus meminit

in

in 10. *meth.* 9. *sub cerato rosaceo*; quod triplum aut quadruplum *oleum* recipit ad *ceram*.

Porro *ceratum humidum* idem est prope, quod nostrum appellatum *unguentum*. Sed *linimenta mollissima* sunt *unguenta*, quæ *modicam ceram* recipiunt, *oleo plurimo* constantia, ad hæc *butyro*, *resinis liquidis*, &c.

Componuntur *unguenta* ex *simplicibus* à *morbi natura* expetitis; quæ sunt pro *efficienti*: deinde ex *oleo* & *cera*; quæ sunt pro *materia*. Interdum admiscentur *adipes*, *butyrum*, *medullæ*, & si quæ sunt alia id genus. Ad hæc & *gummi*, & *plantarum succi*. Alia, quæ teruntur seorsim: & postremo immiscentur subtractis ab igne materiis. Horum ratio ʒj. ad *olei* ℥j. & *ceræ* ʒj. ß. ut proposuit Heurnius.

Verum enimvero *ceræ non* est *certus modus*: nisi, quod ad *justam consistentiam unguenti* liquatur. Verumtamen, quod est in usu pharmacopœis, adjiciam. Singulis unciis oleorum, aut alius cujusque liquaminis, puta butyri, adipis, sevi, laridi, resinæ stactis, styracis, bituminis, ladani, ℥j. aut ℥j. ß. pulveris, & ʒij. ceræ componuntur. Omnibus autem modis pro medentis arbitrio *ceræ* commiscendus est modus. Sed hoc in mediis temporum naturis intelligitur. Nam si fervor urget æstivus, *ceræ* plus est adjiciendum, quo minus scilicet à corpore diffluant applicita liquamenta. Sin vero cogit omnia rigor hybernus, plus *olei* est remiscendum. Universim autem cum *emplastri* modo parare *cerata* velis, *par ceræ* atque *olei modus* esto.

Altera etiam circa *ceram* animadversio est. Quippe *hæc* cum multiplex sit; videlicet *rudis* & quæ *propolis* dicitur, *citrina*, *candida*: *rudis* ad molliendum quidem maxime probata est: *citrina* ad concoquendum, doloremque mulcendum: *candida* resiccandis refrigerandisque affectibus magis idonea est; quippe quæ *aceti* viribus & interventu fuit indurata.

Tertium, de *cera* præceptum fuerit, ut hujus imminuenda portio sit, ubi *sevum* recipit compositio: nimirum medicamenti hujus crassities densationem facit; quæ *ceræ* copiosæ accessu nimium excresceret.

Quarta observatio. Nonnunquam carere volumus *cera unguentum*, ut refrigerandi atque exsiccandi facultate valentius

illud fit; & *oleo*, cui *cera* servit, ademto. Sine *cera* quidem est *unguentum*, quod è *lithargyrio* dicimus, quod in nosocomio nostro Incurabilium paratum hæc recipit: lithargyrium, glebam Appulam seu bolum Armenum. Porro *lithargyrio glutinositas abunde est*, ita, ut Fallopius *unguentorum & medicamentorum multorum materiam* dixerit *in 5. Dioscoridis cap. de lithargyrio*. Sina *cera* etiam, sed non sine *oleo* compositum est *unguentum album crudum ex cerussa* Bernardi Dessenii, ac descriptum ab hoc viro *in 9. de comp. med. pag. 265.* quod ℞. ol. ros. ℔. j. cerussæ lotæ ℥x. cerussæ albæ ℥vj. camphoræ ʒij. misc. & alterum è *cerussa* coctum, quod ℞. ol. communis ℔. iiij. cerussæ subtilissime tritæ ℔. ij. lento igne indesinenter movendo coquantur ad spissitudinem.

Unguentum è litbargyrio,

Jam vero quoniam de *unguentis olei expertibus* meminimus, illud huc adverterem. Quæ maxime *detersoria* sunt, hæc desideres eo minime *res unctuosas* recipere debere. Vel ex *adipibus* deliges *sicciores*. Pro *oleo* vero *olivarum oleum lini* vel *lentisci* consuevimus nos usurpare; illud memoria habentes, quod scripsit Mauritius Cordæus *in secundum Hippocratis de morbis mulierum: nil pingue linimentis inesse debere*. Verum enimvero si quid multo præstantius agere amamus, meditatus aliquando sum, *mel*, potissimum *Hispanicum*, quod viscosius subactiusque est, citra *oleum* & *pinguia* posse *ceratis* & *unguentis* vulgo dictis commodam formam dare. Pæterquam quod *expurgatorium* & perbelle *detersorium* est *mel*, & quodcunque medicamentum id recipit. Cujus rei experimentum cum cœpissem in ulcerosis nosocomii Incurabilium, præparante mihi medicamenta Jacobo Martorello Pharmacopœo consummatissimo; præclare de curatis omnibus meriti sumus.

Ad hæc quoniam & *metallica* diximus, esse frequentia in *unguentis*, illis scilicet, quæ ad strenue exsiccandum parantur; illorum quantitas non est temere imponenda, sed pro ipsorum acri aut moderatiori vi. Aëris flos & Mercur. miscetur ad ʒij. sulphur. ad ʒj. chalcitis ad ʒj. sublimatum ad gr. XVI. arrhenicum ad gr. I. videlicet ad ℥ quarumcunque materiarum *unguenti*.

CAPUT

CAPUT III.

De Emplastris.

Excogitata sunt *emplastra*, ut consolidationi, agglutinationi, concoctioni, mollitioni, suppurationi, discussioni, & id genus operibus naturæ procurandis, appliciti remedii vis diutius inhæreſcat loco, nec evaneſcat. Alium *emplastri* finem *l. 5. de comp. med. per l. c. 7.* propoſuit Galenus & Aëtius l. 8. *c.* 16. ſingularem ad eos, qui pharmacorum illitorum compoſitiones recuſant. Siquidem *emplastra* neque ſudoribus obortis diffluunt, neque reſiccata cutem circumtendunt.

Latam primum nactum eſt ſignificationem *universi remedii, quod linteo receptum imponatur corpori.* Atque ita prolatum illud Petrarchæ:

Al' italice dogliefiero empiastro.

Sed propria ſignificatione *emplastra* ſunt medicamenta, quæ *extrinſecus imponenda partibus glutinoſiore vel crusta conflata ſunt materia.* Dicta ἀπὸ τȣ̃ ἐμπλάττειν, quod verbum duplicem conſuevit habere ſignificatum. Videlicet vel quod *emplasticam vim* retineat, id eſt, *infarctoriam* & *caloris nativi intro conſervatoriam* & *auctoriam*; quemadmodum explicavit Galenus *in l. 2. de comp. med. per g.* Hoc pacto confunduntur *emplastrorum* & *cataplaſmatum malagmatumque* nomina: neque enim hæc ſunt aliquando, quæ medicamenta non recipiant ejus facultatis expertia. Vel dicta eadem accipimus ab *apparandi modo*, id eſt, à *fictione* ſeu *formatione*. Quam ſignificationem etiam *malagmata* recipiunt. Quæ promptior & minus eſt ſubtilis quam prior.

Diſtinguuntur & diſcernuntur *emplastra* & *cataplaſmata* à Fuchſio atque aliis; quod *emplastra* ſunt ex *farina*, *herbis decoctis*, *adipibus*, *oleo*: *cataplaſmata* vero ex *radicibus* vel ut alii dicunt, è *plantarum partibus viridibus ad mollitudinem in aqua decoctis ſine liquore pingui & contuſis.* Quod diſcrimen dicit Mercurialis temere confictum & nuſquam à bonis auctoribus approbatum. Nihilominus hac noſtra ætate recepta vi-

videtur hæc differentia, quod *emplaſtra viſcoſa* & è *gummis reſiniſque compoſita* habentur; ita ut manibus in linteo diſtendi queant: *cataplaſmata* vero minime ex *gummis* & id genus parabilia ſint. *Emplaſtrorum* porro propria forma eſt, ubi materiæ compoſitionis ita in maſſas (*magdaliæ* ſive *magdaleones* à Galeno dicuntur) ſunt coactæ, ut commode per ſe imponantur, aut in *malagmatis* figuram diluantur liquoribus additis reſolutæ.

Emplaſtrorum differentiæ plurimæ ſunt. Alia ſunt *vulneraria*, quæ & *enæma*; alia *colletica*, *catagmatica*, *detergentia*, *epulotica*, *diſcutientia*, *mollientia*, *ſiccantia*, *attrahentia*, *concoquentia*, *ſuppurantia*, *lenientia*. Quorum exempla ſunt apud Paulum *lib.* 7. *ſui operis c.* 17.

Parantur *emplaſtra* ex rebus naturæ omnibus: quod & in *unguentis* enarravimus. Deſcribuntur autem accurate ab eodem Paulo *loco proxime citato*.

Diſtribuuntur herbæ & flores per *manipulos*: radices per *uncias* & *unciæ partes*; itemque pulveres & farinæ.

Componendorum *emplaſtrorum* hic eſt ritus hodie, ut ſingulis M. oleorum aut liquamentorum ℥j. aut ℥iß. reſpondeat. *Emplaſtra* ſi parantur ex herbis viridibus aut radicibus; hæc eo uſque fervere debent, dum ad ſpiſſitudinem veniant. Exinde adduntur olea atque liquores. Si *mel emplaſtrum* recipit, pro hujus ℔. unciæ quaternæ admiſcentur.

Glutinoſorum parandorum hic ordo eſt, ut initio pix, mox cera in fruſta conciſa, tertio gummi vino diſſoluta & colata ſint. Quibus ab igne ſummotis & frigeſcentibus terebinthina & poſtremo pulveres exacte levigati paulatim imponuntur, dum ſpata per alteram manum agitantur omnia continenter. Coquuntur autem omnia tantiſper, dum contrectata manus non coinquinent. Tum in marmore *magdalias* manus oleo perunctæ conficient. Quanquam hæc & ejuſmodi alia pharmacopœorum ſunt.

Hactenus de *emplaſtris* & de his remediis chirurgo uſitatis dictum eſt. His plura ſi quis volet, Galenum legito *in lib. de comp. med. ſec. loc.* & *ſec. gen.* præſertim 1. *medicam. ſec. gen. c.* 4. at cumulatiſſime apud Aëtium *l.* 4. *ſerm.* 2. *cap.* 25.

CAPUT

CAPUT IV.

De Cataplasmatis.

Cataplasmata præterea, quæ diximus, & hoc habent peculiare. *Metallica* non recipiunt: *animalium* & *vegetantium* materia contenta. Usus eorum non infrequens hoc nostro tempore ad fervorem inflammationum temperandum, ad dolorem leniendum, ad dura emollienda, ad abscessus suppurandos, ad escharam resolvendam, ad discutiendum, atque exsiccandum, & ad calorem emorientium partium refovendum. Quas intentiones & miscere consuevimus medicamenta miscentes, ut repellentia cum adstringentibus, mollientia cum discutientibus. Maxime autem illis utuntur nostri ad incipientes gangrænas & scarificatus, quos medici faciunt in his ad alienum humorem discutiendum coërcendamque putredinem. Sed componunt ex *farinis* lupinorum, ervi, fabarum, lentium, *elixatis in lixivio & aqua maris*, additis ad finem *oxymelle* cum *sapa*. Quibus sunt & qui vehementer adstringentia atque siccantia velint imponenda: qualia sunt malicorium, balaustia, myrtus, & hoc genus.

Exemplum in curanda gangræna dedimus. Est & aliud valde usitatum ad incipientes dolentesque phlegmonas, quod recipit medullam interiorem sive micam panis albi lacte caprino imbutam & incoctam, vitellos ovi N. ij. Sunt qui addunt unguenti ros. & succi plantaginis an. ℥j. Imponitur linteo, & superposito viridi folio, bis in diem medicamen novatur.

Præter hæc autem usuum *cataplasmata* quam plurima descripsit Oribasius *l. 9. collect. à cap.* 24. deinceps; quæ tu vise. *Lib. 5. c.* 32. cataplasmatum ulcera sordida expurgantium, morsus ulceribus excitatos mitigantium private meminit.

CAPUT V.

De Polychrestis.

Polychresta medicamenta dicimus ad *multos usus valentia*. Horum componendorum insignis est chirurgo necessitas, ei scilicet qui præstantem in arte virum profiteatur; sive peregrinaturus sit; sive per tractus multos maris navigaturus: sive etiam militiæ, sive ruri, sive in urbe populo medicaturus. Omnibus enim modis circumferre propria plurimorum affectuum remedia non poteſt. Eam ob causam veteribus, ut Fernelius est testis *in præfatione lib.* v. non paucus erat istorum apparatus: & nemo Græcorum est scribentium, qui *plurivalentium* medicamentorum non meminerit. Antiquissimis vero heroibus & primis chirurgiæ magistris neque incompertus fuit iste usus. Nempe poëtæ cuncti hujus rei fidem faciunt: apud quos *panaces* ac *panaceæ*, item radicum herbarumque multiplicis ad medendum usus frequens mentio fit. De *polychrestis* nonnulla prodidit literis Galenus *in* 5. *de comp. med. per gen. cap.* 1. potissimum: cujus hæc est fere doctrina. . . . .

His aliquot præpositis regulis & usu *simplicium componendorum* communi adhibito, non est difficile cuiquam professori sedulo, *polychresta* componere. Sed præstat tamen usu & auctoritate veterum approbatis medicamentis contentos nos uti; potius quam excogitandi, experiendi, periclitandique novum laborem assumere.

Hæc de *solidioribus* medicamentis nos brevi. Cæterum de *fluidis* si lubet, supple ex Andrea Baccio *lib.* 7. *de Balneis F.*

Finis Adjutore Deo 1626. xx. Junij M.

CHIRUR-

CHIRURGICO-CHYMICA, SEU DE MATERIA AD EFFECTUS EXTERIORES MEDENDOS CHYMICA;

TUM SECUNDUM FACULTATUM ET AFFECTUUM GENERA, TUM SECUNDUM LOCOS AFFECTOS, DISPOSITA ET ORDINATA.

A
MARCO AURELIO SEVERINO
THARSIENSE,
In Neapolitano Auditorio Professore Chirurgico & Anatomico.

CHIRURGICO-CHYMICES

PARS PRIMA.

PRÆFATIO.

E*fficaci chirurgiæ per medicamenta opem ferenti* jam à nobis aliqua parte traditæ vel adumbratæ potius & indicatæ nil consentaneum est magis quam *chymicus apparatus*. Hæc enim universa ratio pro confesso est dogmatica ratione valentior. Quod neque ex adversa factione homines facile negarint. Siquidem constat spiritum i. e. tenuiorem medicamenti partem ac vim exquisitam, vel quæ ex hoc genere sunt, non crassamentum ac materiatam compagem esse; cujus virtute aut juvetur calor insitus partis ad procurandum, aut eidem offensamenta tollantur. Atqui non est aliud *chymica præparatio*, *quam è fæculentæ ignavæ atque inutilis corporeæ molis sive terreæ sive aqueæ involu-*

tabris atque omentis per ignis intervenientis examen puræ vividæ atque utilissimæ portionis secretio ac veluti spoliatio. Si *sales* autem, *extracta*, *quintas essentias*, atque hoc genus memores; aptissime rem perspicis. Fit igitur ex his, ut tanto potestate ac viribus præstent *Dogmaticis Hermetica*, quanto quidem creta impuris, forma materiæ, anima corpori, lux opaco, cœlum & ignis aquæ ac terræ.

Jac. Sylvius. *Aquæ & olea chymistarum*, inquit Sylvius, *industria singulari secreta maximarum sunt virium, & essentiæ tam tenuis, ut olei cujusdam guttula fortuito illapsa in lectum, stragula ejus multiplicia & culcitras momento penetrarit, asseresque & fundum lecti ac sternentes perusserit.* Taceo, nam longus excursus, quot & quanta ex hoc argumento protulerit Joan. Beguinus *in Tyrocinio Chymico.* Compendiosius vero & in rem nostram accommodatius sententiam hanc exsequutus est Baptista Codronchius *in l. de sale absynthii*; quorum aliqua pro conformandis inexpertorum animis utile fuerit huc afferre.

Jo. Beguinus.

Bap. Codronchius.

Ex Ægyptiis, inquit, *solertissime Arabes chymicam quasi furtim surripientes omnium primi præcepta atque instrumenta artis publicis monumentis tradiderunt. Quam alii postmodum ita auxerunt ac perfecerunt, ut si reviviscerent veteres*, (Hippocratem & Galenum intellige,) *nobis rumpere videantur invisuri.* Et deinde *multo post inferius* idem. Destillatorum, inquit, industria singulari quædam olea conficiuntur, quæ maximas possident vires & essentiam adeo tenuem, ut celerrime suas exerant actiones, & corpora etiam valde densa magna cum admiratione penetrent. Præterea ars hæc plantarum vires ac facultates investigare & melius quam veteres gustu cognoscere facit: & non solum res puriores meliores ac validiores reddit; verum etiam in minimam molem redigit, ad usum magis accommodat, & palato jucundas facit ita, ut tanto variorum simplicium acervo in remediorum compositionibus non sit opus. Ut manifestum est in salibus mirabili arte confectis: qui ex qualibet planta eliciti, ac in paucissima quantitate assumti, efficacius ac citius suorum simplicium actiones exerunt, quam faciant illorum decocta ac diluta in multa quantitate & cum assumentium molestia ingenti assumta.

Hæc Codronchius. In hanc quoque sententiam ivit Joannes

annes Heurnius *l.* 1. *methodi practicæ c. de eccrisi chymica*, cum inquit: ut veritati soli, cujus castra non Paracelsi vel Galeni sequimur, patrocinemur; fatendum certe est medicinam vix aut ne vix dum Gratiis sacrificaturam sine elegantissima hac destillandi arte. Quam non modo utilissimam existimo, quin potius necessariam, ut sine qua ne vita quidem satis commode duci posset: cespitat enim profecto sine hac arte medicina. Jo. Heurnius.

Audi autem & quæ Josephus Quercetanus *l. de dogm. medic. præp. cap.* 6. *circa finem* enunciavit. Sane, inquit, si vel Hippocrates vel ipse etiam Galenus nunc reviviscant, summo utique gaudio perfundantur, si videant artem tanta & tam nobili accessione ditatam. Manus porrigant & herbam vel ultro pro omnibus his, quibus ars hodie ampliata, illis vero prisco illo ævo incognita atque inexperta fuerunt. Jos. Quercetan.

Hæc neoterici nostri. Sed ante hos omnes Joannes, vir & medendi experientia & scribendi fide probatissimus, brevissime juxta & cumulatissime præfatus est *Grabadin. l.* 1. *dist.* 22. *principio. Chymistas*, inquit, *præceptores tibi adhibe, & cum illis versare.* Et rursus *ead. dist.* §. *de oleis ex resolutione venientibus: Sapientes tibi omnino legendi atque imitandi sunt, si famæ illorum maxime es cupidus.* Intelligit autem *Chymistas*, Manardo & Sylvio expositoribus. Jo. Mesuæus.

Quæ cum ejusmodi cognoscantur, mirum etiam atque etiam est, quod hactenus nemo ad recte efficaciterque medendum ea vitia, quæ ad *chirurgiam* attinent, præcepta de his aut ullam rationem minime tradiderit. Verum enim inter exteros, id est, Gallos, Belgas, Germanos, ac transmarinos hujusmodi alios, audimus plurimum eam medendi rationem proficere. Ex Italis vero nostris, & Tuscos, & Venetos, Cispadanos & Transpadanos quosdam, Romanos vero inter omnes, ut qui maxime peregrinorum commerciis patent, nonnihil *chymica materia* delectari. Sola Neapolis, quod dolui sæpe equidem ac luxi, hoc non se sivit contagio, id est, exemplo prehendi.

Causam autem illam credo potissimam inter alias, quod cum invisa sit hæc via physiatris, arbitrantur fortasse chiri-

atri communem hanc esse cautelam debere. Verum non vident exoculati professores, aliam & longe diversam internorum esse quam externorum per strenua curandorum rationem. Quod qui non cognoscit, profecto fatuus est. Sed ita evenit his, aut qui non curant, aut qui negligunt, aut qui usitatis & diu tritis confidunt. *Medicina jam dudum, & quod ad methodos per Galenistas industrios, & quod ad medicamentorum modos maxime per Hermeticos proficit.*

Has ob causas cum cognoscerem, & inclytam hanc & pernecessariam medendi præceptionem deesse nostris; eadem his meis de *efficaci medicina* libris adjeci. Difficile quidem id negotium; præsertim quando nemo ante nos hanc rem tractavit. Verumtamen nobis, qui primi rem tentamus, pro complemento illam & pro typo proponentes, non principale atque absolutum argumentum assumentes; satis erit si capita quædam attingamus, vel jam admonentes, in singulis generibus vitiorum præsidia & adjumenta quædam esse, quibus uti licet. Jam vero dicere exordiemur primum.

De ordine, quo nobis utendum sit in hoc negotio.

Sunt certa *medicamentorum* genera, quæ frequenter usitanda chirurgo veniant; eaque numero pauca, neque plura, quam *aquæ*, *olea*, *cineres*, *sales*, & quæ ad *hæc* referuntur. Redigi licet autem *hæc* ad *duo genera*, i. e. ad *humida* ac *solida*. Et *humida* rursus ad *humores* & *olea*.

His igitur sic habentibus *duplex* est *ordo tractandi materiam chirurgicam chymicam:* vel ut hæc proposita quæramus quibus vitiis subveniant; vel ut vitiorum generibus propositis inveniamus, quæ ex *chymicis* succurrant.

Porro non licet facile *chymica medicamenta* disponere per *virtutes*, quas nuper in *simplicibus medicamentis* explicuimus. *Illa* enim *simpliciora* sunt. Atque *altiora* sunt *Hermetica*, quam ut *Dogmaticorum* regulis adstringantur.

Ex duplici igitur memorato jam ordine judico equidem oporteat plane ac præstet à morbis iri ad remedia. Nam præterquam quod naturalis hic ordo est generationis dictus, *ut prius indicans mox indicatum ponatur*; adhuc praxeos via commodius addiscenti atque inquirenti, sicut indies evenit, medelas

delas eſt, *ut inventis ſuo loco vitiis remedia condiſcat idonea*; non vice verſa.

Verum illud facile permittitur, quod re ipſa facturi ſumus, ut *medicamenta*, quæ per genera *facultatum* ex his exſtant, *primum recenſeantur*; *mox* quæ nuper tractavimus, *debita vitiis exponantur*. Quod ipſum jure merito fiet: *ſiquidem*, Ariſtotele Auctore *in* 1. *phyſicorum*, *vel innata nobis eſt à communioribus via ad ea quæ minus communia*. Utimur autem maxime Joſephi Quercetani doctrina *in Antidotario Spagyrico poſt Sclopetarii librum* tradita ſic.

Carni putridæ ac corruptæ:

Sal Fuliginis.
Sal Urinæ.
Sal Tartari.
Sal Mellis.
Oleum Frumenti.
Oleum Mellis.
Oleum Sulphuris acidum.
Phlegma Aluminis acidum.
Phlegma Vitrioli acidum.
Balſamum Martis.
Balſamum Veneris.
Balſamum Mercurii.
Balſamum Tartari.

Pergit *tabula facultatum medicamentorum* ſecundum alios auctores Chymiatros & noſtram etiam expertorum ſententiam.

Refrigerantia.

Phlegmata vocata & calidorum & frigidorum & neutrorum quorundam ſimplicium medicamentorum: qualia ſunt ex *animalium genere* aqua ſpermatis ranarum, phlegma lactis, ſeri, butyri.

Ex *vegetabilibus* aqua exſtillata nymphææ. Diodor. Euchyont. *Polychym. l.* 1. *c.* XL.

Aqua papaveris, ſolani, ſalicis, cucurbitæ, ſempervivi.

E *meteoris*, aqua roris aërei.

E *compoſitis*, aqua Euchyontis *lib.* 1. *Polych. nota* 8.

E *foſſilibus*, phlegma vitrioli, aluminis.

Aqua

Aqua destillationis hydrargyrii per matracium & crebram aquæ ad vasculum affusionem recipientis ex diplomate.

Oleum plumbi & hydrargyrii.

Saccharum plumbi.

Oleum caphuræ Paracelsi *l. de præpar. arsenici.*

Aqua vitæ sive ardens dicta partibus ex inflammatione refrigerandis usui est Euonymo *l. 2. pag. 33. M.*

Sal lithargyrii Quercet. *in Sclopet. c. 6.*

Repellentia.

Repellens & sanguinem cohibens compositum.

℞. Boli Armeni spagyrico modo præparati, croci Martis, croci Veneris, sing. ℥j. ol. ros. quod satis est. M. Fiat linimen. Jos. Quercetanus *apud Jac. Vecherum Antid. spec. l. 2. c. de linimentis adstringentibus.*

Aliud ad idem.

℞. Colcotharis dulcificati, cineris ranarum adustarum, sing. ℥ß. alb. ovorum quantum est satis. M. Paretur linimentum. Quercetan. *apud Vecherum citato jam loco.*

Linimentum, seu potius nutritum, humorum defluxum atque inflammationem prohibens.

℞. Succi fol. nymphææ, succi fol. sempervivi, succi fol. hyoscyami, an. ℥ij aq. spermat. ranarum, aq. florum tapsi barbati an. ℥j litharg. vel salis ejusdem ℥ij ol. visci pomorum, ol. ros. omphac. an. ℥iiß aceti ros. ℥j. Ducantur diu in mortario plumbeo per pistillum plumbeum, & fiat instar nutriti: quo utendum pro defensivo. Quercetanus *apud eundem ibidem in eodem libro,* apud ipsum vero *in Sclopetario c. 6.*

Calefacientia.

Mater balsami calidissima est super omnem gradum. *Euon. l. 2. pag. 131. F.*

Humectantia.

Oleum ovorum. Oleum olivarum chymice præparatum.

Oleum visci pomorum. Oleum Saturni. Viscus radicis hyoscyami.

Aqua Euchyontis *Polych. l.* 1. §. 8.

Exsiccantia atque Absorbentia.

Spiritus aceti. Oleum menthæ. Oleum caphuræ. Oleum juniperi. Oleum ligni Guajacan.

Compositio Paracelsi l. de præpar. ferri.

℞. Limat. ferri ℔ij aqua vitrioli ℔ß. Macerentur per mensem, mox reverberentur in duplum. Addi licet ad ejus præparati ℥iij balaust. ʒj suc. acac. ad pond. omnium.

Crocus Martis *ulceribus rheumaticis exsiccandis* valet. Paracelsus *apud Dorneum in restit. prax. medic. pag.* 219.

Oleum salis. Oleum calcis vividæ.

Oleum sulphuris. Bern. Penotus *l. de medic. chymic. c. isto.*

Oleum costi; quod paratur ad hunc modum. ℞. Costi ℥j piper. pyrethri, euphorb. an. ℥j castor. ℥ß. Terantur, cribrentur, dissolvantur in ℔ß ol. de liliis, vel laurino, quod melius erit, vel ol. de spica. Hoc *resolvit humiditates frigidas*, & *frigida apostemata*, &c. Diodor. Euchyont. *l.* 2. *polychym.* §. 5.

Adstringentia.

Oleum è cupressi conis. Bap. Porta *l.* 3. *destill. c.* 24.

Aqua è vinaceis. Durantes Scacchius *l.* 3. *subsid. medic. c.* 3.

Adstringentium compositiones.

Bolus Armenia Spagyricè præparata.

Bolus Armenia in pulverem tenuissimum redacta dissolvatur in phlegmate acido aluminis, tum separetur phlegma per balneum, & aliud superinfundatur. Id ter facito. Tum bolus in oleum perpingue convertitur: quod igne lentissimo exsiccetur, & in pulverem reducatur, ad *cobibendum sanguinem* undecunque fluentem aptissimum. Quercetanus.

Ad vulnera ſtypticæ virtutis exſiccativæ atque incarnativæ.

℞. Limaturæ ferri ℔j. ſalis communis ℔ß aq. fontanæ q. ſ. pro incorporatione. Septem ſeptimanis ita maneant; poſtmodum reverbera tamdiu, donec in pulverem omnino redigantur. Addi poſſunt croci ℥ß boli aduſti ℥iiij terræ ſigill. ʒv. F. Pulv. Paracelſus *lib. de præpar. ferri.*

Aliud conſtrictivæ virtutis in omnibus.

℞. Limaturæ ferri ℔ß. aq. alum. ℔iß aceti deſtill. ℔ß. Maneant in digeſtione per menſem, abluantur poſtmodum, & in crocum reverberentur. Addi poſſunt croci Martis ʒj. myrrhæ ʒß croci orient. ℈j. F. Pulvis. Theophraſtus Paracelſus *lib. de præpar. ferri.*

Defenſivum.

℞. Boli Arm. præp. ſangu. drac. & corall. rubr. an ℥ß croci Martis ʒij baccarum myrti ʒß. ol. roſ. omphac. ℥iiij aceti roſ. ℥ij ceræ ℥iß. Fiat linimen. Quercet. *Sclopetarii c.* v.

Sanguinem cohibens unguentum, ita ut prope incredibile videatur.

℞. Croci Martis ſubtiliſſime reverberati, croci Veneris an. ℥ij. Excipiantur oleo viſci pomorum ſimplici. Fiat ungu. Quercetanus *in Sclopetario c.* v.

Attenuantia.

Oleum è lateribus. *Polychym.* & Meſuæus *l.* 1. *Grabad. diſt.* 12.

Oleum è cera. Quercetanus *de medic. ſpagyr. præpar. c.* 5. & Jo. Beguinus *Tyr. chym. c.* 6.

Diſcutientia.

Oleum pomorum aurantiorum. *Polychym. l.* 2. §. 33.

Oleum lateritium. *Polychym. lib.* 2. §. 9.

Oleum ceræ. Jo. Beguinus *Tyroc. chym. c.* 6. Guertæus *in append. p.* 247.

Oleum

Oleum gagatis : quod *dæmoniacis*, *epilepticis*, *paralyticis*, *spasmicis*, *tetanicis*, *arthriticis*, *hystericis saluberrimum est*, Mesuæo auctore *l.* 1. *Grabadin. dist.* 12.

Spiritus aceti. Lapis medicamentosus Crollii *pag.* 172. §. 12.

Rarefacientia.

Oleum lateritium.

Attrahentia.

Magnes præparata. Succinum flavum præparatum.

Et composita ex his, atque alia. Quercet. *Sclopet. c.* 6.

Hydrargyrium præcipitatum *ulceribus.*

Suppurantia.

Oleum lateritium. *Polychym. l.* 2. §. 6. & Euonym. *l.* 2. *pag.* 406. *F.*

Oleum visci pomorum. Quercetanus *Sclopet. c.* 5.

Oleum terebinthinæ. Quercet. *eodem loco.*

Maturativum.

℞. Ol. laterini ℥j opopan. colati ℥ß F. Empl. Super prunas opopanax per acetum colatur, dein fiat massa, & induratur. Parac. *l. de apost. c.* 50.

Emplastrum stypticum Crollii *pag.* 267.

Emollientia.

Oleum è sanguine humano. *Polychym. l.* 2. §. 44.

Oleum olivarum chymice præparatum. *Polychym. l.* 2. §. 22.

Oleum ceræ. Beguinus *tyroc. chym. c.* 6. & Guertæus *in Miz. cent. pag.* 247.

Oleum ammoniaci, galbani, opopanacis, sagapeni & ladani. Quercet. *l. de spag. med. præp. c.* 3. *F.*

Oleum butyri. Idem auctor. Oleum gagatis. Mesuæus *Grabad. l.* 1. *dist.* 12.

Pyrotica.

Septica.

Magnes arte parata Paracelsi apud Petrum Joannem Fabrum.

Cathæretica.

Elegans cathæreticum deſcribit Diod. Euchyontes *Polychym. l.* 1. §. 26. o.

Aqua mellis Hiſpanici mitiſſimum eſt cathæreticum *ineuntis pterygii :* quam uſu longo probatam teſtatus eſt J. C. Arantius *l. de tumor. eo cap.*

Detergentia.

Oleum tartari. J. Beguinus *tyroc. chymic. c.* 6. & Petrus Argillata.

Oleum luteorum ovorum. *Polychym. l.* 2. §. 13. & Meſuæus *Grabad. l.* 1. *diſt.* 12.

Oleum juniperi. *Polychym. l.* 2. §. 42. & Meſuæus *l.* 1. *Grabadin. diſt.* 12.

Oleum frumenti. Meſuæus *Grabad. l.* 1. *diſt.* 12.

Oleum à calce vivida. *Polychym. l.* 2. §. 12.

Oleum lithargyri præſertim *maculis delendis.* Idem *l.* 2. §. 40.

Oleum & ſpiritus terebinthinæ. Oleum thuris. Oleum myrrhæ. Oleum ſarcocollæ. Quercet. *apud Vecherum Antid. ſpec. l.* 2. *cap. de ung. abſterg.*

Lac virginis. *Polychym. l.* 1. §. 24.

Aqua ſalis gemmei. Idem *l.* 1. §. 1.

Sal armoniacum à tartaro ſublimatum & inde ſuper marmor diſſolutum , *vulneribus* infuſum , ac *lavamentis* immiſtum.

Sal urinæ. Sal mellis. Sal aceti. Sal Saturni. Sal fuliginis. Sal antimonii. Sal tartari. Quercet. *apud Vecherum Antid. ſpec. l.* 2. *c. de ſalibus detergentibus.*

Reparantia carnem , & Glutinantia.

Oleum terebinthinæ. *Polychym. l.* 2. §. 34.

Oleum lateritium. Paracelſus *Chir. magnæ par.* 1. *l.* 2. *c.* 15. & *Polychym. l.* 2. §. 9.

Oleum olivarum chymice præparatum. Idem *Polych. l.* 2. §. 41.

Oleum ovorum. Beguinus *Tyroc. chym. c.* 6.

Oleum

Oleum myrrhæ. Oleum frumenti.

Consolidantia.

Oleum ceræ. Beguinus *Tyroc. chym. c. 6.* Oleum terebinthinæ.

Oleum lateritium. Dornæus *in praxi rest. med. pag. 265.*

Arsenici balsamum, aut oleum fixum per sal urinæ, deinde in oleum per seipsum conversum. Paracelsus *chir. parv. l. 2. c. 7.*

Vulneraria olea.

Thuris. Terebinthinæ. Hyperici. Myrrhæ. Sarcocollæ. Cancami sive Laccæ. Quercetanus *l. de spagyr. medic. præpar. c. 3. pag. 122.*

Epulotica.

Crocus Martis. Jos. Quercet. *Sclopet. c. 5. F.*

℞. Boli Arm. nostro modo præpar. ℥ij calc. cort. ovorum ℥ß succi prunorum immat. ℥iij. Decoquantur igne lento ad perfectam consistentiam. Quercet.

Oleum ovorum. Beguinus *Tyr. chym. c. 6.*

Sanguinem sistentia.

Oleum vitrioli. Laurentius Hoffmannus.

Anodyna.

Oleum sanguinis humani. *Polych. l. 2. §. 44.*

Oleum lateritium. Idem *l. 2. §. 9.*

Oleum butyri. Quercetanus *in spag. med. præpar. c. 5.*

Oleum à vitellis ovorum *hæmorrhoidibus* peculiare. Jo. Finckius *in Enchiridio Hermetico-Dogmatico.*

FINIS.

DE CHYMICIS MEDICAMENTIS EXTERNIS SECUNDUM AFFECTUS ET LOCA CORPORIS PATIENTIA.

CHIRURGICO-CHYMICES *PARS SECUNDA.*

PRÆFATIO.



Medicamenta *ſecundum facultatum genera* percurrimus. Nunc alia, primum quæ *ſecundum genera morborum* ſunt, mox quæ *ſecundum patientes locos corporis* ordinantur, exponemus. Ne ſit autem nobis & lectori nimius excurrendi labor; univerſam hanc rem quaſi per tabulas alphabetica ſerie diſpoſitas citatis auctorum locis, unde medicamentorum formulæ deſumtæ ſunt, digeremus. Si qua inſuper aut noſtra aut amicorum ſunt experta medicamenta, quæ literis non ſunt prodita; hæc utique licebit explicate deſcribere. Cuncta autem quæ propoſituri ſumus, futura ſunt ejuſmodi, ut his maxime ſpes efficaciæ reſpondere debeat.

Vitiis in conformatione, & primo in magnitudine.

Tumores, ſicut dividere placuit Avicennæ in *l.* 4. *fen.* 3. *c.* 1. *vel calidi ſunt, vel non calidi, vel neutro modo ſe habent conſideranturve.* Sua ſingulis generibus ordinatim adnotemus remedia.

Tumores omnes indiſcriminatim curat oleum philoſophorum. Euonymus *par.* 2. *c. de ol. ex lateribus.*

Item oleum Saturni cum oleo terebinthinæ. Crollius *pag.* 275.

275. 10. vel cum olivo & chamæmeli aq. & rof. admiftum. Idem Crollius *pag.* 274. *F.*

Oleum Euonymi *l.* 1. *p.* 351. *M.* & *l.* 2. *pag.* 130. *F.*

Balfamum artificiale Floravanti Capric. *l.* 2. *c.* 4. *pag.* 92. *F.*

Tumoribus inflammatoriis aqua refrigerans mirum in modum commendata Euonymo *par.* 1. *pag.* 156. & 157. *F.*

Item oleum Saturni Crollii *Bafilic. pag.* 275.

Tumoribus œdematofis oleum faponis conducit. Libavius *Alchym. lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 1. *pag.* 414. *F.*

Balfamum Bertapaleæ tum ab ipfo defcriptum tum ab Euonymo. *l.* 2. tum à Libavio *l.* 2. *Alch. tract.* 2. *c. de extractis.*

Medicamentum Libavii *Syntagmatis to.* 1. *l.* 3. *F.* Cape fal commun. præftantiff. ℔. iij alumin. ufti quadrantem. Tere in lapide cum aceto vel, fi velis efficacius, aqua fabrorum. Solve deliquio & filtra. Liquorem ex fpleniis impone tumoribus.

Balfamus Bertapaleæ ardens & Lac coagulans.

Eryfipelatis lapis medicamentofus Crollii *Bafilic. pag.* 272.

Item fperniolæ compofitio apud eundem *pag.* 276. *F.*

Item aqua vitæ rectificata. Idem *l. de fignatur. pag.* 51.

Item aqua vitæ cum caphura.

Tumoribus fcirrhofis. Oleum fraxini. *Euonymus l.* 1. *pag.* 324. Idem *l.* 1. *pag.* 341. *P.*

Oleum ceræ. Anton. Guertæus *in app. ad Mizaldi cent. pag.* 246. *F.*

Compofitio Paracelfi *Chir. par. l.* 2. *c.* 3. ℞. Ol. è litharg. colophon. mumiæ, an. ℥j ol. vitell. ovorum q. f. pro incorporatione. F. ung. mollitivum & maturans.

Gummi fyphiliis. Medicamen Mizaldi defcriptum à Libavio *l.* 2. *Alchym. tr.* 2. *c.* 17. *pag.* 316. ℞. Sulphur. citrini, fal. ammon. partes æquales, calcis vivæ partes duas. Pulverata deftillentur per retortam in arena.

Oleum Guajacini ligni. Porta *l. de deftill.*

Strumis oleum coryli lignorum. Paulus Spinellus Pharmacopœus.

Strumis nodifque. Deftillatio ferpentis rubri. Euonym. *l.* 2. *p.* 304.

Item

Item deſtillatio deſcripta ab eodem *l.* 1. *p.* 359. & *p.* 357. & *l.* 2. *pag.* 116.

Compoſitiones. ℞. vini ardentis alchalium, ex colcothare & fimo mineralium, quod ſatis eſſe videbitur. M. Hujus ℞. ℥ß. aq. roſ. ℥ij aq. chelidon. ʒiiij M. Intincta fila *ulcerum caveolis* inde mane veſperique, quouſque promota ſit bene curatio: nam licebit deinceps uti unguentis ad *cuniculoſa ulcera* præſcriptis. Paracelſus *chir. parvæ l.* 2. *c.* 7.

Aliud. ℞. tuthiæ ℥iiij ſalis fuſi, calcis vividæ an. ℥vj. Stratificata ponantur in tertium gradum ignis, & inde abſtrahatur alchali. Parac. *lib. de præpar. tuthiæ.*

Natæ vel *naſdæ.* ℞. fæcum vini ℥x vini ardentis ℥iiij axungiæ vulp. ℥v ol. aneth. ad pondus omnium. F. Ungu. Paracel. *l. de apoſt. c.* 51.

Ficis. Oleum ex ovis compoſitum. Euonymi *l.* 2. *pag.* 296.

Item Crollii emplaſtrum ſtypticum *num.* 13.

Ficis ani. Lapis medicamentoſus Crollii *c. iſto*, *num.* 14.

Ficis & *verrucis.* Compoſitio Paracelſi *l. de apoſt. c.* 21. ℞ ol. laterini ʒj ol. junip. ℥ß. ol. è myrrha ℥ij. M.

Item aliud. ℞. Ol. laterini ʒj aquæ alum. ℥ß. viriditatis ſalis ad pondus omnium. F. Mixtura.

Scliroſi ſive *duritiæ tendinum & ligamentorum.* . . . .

Gangrænis & *emortuis partibus* lotio, quæ ℞. ſucci raphani & chelid. an. ℥ij ol. mell. ℥ß phlegmatis alum acidi ℥iiij ſalis petrei ʒij ſal. fulig. ʒiß Bulliant omnia ſimul ad medias pro lavamento: quod reitererur ſæpius. Quercet. in *Sclop. c.* v. *pag.* 131. in quo loco & alia plura hujuſmodi habes.

Linimen 3. Quercetani *apud Vecherum Antid. ſpec. pag.* 940. *c. de ungu. minus uſualibus.*

Item aliud apud Vecherum *eod. cap. pag.* 947. *F.*

Ceratum apud eundem *c. de ſinapiſmis pag.* 998. *P.*

Sal fuliginis apud eundem *pag.* 1007.

Oleum chalcanthi. Montagnana.

Cruſtæ in gangrænis finitis è peruſtis muſculorum nervaceis fibris, quæ ſolidius inhæreſcunt, reſolvendis & incidendis oleum calchanthi meo experimento.

Ab-

Abscessus rumpit aqua vitæ. Euonymus *l.* 1. *c. isto & l.* 2. *pag.* 83. *P.*

Idem præstat oleum vitrioli. Petrus Castellus *l. de chalcantho.*

Causticum è secretis secretissimum. Euon. *l.* 2. *pag.* 390. *P.*

Abscessus omnes per urinam miro modo expellit oleum è tartaro crudo destillatum, cum vino vel speciali aqua potum. Quod & *dolores juncturarum* & *splenis* dissipat & *varias affectiones interiores*. Theophr. Paracel. *Manuali* 2.

Abscessus saniosos & *cavos* complet mater balsami vocata aqua. Euon. *l.* 2. *pag.* 129. & 131. *M.*

Abscessibus frigidis oleum salis. Crollius *Basil. pag.* 153.

Abscessus cum cysti mirifice deterget oleum sulphuris & vitrioli & Mercurii. Bartol. Cabrolius *obs.* 27. *pag.* 106.

Abscessibus pudendorum aqua Euonymi *par.* 1. *pag.* 199. *P.*

Herniæ universim salis oleum. Crollius.

Herniæ carnosæ. ℞. Ol. laterini ℥vij opop. galb. bdellii an. ʒiij. reduc. ad formam liquidam, additis his aliis farinæ fab. ʒiij ficuum Num. iiij caphuræ, rutæ an. ʒj. fiat empl. Parac. *l. de apost. c.* 55.

Herniæ aquosæ. ℞. Ficuum ℔j. Ol. baccarum juniperi, far. fabarum an. ℥vj. fiat cataplasma super ignem, & calidum superponatur, mane, sub meridiem, & vesperi. Parac. *l. de apost. c.* 54.

Herniæ ventosæ. ℞. Ficuum ℔j Ol. è bacc. juniperi ℥iiij farinæ fabarum ℥vj. confice cataplasma. Paracel. *l. de apost. c.* 54.

Carunculæ vesicæ vitriolum æris, lotione dulcoratum, calcinatione tabefactum, emplastro alicui permistum, & per cereolum immissum. Quercet. *de spagyr. præp. c. F. & c.* 6.

Item hydrargyrium præcipitatum cum aqua forti præparatum.

Argentum vivum multis sublimationibus & lotionibus præparatum. Rodericus Fonseca *tom.* 1. *cons.* 36.

Spiritus terebinthinæ, & *urinæ difficultati*. Beguinus.

Pustulis pestilentialibus oleum sulphuris vel vitrioli, Quercetanus *in Alexicaci F.*

Essere. ℞. Ol. è juniperi baccis per adscensum ℔ß ol. amygd.

dulc. ℔j ol. de fraxino parati per descensum. . . fiat mixtura. Parac. *l. de apost. cap.* 47.

Verrucis oleum vitrioli singulare est. Euonym. *l.* 2. *pag.* 381. *P.*

Item oleum tartari. Euon. *l.* 2. *pag.* 286. *P.*

Callis efficax est sal succini ac juniperi. J. Centimanus *in l. de lapidib. c. de sale pag.* 60.

Item oleum vitrioli. Euonymus.

Compositio Paracelsi *l. de apost. c.* 60. ℞. realgaris ℈j ol. vitell. ovorum ℥ß calcis extinctæ q. s. in unguenti formam.

Porros putrefacit in nigrorem linimentum Quercetani *Sclopet. pag.* 2, *cap.* 4. *F.*

Nævos exstirpat aqua regia. Paulus Spinellus pharmacopœus.

Tumoribus tuberculisque partium ordinatim.

Capitis tumori emplastrum stypticum Crollii *pag.* 270. *num.* XI.

Guttæ roseæ aqua ex talpa. Euon. *l.* 1. *pag.* 245. & *pag.* 271.

Mater balsami vocata aqua. Euon. *l.* 2. *pag.* 136. *M.*

Faciei Erysipelatis eadem. Idem *ibidem.*

Palpebrarum tumori ex frigida causa, aqua ophthalmica Euon. *l.* 1. *p.* 244.

Item aqua mellis. Idem *ibid. pag.* 284.

Ophthalmiæ medicamentum Euonymi *l.* 2. *pag.* 156. *F.*

Item lapis medicamentosus Crollii *pag.* 271.

Item saccharum Saturni in aqua euphrasiæ & rosarum. Croll. *pag.* 275.

Oleum plumbi. Quercetanus *l. de spagyr. præp. c.* 5. *F.*

Saccharum Saturni per me expertum.

Oculorum rubori medicamentum Mulleri *in chymiatr. pag.* 125. *F.*

Oleum pyrites. Rubeus *sect.* 2.

Oculorum inflammationi, lippitudini, nebulis, fistulis; Crollii ophthalmicum *pag.* 197.

Item aliud, quod Rubeus describit *de destill. sect.* 3. *pag.* 138. *P.*

Me-

Medicamentum è lapide calaminari Paracel. *l. isto* & Dorn. *in prax. p.* 121. *P.*

Lacrymis oculorum, oleum ceræ Guertæus *eo ser. pag.* 247. Oleum magnificum Euon. *l.* 2. *pag.* 132. *F.*

Polypo oleum vitrioli. Guertæus *in app. ad cent. Mizal. pag.* 218. Cujus ego medicamenti certam efficaciam expertus sum in. . . . . Virgine parthenophylacii Spiritus Sancti Neapoli A. 1620.

Vesiculæ sive *carunculæ gingivis accretæ*, oleum vitrioli. Guertæus *in append. pag.* 217. *F.*

Anginæ spiritus salis. Crollius *eo cap.*

Item aqua juglandium. Euonym. *par.* 1. *pag.* 61. Idem *l.* 2. *ubi de oleo.*

℞. Aq. ardent. ℥j aq. scabios. ℔j. Ex hoc madida lintea exterius applicentur, sæpius iterando. Tempore trium horarum præstat juvamentum. Guertæus *in appendice pag.* 222.

Sal prunellæ seu nitrum præparatum. Sennertus *in l. de consens. Chymicorum & Galenicorum cap.* 18. *pag.* 666.

Faucium, *Columellæ*, *Gingivarumque malis*; oleum vitrioli ex aqua persicariæ. Guertæus *in append. pag.* 218. *P.*

Gummi & nodis à lue venerea profectis spiritus Mercurii descriptus à Jos. Quercetano *in l. de lue venerea.*

Strumis medicamen ex oleo terebinthinæ cum visco quercino in unguenti formam confectum. Guertæus *in appen. pag.* 218.

Paronychio compositio sperniolæ. Crollii *pag.* 276.

Item Penoti medicamentum, quod ℞. sulph. ℥ij caph. ℥j ol. tereb. ℥iiij.

Vel medicamentum Libavii *l.* 2. *Alch. tr.* 2. *c.* 17. Ex floribus sulph. ter sublimatis, adjecto caphuræ dimidio, & duplo ol. tereb. fit mixtura.

Mammas tumentes contrahit aqua é pineis nucibus immaturis ex linteis madentibus imposita. Item aqua stellariæ cum hypocystide. Quæ eadem & locos muliebres adstringunt sic, ut earum diutina injectione corruptæ ab incorruptis dignosci vix possint. Hier. Rubeus *in l. de destillatione.*

Mammarum inflammationi aqua lenticulæ palustris: quæ & omnibus prodest inflammationibus. Rubeus *de destillatione sect.* 3. *c. proprio.*

Hydropi aqua tormentillæ. Euon. *par.* 2. *pag.* 81.

Item oleum salis absynthii aquæ commixtum. Crollius *pag.* 151.

Ascitæ aqua compositionis Euonymi *l.* 2. *p.* 136. *F.*

Tympanitæ alchali. Libavius *l.* 2. *Alch. tr.* 2. *c. de alchali compositis p.* 375.

Scroti tumores belle discutit juniperinum oleum. Parac. *in chirurgia parva.*

Bubonibus dissipandis oleum caphuræ. Bern. Penotus *lib. de medic. chym.* qui & parandi rationem exposuit.

Item butyrum caphuræ. Baricellus *lib.* 3. *de sero.* ex Libavio.

Hæmorrhoidibus oleum Lullii. Euonym. *l.* 1. *p.* 347. *P.*

Item Paracelsi medicamentum, quod ℞. marchasitæ ℥j alcohol vini optime exsiccati ℔j M. Addi potest ad hujus præparatæ marchasitæ ʒiij salis gemmæ, mumiæ an. ʒj. Fiat pulvis subtilissimus, qui super *hæmorrhoidas* spargatur, antequam intumuerint. *l. de præpar. ex marchasita.*

Item balsamum sulphuris. ex Mullero.

Ischiadi ac *Podagræ* aqua balsami vires habens Euonymi *l.* 2. *p.* 136. *F.*

Podagræ vero spiritus salis. Crollius *p.* 152. *n.* 17.

Oleum ceræ. Guertæus *append.* 247.

Varicibus adeps humana stillatitia. Georg. Phædron *in Jatrochym.*

Vitiis in figura.

Contractis membris. ℞. terebinthinæ destillatæ ℔j gummi galb. dictamni an. ℔ß. M. & adde ol. laurini ℥j Paratur inde balsamum, quo inunguntur membra contracta per menses multos. Eidem rei valet oleum benedictum. Theophrastus apud Euonymum *l.* 2. *p.* 240. *P.*

Oleum sive spiritus salis in appropriatis unguentis. Crollius *p.* 153. *n.* 3.

Spiritus tartari. Crollius *p.* 160. *num.* 14.

Oleum succini. Crollius *p.* 193. *n.* 19.

Butyrum Saturni cum oleo terebinthinæ. Crollius *p.* 275. *num.* 10.

Oleum

Oleum ceræ. Guertæus in Miz. *cent. pag.* 247. *P.*

Oleum è taxo. Geſtnerus apud Vecherium.

Linimen ex quinque oleis. Vecherus *pag.* 888.

Balſamelæa varia Paracelſi *l. de contracturis tract.* 2. *c.* 6. & 7.

Balſamelæa alia Quercetani *in Sclopet. c.* v. *p.* 125.

Oleum gagatis *nervorum* & *articulorum contracturis* præcipuum profitetur Paulus Spinellus pharmacopœus.

Tenſis nervis oleum è pulegio. Porta *l.* 3. *deſtill. c.* 14.

Oleum è baccis lauri. Idem *l.* 3. *c.* 23.

Oleum de lateribus. Idem *l.* 7. *c.* 7.

Vitiis in ſitu.

Dentibus labantibus balſamum Euonymi *l.* 1. *p.* 340. *P.* & 346. *M.* & *l.* 2. *p.* 379. *M.*

Lapis medicamentoſus Crollii *p.* 271. *num.* 4.

Aqua mellis, &c. Rubeus *l. de deſtill. ſect.* 3. *p.* 140.

Sal abſynthii. Codronchius *l. de ſal. abſynth. p.* 302.

Oleum è croco Martis; & oleum è nuce myriſtica. Item oleum vitrioli in vino rubro, in quo plantago incocta ſit. Georg. Phædron *in Jatrochym.*

Vitiis in numero.

Alopeciæ medicamentum Paracelſi *l. de præp. antim. tr.* 1. & *l. de apoſt. c.* 14.

Calculo aqua ſtercoris columbi. Euon. *l.* 2. *p.* 84.

Sal margaritarum. Crollius *p.* 163. *num.* 8.

Sal coralliorum in aqua ononidis. Crollius *p.* 166. *num.* 12.

Elixir proprietatis Paracelſi apud Crollium *p.* 170. *calculos renum* rumpit.

Tartarum vitrioli, oleum ſuccini, ſpiritus aut oleum terebinthinæ. Jo. Finchius *in Enchiridio Hermetico-Dogmatico.*

Deſtillatio ex marchaſita argentea Mullerus *in Chymiatria p.* 124. *F.*

Maculis & *excreſcentiis oculorum* ſpagyrica plumbi præparatio. Quercet. *in ſpagyr. medic. præpar. c.* 5. *p.* 75. *M.*

Extemporanea medicamenti parandi ratio Euonym. *l.* 1. *p.* 280. *P.*

Aqua compoſita Euonymi *l.* 2. *p.* 139. *F.*

Oculorum & faciei maculis aqua vitæ Euon. *l.* 1. *pag.* 131.
Maculis oleum papyri. *Euon. l.* 1. *p.* 328.
Oculos clarificans aqua tormentillæ. Euony. *l.* 2. *p.* 81. *M.*
Aqua ſocialis Joſephi Donzelli *in Antid. Neapolitano.*
Maculis oculorum aqua Euonymi *l.* 2. *p.* 139. *F.* & 140. *P.*
Oculorum claritati parandæ medicamen Guertæi *in App. p.* 242. *F.* & 243. *F.* & 244. *F.*
Aqua è ſaccharo J. Cæſ. Arantius *l. de tumor. c. de pteryg. p.* 154.
Oleum è tartaro crudo deſtillato magnum oculorum eſt collyrium. Paracelſus *Manuali* 2.

Vitiis in meatu.

Difficultati urinæ ſal chamæmeli. Euonym. *l.* 2. *p.* 482.
Floravanti balſamum artificiale deſcriptum *l.* 2. *Capriciorum c.* 4. *p.* 92.
Deſtillationes variæ apud H. Rubeum *l. de deſtill. ſect.* 3. *p.* 152. *P.*

Vitiis in ſuperficie.

Tineæ oleum chalcanthi. Crollius.
Floravanti balſamum artificiale *l.* 2. *Capr. c.* 4. *p.* 92.
Oculis expalpebratis & ſcabioſis (*derbioſos* vocat Octavius Horatianus) Euonymus *l.* 2. *p.* 130. deſtillationem, matrem balſami vocatam, proponit.
Oculorum maculis oleum laterinum, oleum fœniculi, oleum ſuccini, Crollius *pag.* 197. *F.* & 198. *P.*
Aqua ovi albuminis. Euon. *l.* 1. *p.* 83.
Lepræ medicamen ex ranis. Euon. *l.* 2. *p.* 90. *M.*
Medicamen ex ſtibio. Libavius *l.* 2. *Alchym. tr.* 2. *c.* 17. *F.*
Scabiei lapis medicamentoſus Crollii. *p.* 272. *num.* 7.
Compoſitio Paracelſi *Chir. magn. part.* 4. *l.* 9. *c.* 3. & 4.
Medicamen ex oleo lithargyrii. Guertæus *in app. ad Mizal. cent. p.* 218. *M.*
Aqua & oleum myrrhæ. Idem *ibidem p.* 239. *F.*
Impetigini ſaccharum Saturni. Crollius *p.* 274. *num.* 4.
Oleum plumbi. Euon. *par.* 1. *p.* 174.
Medicamentum è ſcilla. Libavius *Alchym. l.* 2. *tr.* 2. *c.* 17. *F.*

Oleum

Oleum Paracelsi. Libavius *Alch. l. 2. tr. 2. c. 17. F.*

Alboræ destillatio Paracelsi *l. de apost. c. 42.* ℞. stanni, plumbi, argenti an. ℥j aq. album. ovorum destillatorum ℔ß. M. &c.

Tartari præparatio Phil. Mulleri *l. 3. c. 3.*

Faciei maculis & *pannis* oleum lithargyri. *Polych. l. 2.* cujus artem eo loco leges.

Morpheæ oleum fraxini. Euonymus *l. 1. tit. de ol. p.* 324. & Nicolaus Florentinus *ser. 7. tr. 6. sum. 2. c. 14.*

Lac virginum. Baricellus.

Alcolæ. ℞. Realgar. præparati, succi chelidoniæ an. q. s. ad ung. Paracel. *l. de apost. c. 15.*

Cicatricibus delendis & *emolliendis* oleum terebinthinæ. Euon. *l. 1. p. 316. F.* & *l. 2. p. 270. P.*

Aliud loco balsami Euon. *l. 1. p. 340. F.*

Medicamenta & oleum talci. Quercetan. *Sclopet. par. 2. c. 2. F. p. 101. F.* & 102. *P.*

Cicatricibus pulcris reddendis oleum ceræ. Guertæus *Appendice p. 246. M.*

Maculis oleum juglandis. Libavius *Tom. 1. syntagm. pag.* 413. *F.*

Item oleum frumenti. Euon. *l. 1. p.* 303. *M.*

Et oleum lithargyri. Euon. *l. 2. p.* 393. *M.*

Aqua laudatissima Euon. *l. 2. p.* 136. *M.*

Faciei maculis medicamentum Euon. *l. 2. p.* 248. *P.*

Item aliud Guertæi *in Appendice p.* 228. *M.*

Aqua destillatæ salicis. Hollerius *in opere pract. c. 65. p.* 687.

Lithargyri argentei & aceti destillatio per nos experta.

Medicamentum Paracelsi *l. de apost. c.* 43. & *Dorn. p.* 128. *M.*

Medicamen Crollii *p.* 277. *M.*

Dentium fœditati medicamentum Baptistæ Codronchii *l. de sale absynthii p.* 302.

De vitiis in soluta unitate.

Ulceribus omnibus in curatu difficilibus.

Ulceribus communiter & quaqua parte difficilibus diasulphur Rulandi. Vecher. *Antid. spec. l. 2. c. de empl. pag.* 972.

Sal

Sal corallorum Crollius *pag.* 166. *F.*

Item oleum æris Andernaci.

Antimonii balsamum aut oleum. Parac. *l. de contractur. tract.* 2. *cap.* 3.

Anthos Paracelsi *Chir. parv. l.* 3. *c.* 3. & *Dorn. p.* 11. *M.*

Auri balsamum Paracel. *Chir. parv. l.* 2. *c.* 7. & *Dorn. p.* 17. *F.*

Auripigmenti oleum vel arsenici balsamum Parac. *l. de contract. tract.* 2. *c.* 2. & *Dorn. p.* 18. *P.*

Ferri balsamum aut oleum. Id *Chir. par. l.* 2. *c.* 7. & *Dorn. p.* 63. *P.* Idem remedium laudat etiam Libavius *l.* 2. *Alch. tr.* 1. *c.* 4.

Aqua sacchari Hieronymi Rubei *in l. de destillat. sect.* 3. *p.* 161. quæ ℞. aquæ sacch. opt. ℥j tereb. ʒvj resinæ pinus ℥β aq. ardentis ℥ij. Ex hac abluta ulcera mirabili successu curantur.

Spiritus tartari Phil. Mulleri *l.* 3. *c.* 4.

Item oleum ♁ ejusdem *lib.* 3. *c.* 2.

Alchali stibiatum. Libavius *in Alchym. l.* 2. *tr.* 2. *c. de alchali compositis pag.* 375.

Oleum è lateribus. Euon. *l.* 2. *pag.* 302. *F.*

Oleum plumbi. Quercet. *l. de spagyr. med. præpar. pag.* 75.

Plumbum aqua regia resolutum à Fernelio propositum & à me expertum.

Præcipitatus dulcis. Libav. *l.* 2. *Alch. tr.* 1. *c.* 6. *F.*

Balsama & olea varia Paracelsi *Chir. magn. part.* 2. *l.* 3. *tr.* 3. *c.* 1. 2. 3. 4. 6. 7. 10. & *Dorn. pag.* 213.

Oleum dulce Saturni: quod & *malis omnibus patentibus* probe facit. Georg. Phædron *Jatrochym.*

Curatio per antimonium Paracelsi *l. de præp. antim.*

Curatio per oleum Mercurii Paracelsi *l. de præpar. cupri.*

Balsamum ex tartaro Paracelsi apud Dornæum *in prax. restit. medic. pag.* 211. *F.*

Curatio per sales præparatos Paracelsi *apud Dorn. in praxi p.* 79. *F.*

Ulceribus inflammatis oleum caphuræ. Parac. *l. de præpar. arsenici.*

Ulceribus humidis aqua vitæ. Quam quidem si libet mordaci-

cita-

citatis expertem feceris commiſtu glycyrrhizæ extracti.

Ulceribus putridis medicamen Euonymi *in* 2. *p*. 131. quod mater balſami vocatum eſt.

Item *putridis ac ſordidis* oleum talci parati Vechero *ſynt. med. l*. 1. *p*. 3. *M*.

Eſthiomeno medicamen per auripigmentum. Paracelſus *l. de præp. arſen.*

Aliud per lithargyrum. Parac. *l. de præpar. ex argento* & Dorn. *p*. 7.

Mucagineum remedium Paracelſi apud Dorn. *in praxi. p*. 71.

Per ſal metallorum curatio. Parac. *chir. magn. part*. 3. *l*. 7. *c*. 1. & Dorn *p*. 79. *F*.

Ulceribus herpeticis & corroſivis cupri balſamus. Parac. *chir. magn. part*. 4. *l*. 10. & Dorn. *p*. 246.

Unguentum magnum Floravanti *l*. 2. *capr. c*. 41.

Oleum vitrioli. Matthiolus, Crollius, Mindererus.

Ulceribus cacoëthis oleum ovorum, Matthiolus.

Acetum exſtillatum. Rubeus *de deſtill. ſect. ubi de aceto.*

Oleum antimonii. Euonym. *part*. 1. *p*. 364. & *l*. 2. *p*. 314. *P*.

Oleum Lullii. Euon. *l*. 1. *p*. 349.

Oleum juniperi. Euon. *l*. 2. *p*. 287. & 322.

Flores butyri antimonii. Crollius. *p*. 131.

Oleum ſeu ſpiritus ſalis. Crollius *p*. 153.

Oleum ſulphuris. Euonym. *par*. 2. *p*. 347. *F*.

Oleum auripigmenti. Floravant. *l*. 1. *Chirurg. c*. 107.

Saccharum Saturni. Crollius *p*. 274. *n*. 3.

Aqua loturæ plumbi aqua forti ſoluti. Georg. Phædron *Jatroch.*

Butyrum antimonii. Baricellus *lib*. 3. *de ſero.*

Medicamentum Paracelſi *Chir. magn. par*. 4. *l*. 9. *c*. 3. 4.

Æris præparatio. Querc. *l. de ſpag. præp. c*. 4.

Et aliud medicamentum ejuſdem Quercetani *Sclopet. c*. 4. *F*.

Plumbum aqua forti calcinatum. Fernelius *in l. meth.*

Oleum caphuræ. J. Vecherus *l*. 1. *ſynt. med. part*. 3. *pag*. 246.

Item oleum tartari: præſertim autem *his ulceribus à lue venerea*. Idem *ibid. pag*. 249.

Arcanum tartari. Philippus Mullerus *l.* 3. *c.* 4.

Dysepulotis aqua juglandis. Euon. *par.* 1. *p.* 61.

Oleum ex ovis compositum. Euon. *par.* 2. *p.* 297. *M.*

Pulvis epuloticus Quercetani *Sclopetarii c.* 5. *F.*

Aqua aluminosa Euonymi *l.* 2. *p.* 139. *M.*

Oleum ovorum. Beguinus *Tyr. chym. cap. illo.*

Desperatis balsamum cupri. Paracel. *chir. parv. l.* 2. *c.* 6. & Dornæus *in praxi p.* 255. *F.*

Ulceribus depascentibus. Lupo dicto medicamen Paracelsi *chir. parv. l.* 2. *c.* 7. & Dorn. *p.* 90.

Aqua ex talpa. Euon. *l.* 1. *p.* 245. & *l.* 2. *p.* 122.

Item oleum ovorum. Euon. *l.* 2. *p.* 297.

Sal Saturni. Crollius *p.* 274. *n.* 3.

Curatio per lithargyrum Parac. *l. de præp. litharg. tract.* 1.

Alchalis. . . Libavius *l.* 2. *Alchym. tract.* 2. *c.* 37.

Ulceribus dolore conflictatis oleum ovorum. Beguinus *eo cap.*

Hypersarcosi oleum antimonii. Paracelf. apud Dorn. *in praxi p.* 9. *M.*

Corrosivum. Alumen ustum & extinctum aceto, oleum ex arsenico per propriam suam resolutionem, factum ex his unguentum. Paracelsus apud Dornæum *in praxi p.* 209. *F.*

Cancro aqua aluminosa. Euon. *l.* 2. *pag.* 139. *F.*

Emplastrum stypticum Crollii *pag.* 270. *num.* 8.

Oleum antimonii. Guertæus *pag.* 236. *M.*

Oleum chalcanthi. Montagnana.

Aqua vitæ cum admista viriditate rorismarini. Guertæus *in app. p.* 229. *F.*

Oleum ex vitellis ovorum cum additamento. Guertæus *p.* 249. *F.*

Liquores misti quidam & destillati Guertæi *ibid.*

Oleum ex plumbo, & præcipitatum oleum tartari sæpissime abstractum. Idem *ibid.*

Aqua fortis. Guert. *p.* 250.

Oleum arsenici. Andernacus apud Vecherum.

Oleum antimonii. Paracelsus *Chir. parv. l.* 3. *c.* 3. & Euon. *l.* 2. *p.* 306. *P.*

Essentia Mercurialis. Guertæus. *p.* 217. *M.*

Aqua metallica. Euon. *l.* 2. *p.* 138.

Aqua

Aqua aluminosa. Idem *l.* 2. *p.* 142. *M.*
Aqua fortis Euon. *l.* 1. *p.* 142.
Sublimati & vitrioli destillatio. *Id l.* 2. *p.* 147. *F.*
Oleum è fimo canis. Idem *l.* 2. *p.* 295.
Oleum è stercore humano. Idem *l.* 2. *p.* 82. *M.*
Oleum juniperi, Idem *l.* 2. *p.* 287. *F.*
Aqua composita Euonymi *cancrum omnino & ignem* sedans *l.* 1. *p.* 157. *M.* & *l. eod. p.* 245. *F.*
Aqua tormentillæ. Idem *l.* 2. *p.* 81. *P.*
Aqua philosophorum secunda. Idem *l.* 2. *p.* 120. *M.*
Alchali arsenici A. Libavii *Alch. l.* 2. *tr.* 2. *c. de alchali compositis.*
Oleum vitrioli. Euon. *l.* 2 *p.* 390. & 391.
Oleum magnificum Euonymi *l.* 2. *p.* 132. *F.*
Oleum è ranis. Chalmetæus apud Vecherum.
Unguentum è realgare Paracelsi *Chir. parv. l.* 2. *c.* 7. & Dorn. *p.* 186.
Causticum Floravanti *l.* 1. *chir. c.* 120.
Essentia antimonii Florav. *l.* 2. *capr. c.* 60.
Oleum salis. Crollius *p.* 153. *n.* 4.
Emplastrum stypticum Crollii *p.* 270. *n.* 8.
Lapis medicamentosus ejusdem *p.* 272. *num.* 9.
Sperniolæ compositum ejusdem *p.* 297. *n.* 5.
Sal Saturni. Idem *p.* 271. *n.* 11.
Medicamen Quercetani *Sclopet. par.* 11. *c.* 4. *F.*
Arsenicum ter sublimatum & præparatum. Idem *spag. præp. c.* 7. *F.*
Noli me tangere. Medicamentum Euonymi *l.* 1. *p.* 347. *P.*
Destillatio ejusdem *l.* 1. *p.* 352. *P.*
Oleum juniperi. Idem *l.* 1. *p.* 322. *F.*
Arsenici præparati medicamentum Philippi Mulleri *l.* 3. *c.* 5.
Malo mortuo medicamentum Euonymi *l.* 1. *p.* 322. *F.*
Oleum juniperi. Idem *l.* 2. *p.* 287. *F.*
Cauterium Paracelsi *l. de apost. c.* 8. & Dorn. *p.* 92. *P.*
Moro aqua fortis. Euon. *l.* 2, *p.* 147. *F.*
Mistura Paracelsi *l. de apost. c.* 45. & Dorn. *p.* 114. *P.*

Ulceribus vetustis Anthos Paracelsi *Chir. parv. l.* 3. *c.* 3.
Fistulæ oleum sulphuris. Monachi in Mesuem.
Oleum Lullii. Euonym. *l.* 1. *p.* 346.
Oleum plumbi. Libavius *Alch. l.* 2. *tr.* 2. *cap. isto.*
Oleum juniperi Diod. Euchyontis *Polych. l.* 2.
Aqua exstillata è multis. Euon. *l.* 2. *p.* 114. *F.* & 115. *F.* & 116. *M.*
Aqua balsamica Euonymi *l.* 2. *p.* 136. *P.* Alia *l.* 2. *p.* 143. *M.* Alia *l.* 2. *p.* 145. *P.* Alia *l. eod. p.* 146. *M.* Alia *l. eod. p.* 147. *M.* Alia *l. eod. p.* 148. *M.* Alia *l. eod. p.* 149. *M.* Alia *l. eod. p.* 297. *M.*
Oleum salis. Crollius *p.* 153. *n.* 4.
Emplastrum stypticum Crollii *p.* 270. *n.* 8.
Saccharum seu sal Saturni. Crollius *p.* 275. *n.* 11.
Medicamen Quercetani *Sclopetar. c.* 4. *F.*
Præcipitatum cum butyro. Quercet. *de spag. med. præpar. c.* 6.
Æs calcinatum & præparatum. Idem *l. eod. c.* 4.
Arsenicum ter sublimatum. Idem *l. eod. c.* 7. *F.*
Ceratum metallicum Paracelsi *l. de præpar. auripigmenti.*
Potio pro *fistulis exsiccandis* ejusdem *Chir. magn. par.* 3. *l.* 7. *c.* 1.
Oleorum ferri, Saturni, Mercurii mistura. Idem *Chir. mag. par.* 3. *l.* 7. *c.* 1.
Fistulæ lacrimali aqua exstillata è caprimulgo. Paulus Spinellus pharmacopœus.
Ulceribus syphiliis unguentum Paracelsi *Chir. parv. part.* 4. *l.* 10. & Dorn. *pag.* 269. *P.*
Aliud Bovii *libro*, qui inscriptus est *Fulmen*, *p.* 51. *A. B.*
Lapis medicamentosus Crollii *p.* 271. *n.* 3.
Unguentum Floravanti *l.* 2. *capric. c.* 41. *p.* 136.
Ulcusculis oris & *exasperationi ab illitu argenti vivi* profectis oleum sulphuris cum aq. rosf. vel plantag. contemperatum mirifice profuit nostrisque plurimis experimentis.
Oleum salis nitri. Jo. Vecher. *synt. med. l.* 1. *par.* 3. *p.* 240.
Ulceribus cum carie ossis oleum calcis. Sylvius.
Oleum vitrioli. Fallopius, Aquapendens. Crato.
Compositio Quercetani *Sclopet. c.* 3. *circa F.* & *p.* 113. & alia

alia ejuſdem apud Vecherum *Antid. ſpecial. l. 2. c. de linim. carnem generantibus p.* 891. &c.

Ulceribus dolentibus aqua regia Floravanti *l.* 2. *Capric. cap.* 10.

Rhagadibus oleum ceræ. Beguinus *p.* 251.

Oleum lateritium. Euon. *l.* 1. *p.* 406. & *l.* 2. *p.* 303. *P.*

Item oleum terebinthinæ. Idem *l.* 2. *p.* 270. *M.*

Rhagadibus & *pernionibus* oleum rapi. Idem *l.* 2. *p.* 258.

Oleum plumbi cum vino. Guertæus *p.* 218. *F.*

Oleum ovorum. Jo. Beguinus *eo cap.*

Ulceribus partium.

Cutis excoriationes cicatriſat oleum fraxini. Euon. *l.* 2. *p.* 287.

Incendioſæ urinæ aqua florum ſambuci. Id. *l.* 2. *p.* 81.

Lepræ aqua peculiaris ejuſdem *l.* 2. *p.* 140. *F.*

Oleum ſalis. Crollius *p.* 151. *n.* 2.

Tineæ oleum magnificum Euonymi *l.* 2. *p.* 132.

Item oleum ex ovis compoſitum. Idem *l.* 2. *p.* 297.

Item oleum ex fimo puerorum. Idem *l.* 2. *p.* 295. *P.*

Lapis medicamentoſus. Crollii *p.* 272. *n.* 8.

Auribus purulentis deſtillatio Euonymi *l.* 1. *p.* 351.

Narium ulceri fœtido aqua ejusdem *l.* 2. *p.* 136. *M.*

Oris ulceribus & quæ ab hydrargyrii medicamento ſunt, oleum ſulphuris. Idem *l.* 1. *p.* 176. Dilues hoc aqua roſacea.

Aqua fortis. Idem *l.* 2. *p.* 141.

Sal Saturni. Crollius *p.* 274. *n.* 2.

Oleum vitrioli. Petrus Caſtellus *epiſtola* 8.

Gingivarum putredini aqua deſtillata Euonymi *l.* 2. *p.* 136. *M.*

Gutturis ulceribus ſpiritus aluminis cum ſinapi. Beguinus *Tyroc. chymico.*

Mammarum ulceribus ſal Saturni. Crollius *p.* 274. *n.* 12.

Veſicæ excoriationi oleum lateritium. Euonymi *l.* 2. *p.* 406. *M.*

Ulceribus partium laxarum & mollium, linguæ, labiorum, palati, mentulæ, vulvæ, ani, liquores adſtringentes ſunto præſcripti; ut oleum tartari, oleum è reſoluta aluminis fæce, aqua aluminoſa, oleum ferri.

Peritonæi rupturis emplaſtrum ſtypticum Crollii *p.* 270. *n.* 10.

Extractum ſymphyti. Vecher. ex Euonymo, nec non Quercetanus *in Pharmac. reſtituta.*

Vesicæ cervicis oleum myrrhæ. Rubeus *l. de destillat. sect.* 3. *pag.* 152.

Urinæ incendiosæ idem. Rubeus *ibid.*

Fracturis.

Ossibus fractis & *vitiatis* aqua vitæ Euonymi *l.* 1. *p.* 131. *B.*

Calvariæ fractæ linimentum 2. Quercet. apud Vecherum *Antid. spec. c. de linimentis pag.* 890. *F.* & 891. *P.* & *p.* 939. etiam 2.

Callis fractis indurandis crocus Martis catagmaticis immistus. Quercetan. *Sclopet. part.* 2. *c.* 3. *p.* 112. *P.*

Ossi vitiato medicamentum Quercet. *Sclopet. part.* 2. *c.* 3. *p.* 112. *F.* & 113. *P.* 2.

Ossibus vitiatis & *spinæ ventosæ* essentia serpentium & oleum caphuræ. Guertæus *in appen. p.* 216. *P.*

Ossi eroso oleum plumbi. Idem *ib. pag.* 217. *P.*

Dentibus cariosis aqua è radice pyrethri. Hier. Rubeus *l. de destillat. sect.* 3. *pag.* 140.

Ossa vitiata & *corrupta* extrahens aqua ἑλκόςα Euonymi *l.* 1. *p.* 359. & *l.* 2. *pag.* 117. *M.*

Doloribus.

Dentium dolori aqua hyssopi. Euon. *part.* 1. *p.* 57.

Aqua vitæ. Idem *l.* 1. *p.* 231.

Oleum è lateribus. Idem *l.* 1. *p.* 363. & *l.* 2. *p.* 407.

Oleum balsami. Idem *l.* 1. *p.* 351.

Oleum magnificum. Idem *l.* 2. *p.* 132.

Aqua laudatissima ejusdem *l.* 2. *p.* 136.

Aqua regia Floravanti *l.* 2. *Capric. c.* 10.

Oleum ceræ. Guertæus *in Append. p.* 247.

Oleum caphuræ. Rulandus.

Oleum succini. Crollius *num.* 13.

Odontalgicum ejusdem *p.* 198. *F.* & *p.* 199. *P.*

Sal absynthii. Codronchius *libro proprio p.* 302.

Hæmorrhoidum dolori balsamum sulphuris, quod paratur ex floribus sulphuris & spiritu terebinthinæ commistis. Secretum & usu comprobatum à Roderico Fonseca *tom.* 1. *cons.* 27.

Oculorum dolori à qualibet causa oleum rutæ. Euon. *par.* 1. *p.* 305.

Lapis

Lapis medicamentoſus Crollii *p.* 271. *num.* 5.

Nervoſarum partium & *articulorum doloribus* oleum è lateribus. Euon. *l.* 1. *p.* 369.

Oleum terebinthinæ. Quercet. *ſpagyr. præp. c.* 3.

Diſciſſorum dolori oleum ovi. Euon. *l.* 2. *p.* 297.

Calidis doloribus butyrum caphuræ. Baricellus *l.* 3. *de ſero*, ex Libavio.

Doloribus è cauſa frigida oleum terebinthinæ· Euon. *l.* 1. *p.* 316. *P.*

Oleum juniperi. Idem *l.* 1. *p.* 322.

Oleum ſulphuris. Idem *l.* 1. *p.* 344.

Oleum lateritium. Idem *l.* 1. *p.* 370. *F.*

Mater balſami. Idem *l.* 2. *p.* 131. *M.* & 132. *F.*

Unguentum magnum Floravanti *l.* 2· *Capric. c.* 41.

Doloribus omnibus oleum ceræ. Schenck. *l.* 2. *c. de arthrit. p.* 755. *c.* 1. *M.*

Dorſi doloribus butyrum caphuræ. Baricellus *l.* 3. *de ſero*, ex Libavio.

Articulorum doloribus oleum è ligno hederæ. Euon. *l.* 1. *p.* 326.

Oleum ceræ. Geſtnerus, Andernacus, &c.

Mater balſami. Euon. *l.* 2. *p.* 131.

Oleum ex oſſibus humanis. Idem *l.* 2. *p.* 294.

Aqua ſpermatis ranarum. Solenander *ſect.* 4. *conſ.* 24.

Iſchiadi oleum è ſtyrace. Querc. *ſpagyr. med. præp· c·* 3.

Iſchiadi & *aliorum articulorum doloribus* oleum florum anthos. Euon. *l.* 2. *p.* 248.

Podagræ Crollii unguentum anodynum *p.* 246. *M.*

Sperniolæ medicamentum ejuſdem *p.* 277. *num.* 7.

Aqua ebuli, ivæ arteticæ, & verbaſci. Quercet. *de dogm. med. præp. c.* VII.

Paralyſi oleum Guertæi *p.* 217·

Oleum è lateribus cum additione viperæ. Rub. *de deſtill. ſect.* 2.

Oleum Quercetani *in Sclopet. c.* 5.

Alia Jo. Finchii *in Enchiridio Hermetico-dogmatico.*

Seminis profluvio acetum ſtillatitium cum acore citri. Rubeus *de deſtillat. ſect.* 3. *p.* 153.

Go-

Gonorrhœæ vetustissimæ butyrum caphuræ. Baricellus *l.* 3. *de sero*, ex Libavio.

Vulneribus.

Partium omnium communiter oleum Gulielmi è Saliceto *s. chir. c. de ol. balsami*, quod descripsit & Euonymus *lib.* 1. *p.* 340. *M.*

Aqua balsamica Euonymi *l.* 1. *p.* 346. Alia *l. eodem p.* 394. *P.*

Aqua tormentillæ. Idem *l.* 2. *p.* 81.

Aqua balsamica ejusdem *l.* 2. *p.* 114. & 115. Alia *ib. p.* 116. *P.*

Præcipitatum hydrargyri cum auro. Idem *l.* 2. *p.* 163. *P.*

Aqua Angli. Idem *l.* 2. *p.* 194. *F.*

Aqua pretiosa ejusdem *l.* 2. *p.* 198. *P.*

Aqua ceræ novæ. Idem *l.* 2. *p.* 218. *P.*

Aqua balsami ejusdem *l.* 2. *p.* 220. *P.*

Oleum juniperi. Idem *l.* 2. *p.* 287.

Oleum terebinthinæ. Idem *l.* 2. *p.* 271. *F.*

Oleum caryophyllorum. Idem *l.* 2. *p.* 263. *F.*

Oleum hyperici compositum ejusdem *l.* 2. *p.* 240. *M.*

Oleum è lateribus. Idem *l.* 2. *p.* 302. *F.*

Oleum mastiches. Quercet. *spag. med. præpar. c.* 3.

Balsamum artificiale Floravanti *l.* 2. *Capr. c.* 4.

Flos Veneris. Libavius ex Paracelso *l.* 2. *Alchim. tr.* 2. *c. de flore Veneris.*

Oleum vulnerarium è stibio Phil. Mulleri *l.* 3. *c.* 2. *difficilibus* præsertim laudatum.

Elixir proprietatis Paracelsi Crollius *p.* 172. *num.* 17.

Oleum vice balsami serviens Euonymi *p.* 2. *p.* 228. *F.*

Oleum Fallopii. Idem *l.* 2. *p.* 224. *F.*

Sal Saturni. Crollius *p.* 274. *num.* 5.

Oleum ceræ. Guertæus *in append. p.* 246. *M.*

Oleum antimonii. Parac. *Chir. min. l. de præp. antimonii*, & *Chir. magn. par.* 1. *l.* 2. *c.* 9.

Emplastrum stypticum ejusdem apud Dornæum *p.* 251.

Oleum è butyro nostra observatione mirabile.

Viride oleum vitrioli, vel oleum lateritium, & lotione & infusione curat *vulnera.*

De-

Destillatio Paracelsi *l. de præpar. terebinthinæ*, quæ est ℞. terebinth. ℔j aristol. rot. ℥iiij lumbric. terrestr. ℥vj Destilla. Alia duo *ibidem*.

Balsamelæa varia apud Vecherum *antid. special. c. proprio*, item apud Euonymum *l. 2. c. de bals. ol. & aquis*.

Oleum benedictum Floravanti *l. 2. Capric. c.* 43.

Unguentum vulnerarium Paracelsi *Chir. mag. par.* 4. *l.* 10. quod est & apud Dornæum *p.* 267.

Oleum ex terebinthina & cera. Fallopius *in Secretis* Italice conscriptis.

Oleum è balsamo orientali. Porta *l.* 5. *destill. c.* 6.

Pulvis ex cupro chymice præparato. Paracelsus *Chir. magn. par.* 1. *l.* 2. *c.* 9. quod est & apud Dornæum *in praxi med. restit. p.* 261.

Alius pulvis conglutinans Paracelsi *Chir. magn. par.* 1. *l.* 2. *c.* 7. & apud Dorn. *p.* 259.

Alius pulvis Paracelsi *l. de præpar. ex magnete*, quem describit Dornæus *in pr. rest. med. p.* 240.

Vulnerum cura per lithargyri & hydrargyri præparatum. Dornæus *ex Paracelso p.* 255.

Curatio magnetica Paracelsi *l. de præpar. persicariæ*, apud Dorn. *p.* 240.

Item ejusdem *ex l.* 9. *Archidox.* medicamen, quod ℞. Samech (i. e.) tartarum optime combustum & in albedinem calcinatum, cui circulatum adde minus. Destilla postmodum, ut siccissimum caput maneat in fundo mortuum, utque vitrum omnino candeat. Postea recens affundes iterum, ut prius. Idque tamdiu feceris, donec circulatum ab eo dulce prorsum recedat, ut est in seipso. Tandem resolvi sinas per se ipsum. Quod resolutum erit, hoc est remedium in *vulnus*: quod *balsamum ad vulnus* intitulari potest.

Oleum terebinthinæ. *Polychym. l.* 2. §. 34. & Jo. Beguinus.

Oleum lateritium. Paracelsus *Chir. mag. par.* 1. *l.* 2. *c.* 15. ac Dornæus *in l. prax. med. restitutæ pag.* 265.

Oleum olivarum chymice præparatum. *Polych. l.* 2. §. 41.

Oleum ovorum. Joannes Beguinus *Tyroc. chymic. c.* 6.

Oleum myrrhæ.

Oleum frumenti.

Oleum ceræ. Beguinus.

Arsenici balsamum aut oleum fixum per sal urinæ, deinde in oleum per se ipsummet conversum. Paracelsus *chir. parv. l.* 2. *c.* 17.

Aquæ vulnerariæ Quercetani *l. de dogmat. medic. præpar. p.* 205.

Aqua vitæ Arnaldi *doctr.* 5. *c.* 17. *aph.* 3.

Aqua ardens commaceratæ liquiritiæ nobis usitata, itemque & commacerati thuris contriti.

Aqua destillationis primæ thuris.

Potiones vulnerariæ Quercetani *in Sclopetario c. proprio p.* 149.

Paracelsi potio apud Dornæum *l. prax. med. restit. p.* 258. & 259.

Vulneribus contusis oleum lateritium. Euon. *l.* 2. *p.* 407. *M.*

Balsamelæum ejusdem *l.* 2. *p.* 220.

Aqua Angli ejusdem *l.* 2. *p.* 195. *P.*

Oleum ceræ. Guertæus *in append. p.* 247.

Aqua cinerum Floravanti *l.* 1. *chir. c.* 119. & Georg. Phædron *Furn.*

Oleum resinæ pinus. Florav. *chir. l.* 1. & *discurs. c.* 26.

Vulneribus partium.

Vulneribus partium internarum aqua centaurii. Euon. *par.* 1. *p.* 204.

Capitis & *pectoris vulneribus* oleum aloës. Paulus Spinellus pharmacopœæ scriptor.

Fractis ossibus excludendis & desquammandis præcipitatus cum rhodomelite. Jos. Quercetanus *l.* 2. *Sclopet. c.* 1. *p.* 52.

Cerebri membranæ vulneribus oleum ovorum. Fallopius *l. de vuln. cap.* & Beguinus *Tyr. chym.*

Faciei vulneribus medicamentum Quercetani *in Sclopet. c.* 2. *p.* 101. *M. F.*

Oculorum vulneribus medicamentum è cancris. Crollius *pag.* 198. *P.*

Cordis vulneribus Guertæus auri essentiam ut expertum professus est *in Appendice pag.* 217. *F.*

Pudendorum ulcera aqua vitæ curat. Lullius apud Euonymum, ubi *de aq. vitæ.*

Ar-

Articulorum & *ligamentorum vulneribus* medicamenta Euonymi *l. 2. p. 215.*

Musculorum vulneribus oleum ceræ & terebinthinæ.

Nervorum vulneribus liquor magnus Floravanti apud Euon. *l. 2. p. 131. F.*

Emplastrum stypticum Paracelsi apud Dornæum *pag. 251.*

Oleum butyri. Baricellus.

Vasorum vulneribus crocus Martis.

Liquor magnus Floravanti.

Venarum orificia aperit oleum philosophorum. Jacobus à Partibus *in Summula medicamentorum indicatrice.*

Membranarum capitis vulneribus medicamentum Quercetani *Sclop. p. 95.*

Sclopetorum vulneribus medicamenta Quercetani *præpar. spagyr. p. 77. F.* & *l. de dogmat. præpar. p. 231.*

Venenatis vulneribus arsenici præparatio. Quercetanus *l. de spag. med. præp. c. 7. F.*

Alia plura ejusdem apud Vecherum *Antid. speciali c. de ungu. minus usual. pag. 943.*

Oleum vitrioli. Quercet. *de spag. med. præpar. c. 5.*

Præparatio lapidis Armeni & cyanei. Idem *de spag. præpar. c. 9.*

Butyrum arrhenici. Baricellus *l. 3. de sero*, ex Quercetano.

Morsibus ferarum. Canis rabidi morsibus præparatio sulphuris, & extractio ex vitriolo per calcinationem. Parac. *Chir. magn. par.* 1. *l. 3. c. 1.*

Emplastrum stypticum Crollii *pag.* 270. *num. 6.*

Morsibus ferarum oleum rutæ. Porta *lib. 3. de destill. cap. 19.*

Serpentium ictibus oleum calamenthi. Idem *lib. eod. cap. 13.*

Item oleum piperis. Idem *l. 4. destill. c. 5.*

Ictibus bestiolarum aculeatis oleum anisi. Idem *l. 3. destill. c. 21.*

Ambustis aqua Euonymi *l. 1. p. 174. F.*

Oleum plumbi. Idem *ibid.*

Oleum ex ovis. Idem *l. 2. p. 297. F.* & *298. P.*

Lapis medicamentosus Crollii *pag. 272. num. 13.* & *pag. 274. num. 6.*

Aqua ex filicis foliis & radice. Querc. *de dogm. med. præp. c.* 7.

Aqua Quercetani *Sclopetar. part.* 1. *c.* 6. & medicamen aliud, forma linimenti *p.* 85. *P.* & aliud *part.* 2. *c.* 2. *P.* & *Antidot. Spagyrico pag.* 148. & *l. de dogm. medic. præpar. p.* 205.

Oleum ovorum. Euonym. *l.* 2. *p.* 297. *F.*

Linimenta varia Quercetani apud Vecherum *Antidot. speciali c. de linim. pag.* 893. & 894.

Vulnerum symptomatis variis.

Putredini vulnerum oleum salis. Crollius *p.* 150.

Item emplastrum stypticum ejusdem *pag.* 266. *F.* & Querc. apud Vecherum *Antid. special. pag.* 932. *M.*

Tumori, inflammationi, Contracturæ & *Contusioni*, balsamum vulnerarium Crollii *pag.* 266. *num.* 2. & *p.* 267. *P.*

Hæmorrhagiæ sperniolæ. Crollius, *pag.* 276. *M.* & *num.* 3. Quercet. *Sclopet. c.* 5. *p.* 65. 66. & *Antid. spagyr. pag.* 148. *P.*

Item medicamentum Quercetani apud Vecherum *Antid. speciali c. de ung. minus usualib. pag.* 928. *F.* & 929. *P.*

Oleum vitrioli. Laurentius Hofmannus *l. de usu med. chym.*

Oleum Corallorum, Vecher. *synt. medic. lib.* 3. *part.* 3.

Crocus Martis. Parac. *chir. min. pag.* 204. *M.*

Sanguinis conglobatui aqua scabiosæ. Euon. *l.* 2. *p.* 79.

Oleum mastiches. Quercet. *Sclopet. c.* 5. *p.* 139. *M.*

Dolori oleum de croco. Decius Fortis pharmacopœus.

Emplastrum stypticum Crollii *pag.* 270. *num.* 9.

Spasmo oleum sanctum Euonymi *l.* 2. *p.* 205. *P.*

Oleum terebinthinæ. Idem *l.* 2. *p.* 275. *M.*

Oleum succini. Crollius *p.* 192. *num.* 3.

Oleum ceræ. Guertæus *Append. p.* 246. *M.*

Convulsis medicamentum Quercet. apud Vecher. *Antid. spec. c. de linim. p.* 888. *F.*

Vulneri infixis extrahendis emplastrum stypticum Crollii *pag.* 270. *num.* 5.

Extrahendis è plaga Sclopetaria granulis medicamenta Quercet. *in Sclopet.*

FINIS.

POLYCHRESTA

MEDICAMENTA CHYMICA

In Externam medicinam selecta, primum quæ sunt ex metallis philosophice præparatis.

EX BERNARDO PENOTO

& aliis.

CHIRURGICO-CHYMICES

PARS TERTIA.

Aurum diaphoreticum.



ancrum utrumque & *ulcera omnia* atque *apostemata interna* curat. Contra *omnia veneni genera* remedium est præstantissimum, & contra *morbos omnes desperatos* atque à medicis destitutos; modo non sit humidum in homine prorsus extinctum. Itaque & à *lepra* mundat, & *hydropicis* subvenit, cum oleo hellebori ac sulphure, dictante Raimundo. *Podagræ* quoque atque *elephantiasi*, *ulceribus quibusque malignis*, & *contagio venereo* auxiliatur, sententia Paracelsi.

Argentum chymice præcipitatum.

Gr. viij. *hydropem* curat. Ex quo metallo extractum oleum *fistulis* & *cancro* medetur sine ullo dolore.

Stannum philosophicum.

Remedium est *lepræ*, *morpheæ*, *serpiginum*, *macularum faciei*. *Tuberculorum oculorum inflammationes doloresque* sedat. *Oculis membrana obductis* illitu per pennam auxiliatur. *Ulcera*

omnigena ſine ullo dolore ad cicatricem perducit, etiamſi *vetuſta* & *maligna* ſint: *recentia* vero intra diem naturalem perſanat. *Tumorem* diſſipat: & *contagium venereum ejuſque ſymptomata* pellit.

Oleum ſtanni paratum à Vechero *in ſynt. med. ulcera* & *vulnera recentia* Hor. 24. perſanat.

Æs philoſophorum.

Narium ſarcomata & *polypos*, item *excreſcentes gingivarum carunculas* & *quarumlibet partium omnes* eximit. *Cicatricem*, *offuſamque oculorum caliginem* emendat. *Tonſillas extuberantes & columellam dilapſam* reprimit. *Sedis vitia* depellit. *Furunculum in collo veſicæ* curat, cum oleo ceræ emplaſtro idoneo commiſtum. *Lepras* & *Scabiem* quantumvis *difficilem* curatu abigit, cum nitro & cera miſtum *Papularum eruptiones* cum vino cohibet. *Alphum* profligat, & *fœditates omnes* emundat. *Nomas* ſiſtit. *Cancroſis* & *ſerpiginoſis*, *noli & cacoëthis quibuslibet ulceribus* & *fiſtulis* medetur. *Callos* exterit. *Plagas* cum oleo & cera cicatrice obducit. *Vulnera* ab inflammatione tuetur.

Oleum æris à Vechero paratum *in ſynt. med. cancrum*, *phagedænas*, *fiſtulas*, *gangrænas*, *ulcera maligna* curat.

Ferrum philoſophice præparatum. & *Crocus Martis.*

Alopecias replet: *gingivas* firmat, ſtabilit, roborat: *ſcabiem genarum* exæquat: *igni ſacro* ac *Perſico* illitum ex aceto reſiſtit: *papulas* & *eruptiones* diſcutit: *leproſis*, *cancroſis*, *fiſtuloſis*, & *ſerpiginoſis*, *nomis* & *lupo* ſuccurrit: *ſanguinem unde libet profluentem*, quod & oleum chalybis facit, coërcet *plagas* conglutinat & obducit.

Plumbum operæ philoſophicæ.

Ambuſtis igne, aqua, oleo, quacumque re excoquente, ſubvenit. *Hæmorrhoidas* curat. *Excreſcentias in carne* cohibet. *Ignem ſacrum* aut *Perſicum* reſtinguit. *Cava quæque* explet.

San-

Sanguinem noxie profluentem cohibet. *Ulceribus putridis* & *cancrosis* obſiſtit.

Oleum plumbi.

Ophthalmiæ & *epiphoris* medetur. *Tumorem ex calida intemperie* profectum cum oleo chamæmeli diſcutit. *Inflammationes* inſuper & *ambuſta* reſtinguit ex panniculo cæruleo adhibitum. *Vulnera ulceraque cava* & *maligna* brevi explet, balſamum pretioſum utrorumque oleo terebinthino permiſtum.

Oleum & ſal Saturni ex præparatione Georgii Phædronis *ex libro*, qui *Furnus* dicitur, deſcriptum *externa* & *deſperata mala cancroſaque ulcera* ſanat.

Oleum plumbi à Vechero *in Synt. medic.* paratum *ulcera* & *vulnera deplorata* brevi curat. *Convulſis* & *reſolutis* cum oleo terebinthinæ medetur. *Tumores* cum oleo chamæmelino diſcutit. *Inflammationes* & *ambuſta* reſtinguit.

Balſamum ex plumbo,

Hujus parandi rationem docuit idem Penotus: quod probavit *ulceribus: cancro*, *vitio* quod dixerunt *noli me tangere*, *vulneribus* & *plagis* adhuc *cruentis* calidum adhibitum, *polypo*, atque *aliis*.

Oleum dulce Mercurii.

Morbo Gallico univerſim prodeſt. Georg. Phædron *Jatrochym.*

Item, *cancrum*, *fiſtulas*, *ſerpiginem*, *ulcera ſerpentia*, *tubercula ſquammoſa* tollit; *durities* emollit; *ſcabiem*, *aliaque cutis vitia ex lue venerea* ſanat. Jo. Vecher. *l.* 1. *ſynt. med. part.* 3. *pag.* 248.

CHI-

CHIRURGICO-CHYMIATRICA POLYCHRESTA alia ex ſemimetallis.

Oleum ſulphuris.

Martini Rulandi experimentis remedio eſt *Capillorum defluviis. Porrigini. Achoribus. Puſtulis faciei fœdis. Faciei tumoribus. Auris abſceſſui* atque *ulceri. Surditati. Vulneri veſicæ. Herniæ aquoſæ. Teſtium tumori. Secundis retentis. Uteri gangrænis* cum emplaſtro diaſulphuris. *Chiragræ. Ulceribus oris. Verrucis.* Item, aliis *omnibus Gallicis.* Item, *phymatis frontis* & *puſtulis. Scabiei manuum*, & *faciei*, & *cervicis. Impetigini. Tumori ſcirrhoſo* cum diaſulphure. *Tophis* cum diaſulphure. *Strumæ. Ganglio. Buboni. Eryſipelæ pedis. Hyperſarcoſi Ulceribus* & *abſceſſibus malignis. Vulneri. Uſturæ.*

Balſamum ſulphuris.

Secundum Rulandum medetur *phlegmonæ* communiter. *Paronychio. Vulneribus. Aurium dolori.*

Oleum ſuccini.

Secundum Rulandi ſententiam ſuccurrit *Partui difficili. Fœtui mortuo propellendo. Secundis extrahendis* oleum ſuccini & juniperi valet.

Oleum Heraclinum.

Martini Rul. experientia medetur *Canitiei. Phthiriaſi. Spaſmo cynico. Odontalgiæ. Ranulæ. Linguæ verrucis. Anginæ. Iſchuriæ* umbilico inunctum. *Partus difficultati* umbilico inunctum. *Fœtui mortuo expellendo* umbilico inunctum & guttis 20. potum. *Secundis retentis. Ulceri deſperato crurium.*

Oleum è lithargyro.

Vecherii traditione *in Synt. med.* paratum *tumores*, *exulcerationes*, *ambuſta*, *dolores ex intemperantia calida* ſanat.

Ole-

Oleum auripigmenti ex Jo. Vecheri synt. med. lib. 1. *part.* 3. *cap. de medic. artific.*

Elephantiasin abigit. *Ani ulceribus*, & his, quæ *cicatricem ægre ducunt*, prodest. Purgat, extrahit, siccat. *Suppurationes* discutit. *Excrescentias* reprimit. *Pilos* evellit. *Ulceribus narium orisque* conducit. *Ulcera serpentia*, &c. curat.

Olei sulphuris vires ex Bern. Penoti traditione sunt hæ.

Vim habet attrahendi peculiarem: non mediocrem vero *tumorum* & *vomicarum materias* absumendi atque exsiccandi: *duritias*, *nodos*, *callosque* remolliendi, extenuandi, concoquendi: *sordida* detergendi atque expurgandi. Ad summum adeo efficax est contra *putredinem*, ut neque vivum corpus, neque mortuum ad hanc transire sinat; sed adeo integre tuetur, ut nulla, vel cœlestis impressio, vel ab elementis profecta corruptio, vel ab ipso jam ortu inducta obesse possit.

Valet ad *pityriasin*, id est, *furfurationem capitis*, intincto laneo panno. *Canitiem* emendat. *Cranii* atque *aliorum ossium fragmenta* extrahit. *Aurium dolores*, *ulcera*, *vermes*, *aliaque vitia* pellit: *ipsasque* etiam *contusas* curat. *Oris ulcula*, *faciei pustulas rubras*, *variolas*, *lichenes*, *lentiginem*, *morpheam* delet. *Rimis labiorum* & *aliis*, *tuberculo sub lingua infantium*, *strumisque* illitum medetur. *Dentium dolores* decocto menthæ ternis guttulis infusum calido buccatu finit, *ipsosque luridos* tergit.

Mammarum duritias nervorumque nodos & varices exæquat. *Bubones lentos* ex madido laneo panno mediocriter accendendo provocat. *Fissuras ani*, *fistulas*, *apostemata*, *pruritum*, *procidentiam*, *cæcarum hæmorrhoidum dolorem*, *aliaque vitia* illitu levi persanat. *Dolores luxatis spasmumque* levat. *Paronychium* atque *alios abscessus* suppurat & rumpit. *Perniones* fovet.

Cutis fœditatem, *scabiem*, *contusiones*, *varos*, *verrucas* eximit. *Ulcera putria* ac *vetusta* & usque *cancrum* depurgat & obducit. *Vulnera* glutinat, etiam maxime *cava* & *profunda*, *carnem* mire & citissime procreans. *Ambustis* ex quolibet ignis

modo ſuccurrit. *Venenatis ferarum morſibus* occurrit. *Hydrargyrium* his, qui *veneream contagem* paſſi eo inuncti ſunt, ab *intimis oſſium medullis* evocat.

Olei ſalis vires ex Bernardo Penoto.

Putridis ulceribus ac *vulneribus vitium* una hora conſumit. Cum oleo ceræ vel terebinthinæ *dolores podagricos* & *tophos* diſcutit: *membra convulſa* reſtituit: *abſceſſibus* medetur: *ramices* curat. *Aquam inter cutem* conſumit. *Phagedænas genitalium* & *nomas* frænat. Ad *purulentas aures* efficax eſt. *Oculorum hebetudines*, *albugines*, & *cicatrices* delet.

Oleum de lateribus ſive oleum benedictum Diod. Euchionis ſententia l. 2. Polychymiæ c. 9. has habet vires.

Calidum eſt quarto gradu. Balſamum naturale ſua partium ſubtilitate refert, attrahit, rumpit; & *variis morbis*, præcipue autem quorum *cauſa frigida eſt*, brevi tempore ſuccurrit. Ad *refrigerationem membrorum totius corporis*, *capitis*, *cordis*, *manuum*, *pedumque*; inunctum hoc oleum valet.

Ad *contuſiones carnoſarum partium & percuſſiones* inungitur, non ſolum in homine, ſed in quocunque alio animali.

Ad *impotentiam motus ex frigiditate manuum atque pedum*, velut accidit tempore hiberno.

Ad *recalefaciendum nervos refrigeratos*, vel ab *apoplexia*, vel *accidentaria cauſa frigida*. Et ſimiliter iis valet, quibus *manus & caput tremunt*, reſoluto nimirum & conſumto calore naturali.

Confert etiam *iis*, *qui per frigora ad motus ſe habent ineptos:* quemadmodum *&* iis, quibus *Strumæ collo*, *ſub alis*, *partibuſque aliis* adnateſcunt.

Ad *podagram frigidam*, & *pedum ad ambulandum imbecillitatem*; præterea quibus *collum inflatum* aut *humidum* eſt, *cum calore & difficultate movendi.*

Omnes omnium partium dolores demulget.

Contra *vermes aurium* efficaciſſimum eſt, ſive *vivi*, ſive *mortui* ſint.

Dolores ventris ex percuſſione emitigat.

Omnia apoſtemata, ſive *cruda*, ſive *concocta* ſanat: *cruda* ad

ad maturitatem perducit, atque digerit; idque magis, si radices liliorum alborum, vitellum ovi, cæpæ coctum sub cineribus calidis, addideris, & emplastri forma imposueris.

Lienem induratum ex frigido emollit, humectat, & lenit, & calefacit.

Confert ad *oculorum sugillata* immissum cum succo absynthii & temporibus utrinque illinitum & vertici capitis. Sequitur enim immodicam cerebri frigiditatem & malam complexionem videndi imbecillitas & lachrymæ frequentes. Oculorum enim valida, aut debilis actio capitis & cerebri temperaturam prodit.

Ad *capitis tineam* ungendo prodest, quia malos vapores dissipat.

Olei lateritii vires ex Euonymi l. 2. præter enarratas.

Obducit *vulnera*, si congrua incocta planta infectum sit.

Fissuris pedum hibernis medetur. *Excoriatæ vesicæ* aut *urethræ*.

Palpebrarum & *genarum inflationibus*, *doloribus*, & *ruboribus*.

Ictibus venenatis scorpionum, phalangiorum, & anguium.

Dolori sedis & *ani*. *Fistulæ cuivis & ulceri*.

Concreto circa caput sanguini, sive ex abscessu, sive percussu.

Herniosis, si ipsi inuncto absynthium emplastri modo superponatur.

Olei lateritii vires ex Bern. Penoti l. de med. chym.

Oleum laterinum, inquit, convenit *omnibus morbis frigidis*. Est calefactorium, penetrans, dissipans, & discutiens; mollitque *dura*. Medetur autem *paralysi*, *spasmo*, *doloribus dorsi*, *gonagræ*, *podagræ*, *arthritidi*, *nervorum* ad summam *vitiis omnibus*. *Dolorem dentium* in adversam aurem instillatum levat.

Olei tartari vires ex Euonymo. l 2.

Delet *maculas faciei*, *cutem* dealbat, *ruborem alienum* emendat, *pustulas oculorum à lepra profectas* reprimit, *verrucas manuum* ac reliquarum partium eximit.

Oleum tartari ex Euonymi lib. 2.

Vulnerum dolores ſedat, ac perfecte ſanat. Plures admirandas facultates *in ulceribus contumacibus*, *proſerpentibus*, *putribus* & *cancroſis* habet. *Carnem ſuperexcreſcentem* aut *putredinem* eximit *plagis*. *Cancer ne exulceretur*, prohibet: *ulceratum* vero, *ne ſerpat*.

Olei ſalis nitri vires ex Bernardi Penoti l. de nitri præparatione & uſu,

Valens eſt adverſus *vitia cutis omnia*, *puſtulas*, *ſcabiem*, *lepram*, *ſerpigines*, *alphos*, *nævos*, *tubercula*. Rationem ejus parandi deſcribit idem author *libro memorato*.

Olei vitrioli vires ex Bern. Penoto.

Abſceſſus purgat tollitque aqua nympheæ commiſtum. *Cancrum* curat cum endivia: itemque *ulcera cacoëthe*, *fiſtulas*, *herpetas*, *eſthiomenos*, & *phagedænas*; *ſerpigines*, *impetigines*, *puſtulas*, atque omnia *tetra cutis vitia*. *Viſum* acuit cum fœniculo. *Eruptionem ſanguinis è naribus* ſiſtit cum roſis. *Hæmorrhoidas* arcet cum verbaſco. *Veſicæ exulceratæ* ſubvenit cum veſicariæ aqua.

Ex Petri Caſtelli medici Romani libro de 170. olei vitrioli facultatibus, Italica lingua conſcripto.

Ad *lachrymas oculorum involuntarias* cum aqua roſarum aut plantaginis inſtillatum prodeſt. Itemque ad *aurium abſceſſus* atque *ulcera*.

Ad *polypum* & *ozœnas carieſque oſſium* aut *cartilaginum naſi*, quæ à *venereo* ſunt *contagio*, cum aqua plantaginis aut chelidoniæ.

Ad *hæmorrhagiam* cum aqua roſarum naribus attractum, aut cum aqua polygoni, plantaginiſve ex pittaciis fronti applicitum.

Ad *ulcera cacoëthe oris* & *linguæ per ſe*. *Inflammationi* quoque *linguæ*, *gutturis*, *gulæ*. *Columellæ prolapſæ*, vel *ulceroſæ* cum ligni Guajacini decocto. *Vermibus* & *dolori dentium per ſe*.

Gin-

Gingivis humore aut putrilagine luxatis cruentoque earundem affectui, cum aqua plantaginis. *Anginæ* cum aqua nucum viridium, &c.

Ulceribus vesicæ cum aqua equiseti, aut lacte fructuum pineæ. Item, & *limosæ urinæ mictum* impedienti cum aqua hordei, &c.

Morbis cutaneis. Alopeciæ ac *tineosæ scabiei capitis* cum aqua chelidoniæ. *Erysipelæ* & *rubori flammeo faciei* cum aqua portulacæ.

Scabiei, ac *prurigini*, *serpigini*, *lepræ*, cum aqua fumariæ, &c.

Cancro ulcerato, *herpeti*, *esthiomeno*, *phagedænæ*, *gangrænæ*, *sphacelo*, *per se*. *Callis*, *porcis*, *acrochordonibus*, *mariscis*, *thymis*, *ficis*, &c.

Ossium teredini, *fistulis*, *ulceribus corrosivis*, & *penis ulcusculis à venerea contage* profectis, cum aqua rosacea.

Profluviis sanguinis è venis sedis.

Olei auripigmenti vires ex Bern. Penoto.

Cum melle illitum *crassitiem vitiosam partium* extenuat. Terebinthina exceptum *elephantiasin* abigit. *Ani ulceribus*, & his, quæ *cicatricem ægre ducunt*, prodest. Purgandi, extrahendi, siccandi vim habet. *Suppurationes* discutit. Adipe commistum concoquendi remolliendique vim habet. *Crustas* urendo excitat: quæ excrescunt, reprimit. *Pilos* evellit: resina exceptum *alopecias* explet: *pityriasi* medetur. *Narium orisque ulceribus*, *pustularum eruptionibus*, cum rosaceo conducit, *sordidaque ulcera* purgat: itemque *inveterata*, *manantia*, quæ *cicatricem non admittunt*, nec non *fungis similia* sanat, *impuritatemque carnis* consumit. *Ozænis*, *fistulis*, *carbunculis*, *gangrænis*, *carcinomati*, *ramicibus*, *humore contractis*, *nervis præcisis* auxiliatur, unguentis competentibus, linimentis aut oleis admistum, sine his vero cum adhibendum est, ter quaterve illinitur.

Compositiones ex eodem auctore.

Ad *ulcera* simpliciter hoc utitor. ℞. ol. auripigmenti, ol. myrrhæ, ol. terebinthinæ, partibus æquis. M.

Ad *ulcera purganda* & *carne implenda.* ℞. ol. arſenici, hydrarg. ana ʒij. ol. ex vitellis ovorum ℥j. tereb. lotæ ℥ij. litharg. ℥ß. M.

Vel ita. ℞. auripig. ʒiij. ol. vitell. ovor. ʒx. tereb. deſtill. ʒj. M.

Oleum talci ex Bern. Penoto.

Valens eſt ad *ulcera putrida ſordidaque* curanda: quorum *humorem* diſcutit ac *dolores* lenit. *Rugas* explanat, & *cicatrices pulchriores* reddit ac *tenuiores*. Rationem olei parandi facilem ac brevem deſcribit hic auctor.

Oleum caphuræ ex Bern. Penoto.

Camphora duodecies ſublimata per ſe igne leniſſimo ſæpius volutato vaſe tandem vertetur in oleum: quo cum ficu miſto *bubones* diſſipantur, & *gonorrhœa vetuſtiſſima* curatur.

Oleum terebinthinæ ex Euonymi l. 2.

Naribus illitum *ſcabiem earum* & *rimas* delet. *Nervorum vitiis* & *ſpaſmo* commodum eſt. *Vulnera* citiſſime conglutinat. *Plagas* vero *leviores* intra diem naturalem obducit. Cum ſalvia extractum *paralyſin membrorum* curat probate.

Oleum juniperi ex Euonymi l. 2.

Præſtans eſt *in fiſtulis*, *infectionibus cutis*, & *malo mortuo tibiarum*, *ſerpigine*, *cancro*, *vulneribus* atque *ulceribus cacoëthis*.

Oleum è ligno Guajacino ex Baptiſtæ Portæ l. deſtill.

Ulceribus depaſcentibus, *ſcabiei feræ*, *oris plagarum prætumidis* & *calloſis*, *gummi* & *puſtulis ſyphiliis* uſu probatum.

Oleum ovorum cum pyrethro ſtillat. ex Euonymi l. 2. de præparatione.

Oculorum expellit *vitia* vel gutta una inſtillatum. Illita extinguit *fiſtulas*.

Cancrum & *lupum* curat, & *ulcera difficilis conglutinatus*, quæque nullis remediis vinci poſſunt. *Ficus* & *puncturas* quarum-

rumlibet partium, ac *ſcabiem capitis*, (*tineam* vocant,) abraſis pilis cuti affrictum perſanat. Igne *ambuſtis* medetur.

Oleum vero luteorum ovorum per expreſſum igne fervefactorum cum anſeris axungia permiſtum, *dolorem inciſi membri* ac *penis* mirabiliter remittit, ita ut & ſomnum inducat.

Oleum è cera exſtillatum ex Euonymi l. 2.

Cicatricibus gratiam conciliat, *recentibus plagis* nuper *conglutinatis*. *Dura* emollit: *dolores* ſedat tam feliciter, ut quaſi miraculo. Sic *arthritidis podagræque acerbitatibus* cito ſubvenit. *Vulneribus* æque atque *ulceribus* probatum. *Crepita* & *fiſſa labia*, *corroſas vitio papillas* inſtaurat.

Ex Bap. Portæ *l. 5. deſtill. c.* 12. ſententia *dolores nervorem* mulcet, & millecuplatam ſuæ ceræ vim refert.

Emphyſematis diſſipandis belle facit experimento Hier. Fabricii *l. de tumor. c.* 10.

Oleum è melle elicitum ex Euonymi l. 2.

Vulneribus atque *ictibus* belle facit. Si vicies in balneo, ſubaudi Maris, aut Mariæ, quod dicunt, fuerit exſtillatum cum argento probatiſſimi pretii; *viſum* cæcis reſtituit. Quamquam & ſine argento extractum valens ad *oculorum hebetudinem* facit Gentilis *in conſ.* Corpora & carnes à *putredine* tuetur.

Aquæ ardentis, ſive ſpiritus vini facultates ex Euon. l. 2.

Pannos oculorum conſumit: *tenebras ipſorum* pellit: & *humiditatem* exſiccat: *calorem ruboremque* diſcutit: *lachrymas* cogit. *Oculos ſubverſos*, ubi *palpebræ reſolutæ* ſunt, illita reſtituit. *Apoſtemata in gutture* rumpit. *Vulnera*, *cancrum*, *fiſtulam* lotione curat. *Tumores œdematoſos* diſcutit: *quam & œdema magnum fracti capitis abſorpſiſſe* refert Petrus Pigræus *l.* 4. *chirurg. c.* 9. *Nervis* ac *muſculis membriſque algore oppreſſis* auxiliatur: *omneſque affectus dolorificos*, qui in *frigidis humoribus* conſiſtunt, compeſcit ac diſcutit vi calorifica & ſubtilitate penetrandi.

VARIORUM SALIUM MEDELÆ EX BERNARDI PENOTI

lib. de medicamentis chymicis quarto.

Sal chelidoniæ.

Probatus eſt ad *matricis tumorem* ac *dolorem* : ad *mariſcas* cum æquali pondere phlegmatis vitrioli miſtus. Valet contra *canis rabidi morſum.* Item, cum melle roſaceo ad unguenti craſſitudinem miſtus *non ſinit ulcera putreſcere. Bubonibus* impoſitum *horum venenum* attrahit. Contra *lupum aliaque ulcera cancroſa* & *venenoſa*, *membra* etiam *infrigidata*, quæ alias *abſcindi* debent, adhibita ejus aqua ſalſa ex linteo panno aliquoties, conducit. Qui ex alto vel ex equo ceciderit, *colliſis* imponat aquam hanc ſalſam deſuper ex linteo. *Scabioſos* hac ſalſa aqua ſe lavare licet.

Sal abſynthii.

Sanat *mariſcas* interne ſumtus : & *vulnera putrida* quælibet inſperſione mundat ſanatque. Ex aqua reſolutus *verrucas*, *varos*, *cicatrices* pellit, *carnemque* explet. *Podicis* vitia *matricemque prolapſam* madefactu ſuæ aquæ reſtituit: quæ & pinnis intincta *capitis furfures*, *ſerpigines*, *lentigines*, *impetigines*, *lepram*, *aliamque ſicciorem ſcabiem* illitu delet.

Sal imperatoriæ.

Membra frigida & *intermortua* calefacit. Contra *venenoſarum ferarum ictus* valet. *Tumores pedum* cum melle roſaceo ad craſſitudinem unguenti miſtus diſcutit, atque *omnes oſſium carniumque excreſcentias* reprimit. Itemque cum melle decoctus *fiſtulis* univerſi corporis, *polypo*, *pectoris ulceribus* medetur. *Suppurationem* cito maturat, & ſanat.

Sal acanthi, vulgo branca urſina.

Diſſolutum *tuberculis* quibuſvis, *verrucis*, *varis*, *callis excreſcen-*

crescentibus adusque ossibus utiliter imponitur; præsertim si sub lunæ deliquiis solisque occasum superligetur.

Sal levistici.

Tumorem colli gargarizatum discutit. *Scabiem*, *porriginem*, *lentiginem*, *phthiriasin*, *serpiginem* curat.

Sal pimpinellæ nigræ.

Quælibet ulcera late sine corrosione depascentia expurgat sanatque; *vermium in iisdem* & *carnis putridæ proceationem* prohibet, *fœtoremque* emendat.

Sal fœniculi montani.

Ulceribus sinuosis inspersum, *vermes*, *putrilaginem* & *fœtorem* inhibet. Educendus autem ex parte sanguis drachmarum duarum pondere. Cum alumine in vino calente dissolutum *gingivis ruborem genuinum* restituit, *carnemque enasci* facit.

Sal fœniculi hortensis.

Cum butyro unguenti modo commistum *porrigines ulcerosas capitis* & *serpigines corporis* exsiccat & sanat.

Sal carui.

Polypos & *hæmorrhagiam* curat. *Ulcera* & *abscessus matricis* obducit. Ex vino decoctus *vermes aurium*, *gingivarum*, atque *ulcerum putridorum* profligat.

Ex aqua dilutum *venenatarum ferarum ictibus* resistit, & *abscessibus vulvæ* injectum medetur.

Sal petroselini.

Generis cujusque tumores dissipat: & vino dilutum per utrasque buccas diductum præsentaneum adversus *stomacacem* est remedium.

Sal verbasci.

Tumorem colli gargarizatu discutit. *Visum* acuit ex aqua dilutum. Cum melle rosato ad crassitudinem unguenti decoctum *vermes è latibulis* exigit. Ex linteis pitaceis impositus *ex-*

tumescentibus distentisque cruribus aut *venis* medetur. Item *igni sacro* & *erysipelæ*; quorum *dolorem* lenit.

Sal veronicæ.

Hujus oleum vel liquor *pustulas*, *scabiem*, & *morpheam*, *fistulas*, & *apostemata* curat: & *gallicos* etiam *abscessus* ex aceto rosaceo solutus ipse persanat.

Sal fumariæ.

Aqua solutus *putribus oris ulceribus* & *venereæ contagis* gargarizatu bene facit.

Sal galiopsis.

Ex vino dilutus *fistulis mammarum* medetur.

Sal eupatorii.

Alcolæ remedium est cum melle rosato mistus. *Scabiem*, *porriginem* sive *pityriasin* curat ex aqua tepida dilutus. *Morsui rabidi canis* occurrit. *Ulceribus* & *pustulis à venerea contage profectis*, nec non *ambustis* auxiliatur.

Sal parietariæ.

Liquor hujus *ignes sacros*, *adusta*, *condylomata*, *tumores*, *inflammationesque* curat.

Sal pentaphylli.

Fistulas curat inspersus.

Sal aristolochiæ.

Venenis resistit. Gargarizatus *gingivas* ac *dentes* detergit.

Sal plantaginis.

Abscessibus syphyliis, & *ulceribus vetustis*, *ulcusculis oris*, & *gutturis*, & *alcholæ* cum melle rosato gargarizatus proficit: ex aceto vero dilutus *ambusta* reficit.

Sal persicariæ.

Alcholæ & *gutturis tumori* medetur. Ex melle coctus & em-

emplastri modo impositus *partium tumoribus collisisque* prodest. Ex aqua vero tepida solutus & linteo exceptus *extumescentibus pudendis ac bubonibus*, *serpigini*, *pustulisque venereæ contagis* auxiliatur. *Vulnera vermibus fœta* purgat. *Erysipelas*, *ignes sacros*, *herpetas*, *esthiomenos*, ex aqua rosacea & caphura curat. *Ancylas*, id est; *distentiones artuum* solvit fotu adhibitus. *Capillorum defluvia* impedit, *impetiginem* arcet, & *gutturis tumorem* dissipat haustus.

Sal symphyti.

Gutturis abscessus & *ulcera* cum melle curat intincta penna.

Sal borraginis.

Mariscis, *pustulis*, *ulceribus*, *fistulis* medetur.

Sal buglossi.

Gutturis ulcera curat.

Sal benedictæ caryophyllatæ.

Oris ulcera & *putrilaginem* cum melle mistus emendat.

Sal bursæ pastoris.

Ambustis, *abscessibus*, *pedibus extumescentibus*, *scabiei squammosæ ac siccæ*, *venenatis ferarum morsibus* medetur.

Sal centinodii.

Vino dilutus *putrilaginem oris* emendat, *vulnera* conglutinat: ex aceto vero solutus *erysipelas*, *ambusta*, *testium inflammationes* placat.

Sal euphrasiæ.

Lachrymas oculorum coërcet. Gargazaritus *dolorem dentium* levat. *Serpiginem* extergit. *Igne ambustis* remedio est.

Sal cornu cervi.

Ulceribus oculorum medetur. *Dentes* expurgat. Additus aceto *sanguinis eruptiones* cohibet.

FLORAVANTI COMPOSITIONES Polychrestæ in rem chirurgicam facientes.

Ceratum magnum Floravanti. Magnus liquor. Balſamum artificiale Iliadis *cur. cap.* 48. de cujus viribus etiam Euonymus agit *l.* 2. *pag.* 180.

Oleum benedictum, &c. quod *in chirurg. pag.* 189. recitat idem ipſe autor, nec non Euonymus *l.* 2. *theſauri pag.* 222.

Pilulæ aquilinæ. Aqua balſami. Lapis chirurgicus.

Elixir vitæ. Vera eſſentia.

F I N I S.



INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

D.

E.

Em-

I.

L.


M.

Me-

T.

V.

FINIS.



CORRIGENDA.

Pag. 3.	*lin.* 23.	*lege*	vivendi.
7.	7.		quis ad
22.	10.		arefacta
27.	18.		retentivam
38.	36.		simplicius
43.	16.		caryophyllos
80.	37.		3. *Meth.*
83.	3.		vincula
86.	ult.		*σὺν*
114.	2.		refrigerandum
120.	24.		roborandas
123.	31.		alii
126.	21.		formam
127.	22.		cernimus
146.	33.		Paulus in c. 19.
169.	33.		*cap.* 22.
184.	*lin.* 12.	*lege*	Qui idem Galenus
193.	3.		*& sumen, & ad extrema*
201.	13.		asinæ
212.	34.		Paulus
229.	19.		adeps
240.	4.		*Calidum* ovi
241.	6.		papyri
142.	6.		sine *cera*
ubi Chymia			Chemia

IN MARGINE.

Pag. 65. *lege* theriacalis

118. grumo lactis